


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
8
9/17H
42

R. P. FRANCISCI COSTERI E SOCIETATE IESV PRESBYTERI, THEOLOGI DOCTISSIMI,

CONCIONES

IN EVANGELIA A DOMINICA Prima post Paſcha, vſque ad Dominicam SS. Trinitatis incluſiuè.

Partis III. Tomus II.

Nunc iterum ex Belgico in Latinum ſermonem melius quàm antea translata, & denuò in lucem edita.





COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Antonij Hierati, ſub ſigno Gryphi.
ANNO M. DC. XIII.
Superiorum permiſſu, & cum grat. & Priuil. S. Cæſ. Maieſt.



DOMINICA PRIMA POST PASCHA.

Euangelium. Ioann.20.



N illo tempore, cùm sero esset die illa vna Sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati, propter metum Iudæorum, venit Iesus, & stetit in medio discipulorum; & dicit eis: Pax vobis: & cùm hæc dixisset, ostendit eis manus & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino: Dixit ergo eis iterum: pax vobis: sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflauit, & dicit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli, vidimus Dominum. Ille

autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis & stetit in medio, & dixit eis. Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & adfer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei Iesus, quia vidisti me Thoma, credidisti. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, vt credatis: quia Iesus est Christus filius Dei, vt credentes vitam habeatis in nomine eius.

Breuis Euangelij Exegesis.



Marc. 16. 14. Luc. 24. 36. Ioan. 20. 19.

D pleniorē Euangelij huius cognitionē, necessarium est, vt ex tribus Euangelistis Marco, Luca, Ioanne modum explicemus quo vespere Christus apparuit Apostolis; postquam vt præcedenti concione diximus mane mulieribus apparuisset. Manebant vndecim Apostoli die ista domi; ianuis, propter metum Iudæorum, clausis; accedebantque interim Christianorum plures, qui diuersa de Christi resurrectione nuntiabant. Alij Petro eum dixerunt apparuisse, quod & Petrus fatebatur. Duo discipuli Emmaunte redeuntes, eum sibi in itinere narrabant visum.

visum. Gaudebant ergo de his Apostoli, & sedentes, inter se de eis colloquebantur; etsi necdum sibi plene persuadebant, fieri posse, vt corpus ita horribiliter lancinatum, & scissum, cui cor lancea transfixum fuerat, viueret. Sedentibus porro eis, & hoc modo differentibus, vident in medio sui stantem Iesum, qui nec ianuam, nec fenestram, nec rimam aliquam aut alium patentem locum transierat, nec venire visus fuerat, sed stare. Allocutusque statim eos, dixit: *Pax vobis: ego sum: nolite timere.* Conturbatis vero illis, & conterritis: quia *existimabant se spiritum videre*, iterum dixit: *quid turbati estis, & cogitationes adscendunt in corda vestra?* quasi dicat; Cur ita dubij fluctuatis, conturbantes vosipsos; significans, notas sibi eorum cogitationes, non nunc minus, quam cũ viueret. Non sum ego, subdit, vt existimatis spiritus: *Videte manus meas, & pedes; quia ego ipse sum. Palpate, & videte, spiritus carnem, & ossa non habet: sicut me videtis habere.* Tunc ostendit eis manus, & pedes, & latus vt ex vulneribus eum cognoscerent, & vere ipsum esse eundem intelligerent, qui in cruce vulnera hæc excepisset.

Viso igitur Domino illi multum gauisi, adhuc tamen præ gaudio non credebant; sed mirabantur; & obstupescebant. Dixit ergo eis Christus; *habetis hic quod manducetur? & obtulerũt ei partẽ piscis assi & fauum mellis.* De quibus comedit, distribuens eis reliquias, vt vel sic certi essent, eum esse. Neque enim certius aliquod est vitæ signum, quam si quis comedat. Propter quod & voluit vt filia Archisynagogi à mortuis resuscitata, & Lazarus comederent. Post hęc cum per tot argumenta iam credere inciperent, Matth. 9. Ioan. 11. 2.

increpauit eos Christus, exprobrans incredulitatem eorum, & duritiem cordis: *quia his qui viderant eum à mortuis resurrexisse non crediderunt*; mulieribus scilicet, quibus tamen mandauerat, vt eis nuntiarent; nec discipulis duobus iam Emmaunte reuersis, imo nec Petro Principi suo, præsertim cum & ipse, non mortem tantum, sed & resurrectionem suam illis, ante passionem, frequenter prædixisset. Contristatis vero illis de hac increpatione; iterum dixit *pax vobis. sicut misit me Pater & ego mitto vos.* vt scilicet mundo verbum Dei annuntietis, aduersa multa, & ad extremum mortem quoque patiamini. Atque vt eos magis erigeret *insufflauit dicens accipite Spiritum Sanctum*, & potestatem supernaturalem nemini hactenus puro homini, quantumuis sancto, concessam. Ecce authoritatem do vobis, vt nomine meo peccata remittatis, ita vt *cuicunque* ea vestrum *quilibet* remiserit, *quantumcunque* magna & multa & multiplicia fuerint, vere ei coram Deo remissa à me erunt. cuiuscunque vero peccata retinueritis, & non remiseritis, remissionem à me non consequetur. Statuo enim vos mihi vicarios, & mundi iudices: atque nouum hic pono animarum tribunal. Dein aperuit eis scripturas; non tantum explanans quicquid de passione, morte, vel resurrectione sua scriptum esset; sed donum conferens Spiritus Sanct. & adsistentiam suam, quò in posterum Scripturas omnes intelligerent, ac vero sensu explicarent, neque aberraret in earum explicatione Ecclesia. Vnus autem ex duodecim qui Hebraice dicebatur *Thomas* & Græcè *Didymus* (quo etiam nomine eũ Græci vocant) quasi dicas *geminus*

Matth.16.17. 20.26.

quia

quia cum altero genitus; domo exierat, siue quod aliquem iuisset conuentum, siue quod quæ de Christi adferebantur resurrectione nec audire vellet, nec credere: ac propterea nec Christum cum Apostolis vidit. Domum vero redeunti narrarunt statim omnes, quomodo apparuisset eis Dominus, cumque eis locutus fuisset, ac manducasset. Ille nihilominus non credidit, Christum in proprio, veroque, sed in phantastico tantum corpore & quod eius videretur apparuisse. *Nisi videro*, dicens, *in manibus eius fixuram clauorum & mittam manum meam in latus eius*, tangamq;, ac pertractem, num verum corpus sit: *non credam*. ac si diceret, Nimis cito credidistis, nec satis pertractastis eum, vt par erat & vt ego facturus sum, si eum videre contingat. Hanc in Thoma incredulitatē permisit Christus, ne vllam dubitandi causam posteri haberent, ac si non satis negotium dispexissent Apostoli, & nimis cito credidissent,

Tota hebdomada in infidelitate reliquit Christus Thomam, vt opportunè eum per admonitiones Apostolorum conuerteret: verum, cū ęquè obstinatus in infidelitate sua perduraret, post dies octo à Resurrectione rediјt, post occasū videlicet solis, vti primo die quoq; se exhibuerat, nimirū clausis ianuis, stans in medio præsente iam Thoma, dicens iјsdem verbis; *Pax vobis*, deinde verò vocauit Thomam, & ait, *Accede*, vt inferas *digitum tuum* huc *in manus meas*, & tuam manum in latus meum immittas, Quemadmodum desiderasti, neque incredulus, sed fidelis sis. Quod hactenus non credideris, ex obstinata tua voluntate nascitur, cùm sufficientes ratio-

nes ad credendum,& impellentes habueris, videlicet mulierum testimonium, & Apostolorum, & quod præponendum omnibus: mei ipsius verbum atque promissionem, quam vobis frequenter ante mortem meam inculcaui. Ego tanquam Deus, scio quę vos Apostoli mei dixeritis, immò quę cogitetis. Hoc intrepidè credite, quod ego Deus & homo sim. Thomas verò iuxta præceptum Christi accessit, immisitque digitum suum in vulnera manuum, & manus in vulnus lateris, & solidum corpus veramq; carnem tetigit, non phantasticā, qualem Spiritus assumunt. Hi digiti in vulnera Christi immissi, etiamnum Romæ magna cum veneratione asseruantur, in templo S. Crucis, dicto *in Ierusalem*. Tum deniq; Thomas magna cum submissione se in terram abiecit, adorans Christum, & inuocans hisce verbis: *Dominus meus, & Deus meus.* Nunc firmiter credo te *Dominum meum* esse, qui sua me morte ac sanguine redemerit: & *Deum meum*, qui me creauerit. Credo in te Deum ac hominem.

Christus verba hæc rata grataq; habens suo testimonio ea cōfirmauit, eò quod Deus esset ac homo: Verum, ne hac præclara professione sua Thomas superbiret, humiliauit illum dicens. *Quia me vidisti Thoma, credidisti*: Amplius vtique meritum retulisses, si in me prius credidisses, cùm tibi Apostoli resurrectionem meam indicarent, atque illa recogitasses verba, quæ ante mortem meam dixeram: tunc quippe meritum fidei de resurrectione mea habuisses, si præfatis meis verbis & promissionibus fuisses nixus: nunc vero meritum illud non habes, quia non credis me surrexisse, sed oculis tuis contueris,

eris, & manibus palpas. Fides enim non est rerum visibilium; sed inuisibilium. Nihilominus omni prorsus merito fidei cares, quia me resurrexisse vides, quoniam hoc tractabile corpus habentem, credis Deum tuum esse, & Dominum: Deitatem meam namque non vides, sed illam interiore fide cognoscis. Quamobrem, quicunque meam resurrectionem sine mei visione crediderunt, sola mulierum Apostolorumque annunciatione impulsi: (quales sine dubio fuerunt, qui illam octidui tempore ab alijs audiuerant) sunt beati: vti etiam omnes illi, qui deinceps credituri sunt, fidem suam in verbo meo fundantes. Hi enim duplex meritum reportabunt. *Primo* quidem, quia sine visus ministerio resurrectionem meam credunt, quod tu non fecisti. *Secundo* vero, quia etiam Deitatem meam credunt.

Sanct. Euangelistà porrò volens finem apparitionum CHRISTI facere, quibus se Apostolis spectandum præbuisset, ad faciendam illis Resurrectionem suam credibilem, dicit non solum hac vice, sed etiam alijs vicibus, nunc ab his nunc ab illis visum esse, semper dans resurrectionis eius signa certissima quę non describit ipse, quia reliqui Euangelistæ & S. Paulus satis ea descripsissent, tum etiam *1. Cor. 15. 16.* quia memoratæ apparationes sufficientes erant, ad fidem nostram corroborandam, & ad hæc tria persuadenda. *Primum*, quòd illa persona *Iesus* verus Christus, & Messias sit, à Deo per Prophetas promissus. *Secundum*, quod hic Christus verus ac naturalis Dei filius sit. *Tertium*, quòd idem ille sit

Iesus, id est, Saluator mundi. Hi tres articuli, omnia ad fidem pertinentia concludunt, & necessarij ad salutem sunt, vt credantur, & si conuenienter credantur à nobis, sufficientia media ad beatitudinem obtinendam habemus. Vnde discimus, apparitiones illas, quas D. Ioannes in sequentibus capitibus persecutus est, non tantum ad fidem resurrectionis astruendum, in qua iam satis Apostoli confirmati, scriptas esse, sed etiam ad narrandum, quo pacto Christus Petrum Ecclesiæ caput constituerit, vti illi ante mortem suam promiserat: Huius alij Euangelistæ non meminerunt, quæ nihilominus res maximi momenti fuit, & vnum ex maximis beneficijs Ecclesiæ præstitis. Item quod Vicario suo in terris collata simul plenaria potestas sit in mundum vniuersum, & perpetua assistentia Spiritus Sancti, quæ illum in finem vsque sic conseruabit, vt nullos penitus errores fidei docturus sit, sed omnes contrarias hæreses proscripturus & exterminaturus.

Documenta.

C*Vm sero esset, vna Sabbathorum.* Hic, quam bonus Christus discipulis se cupientibus sit, instruimur. Intellexerunt ex mulieribus eundum illis in Galilæam, vt ibidem Christum viderent: forsitan cogitabant, quod alias Christum non essent visuri: nihilominus præoccupat illorum opinionem Christus, illisque affectionem illorum denunciat eodem die.

Christus cur in Iudæa statim apparuerit? I.

Primo, vt consolaretur eos, quos magna tristitia exerceri videret; vti Mater ferre non potest infantis sui diuturnas lachrymas. Ne vna quidẽ nocte eos in mœrore vult relinquere, cum

cùm tenebræ ex seipsis mœrorem pariant, quæ vtiq; mœrorē eorū adauxissent. *Secundo*, ne diu in infidelitate permanerent, 2.
quod noxium inprimis erat,& desolationem , desperationē, accediamq; pariebat. Alias fortè in Galilæā non perrexissent, solū à mulieribus commoniti. Christus vero non repugnabat promissis suis, cùm sese Hierosolymis manifestaret. Hæ quippe duæ apparitiones non nisi transeuntes erant. In Galilæa paulo diutius apud eos mansit, de administratione, Ecclesiæque mysterijs illos erudiens , eò quod absque metu Iudæorum confidentius ibi conuersari possent.

Interdiu non venit ad eos. *Primo*, eò quod forte Apostoli de die dissipati essent: quare expectauit tēpus quo cōgregati oēs essent. Hoc indicat Ioannes, cum ait *vbi erant discipuli congregati*, id est, omnes domum redierant. *Secundo*, vt sua apparitione, quomodo interius dispositi essent, indicaret, scilicet, in tenebris infidelitatis, tristitię, ac peccatorum, vti exterius in tenebris considebant. Sic quoq; docet S. Gregor. Christum se duobus discipulis in Emaus euntibus manifestasse tanquā peregrinū, item præsentem, nō tamē notum, quia pari modo & ipsi interius affecti erant, pręsentes illi per dilectionem; absentes vero per incredulitatem : quippe Christus non minus operibus docet, quam verbis. *Tertio*, vt eorum spem probaret, nosque doceret semper in Christo nos fundare , nec in ipsa spe deficere, Quemadmodum Habacuc ait: *si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet & non tardabit*, id est, certissime veniet, nec præstitum tempus transiliet. Aduerte, quomodo cùm suis Christus agat: manè resurrexerat,& vesperi primum suos conuenit Apostolos, cùm illo eum die videre nequaquā sperarent, perinde nobiscum agit.

[Margin: Cur de die non apparuerit? 1. 2. Greg. ho. 23. in Euang. 3. Habac. 2. 3.]

Mane paratus est iuuare, nos quamprimū eius ope indiguerimus: nihilominus expectat ad extremū diei interdum, cùm nulla nobis spes videtur amplius esse residua. *Primo* , ne desperemus, tametsi enim sero veniat , nihilominus venit. *Secundo*, vt omne bonum nostrum illi acceptum feramus, omne auxilium ab illo solo proficisci videntes. Cæterum eo die Christus omnis expertes solatij discipulos non reliquit, siquidem per eos suam illis resurrectionem annunciari voluit, qui

[Margin: Christ⁹ cur nos serius iuuet? 1. 2.]

eum resurrexisse viderant videlicet mulieres, duos discipulos, & Petrum, de quo plerique aiebant. *Surrexit Dominus verè & apparuit Simoni.* Hisce bonis nuncijs consolationem accipiunt & excitantur. Sic agit nobiscum, tametsi enim non omne malum nobis adimat: nihilominus aliquod nobis saltem solatium per beneficia quotidiana suppeditat, quæ quasi venientium beneficiorum eius sunt præcursores. Licet æger sis habes tamen adiutores tuos ac consolatores: nullis item medicinis cares; iaces in molli lecto; Deus bonas tibi inspirationes suggerit. Cogita plures esse te multo meliores, qui horum omnium indigeant.

Luc. 24. 34.

Quamobrem in omnibus tribulationibus tuis bona illa attendere debes, quæ habes, nec dubitare, quin Deus te respiciat, paratusque sit liberare te ex illis. Sic magni illi Prophetæ fecêre Iob, Dauid, & Tobias, qui eo modo sese summopere sunt consolati. *Tertio*, Christus sero venit, & vesperi, ostendens se hominem factum, non mundi initio, aut eius medio tempore, sed cum ille paulatim deficeret: ne nos modico illo, quod superesset tempore, dissolueremur, sed magis timeremus. *Quarto*, vt doceremur diuinam gratiam ex corde petere atque expectare, etsi morti iam proximi simus. Iccirco, quantumuis totam vitam, sine vlla virtute transegeris: nihilominus Christus, ad te veniet, & iam in extremo momento ante mortem, si modo syncerè conuerti desideres.

3. Caussa cur. Christus sero apparuerit.

Theophilus ille Imperator hæreticus, qui duodecim annis Ecclesiam iconoclasmo, seu imaginum strage vexauerat, multosque catholicorum interemerat martyresq; effecerat, in extremo vitæ suæ agonizans conuersus est, puniuit enim illum Deus ventris profluuio tantoque oris deformi hiatu, vt in ipsas fauces inspicere procul quilibet posset. Coniunx eius Theodora Imperatrix admodum Catholica & Sancta fœmina, orans pro marito, vidit Beat. Virginem cum puero; Item duos Angelos atrociter eum flagellantes, accedensque illum, vociferantem audiuit hoc modo: *Heu acerbißimè flagellor, eò quod imagines violari iusserim, & catholicos sim persecutus.*

In Triario Græcorum Domin. 1. Quadrag.

Iconoclastę pœna.

Illa

Illa statim imaginem D. Virginis imposuit pectori eius, & ipse videns imaginem dependentem ex collo cuiusdam lecto astantis, eandem arripuit & deosculatus est. Et ecce, illico os ad naturalem locum rediјt, & Angeli à flagellatione destiterunt. Cùm hac contritione mortuus est Imperator Anno Domini 842. Verum, vt de salute eius certior esset vxor, iussit vbique locorum sacra fieri pro anima illius: vti quoque Patriarcha Methodius, cùm Clericis suis omnibus ac religiosis, ardentissimè pro illo Deum deprecati sunt, Feria sexta post primam Dominicam Quadragesimæ vidit Imperatrix suum maritum à malignis spiritibus ad Christum iudicem deduci, ac multis instrumentis instructis, quibus ille excruciandus esset. Remediũ.

Porro illa sequebatur istos, & procidit coram Christo ad genua, qui dixit ei: *O mulier magna est fides tua, & propter te & preces seruorum meorum ignosco marito tuo omnia peccata sua*, iussitque solui illum ac dimitti. Patriarcha Methodius omnia hæreticorum Cæsarum nomina in chartam cõiecerat, quibus nomen quoque supradicti Cæsaris adiecerat, quam sub altati abdiderat. Cùm ergo oraret pro anima Cæsaris, eadem feria sexta Angelus ei apparuit dicens; *Exaudita est oratio tua, ideo desiste.* Deinde supradictam chartam aspexit, & nomen Cæsaris Theophili deletum inuenit, sicq; de salute eius certiores redditi sunt.

Ex eo discimus, paratum Christum esse ad nos iuuandos, licet diu expectemus, nec diffidendum, sed confidendum semper. Nihilominus diligenter attendendum, ne hac confidentia nimium nixi, peccemus: quippe vera contritio donum Dei per magnum est, quæ iuste nobis negari potest: Clemens Alexandrinus inquit, *peccare omnibus commune esse; at conteri de peccato ac dolere, rarum*; ideo quisquis conteritur felix est, & magnitudo doni agnoscenda vt gratias agat. Christus nobis paratus. Lib. 3. Pedagog. ca. 12.

II. *Et fores essent clausa, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudaorum.* NOTA *Primo*, Iudæos illos, à quibus Christus per obstinatam malitiam occisus erat, velut insanas belluas erga Christi imitatores se gessisse. Iudæorum furor in Christi discipulos.

Gregor.

Turon.l.1. hist.c.2. Gregorius Turonensis scribit eos Iosephum ab Arimathia in vinculis detinuisse, eò quod Christi corpus sepeliuisset: muros vero, quibus clausus erat ab Angelo, Christo resurgēte, diductos fuisse, vt dimitti posset, S. centurionē Longinum ad mortem quærebant, quod Christi resurrectionem testaretur, vti superiore sermone dictum fuit ex Metaphraste. Similiter in Apostolos quoque exacerbati fuerunt, & in omnes illos discipulos qui timebant Iudęos, ne ab ijsdem inuenirentur. Hęc malitia post Christi mortem adaugetur in Iudæis à diabolo, insaniente prorsus quod se à Christo deceptum cerneret, qui omnes ei vires ademerat, omniq́ue potestate eum denudarat. licet enim diabolus imperium in bonos perdiderit, nihilominus in malos retinuit sponte illi adhærentes, quibus suggerebat, vt persequerentur bonos adeoque & impellebat. Hoc dicit Sanct. Ioannes in sua Apocalypsi, *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam; propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis.* Ad maledictionem serpentis dicebat Deus: *terram comedes,* id est, terrenos peruersosque homines. Quibus significatur quod quemadmodum cibi, quibus nos vescimur, in naturam nostram conuertuntur; sic etiam naturam diabolicam suo modo mali induunt, fiuntq́ue diaboli. Quod maximè à passione & morte Christi accidit, cùm suos satellites Iudæos paganos, Cæsares Tyrannos, Reges principes, & prouinciarum Præsides impulit, vt Christianorū persecutionem instituerent, & carnificinam eorum omni tormentorum genere exercerent. Hoc statim facere cupiebat diabolus. Sed Deus prohibuit, quod discipulos suos Spiritu S. confirmasset. Id timebant Christiani, quare intra septa domus vnius se continebant, vbi eos tuebatur tamdiu Christus, donec induerentur virtute ex alto.

Diaboli furor post resurrectionē Christi. *Apoc.12.12.* *Genes.3.14.*

Nota *Secundo,* discipulos cōgregatos fuisse foresq́; illius cęnaculi clausas, in quo orabant, & de resurrectione Christi disserebant, *Primo,* vt doceremur, quam bonum fructuosumq́ue sit, bonis consortijs assuescere, vt Dauid ait, *Ecce quam bonum et quam iucundum est, habitare fratres in vnum.* Nam secundum sapientis doctrinam, *vnus ab altero fulcietur,* & ciuitati firmæ similes sunt, ac telorum fasciculo in manu fortis, quamdiù vniti manent;

Societas bona. *Psal.132.1.* *Eccl.4.10.*

manent; Immo Christus secundum promissa sua adest illis, *vbi enim duo vel tres congregati sunt in nomine meo,* (inquit) *ibi sum in medio eorum.* Sibi inuicem quippe præsto sunt, & à Christo quoq; adiuuantur. *Secundo* discis, quidnã agere debeas, si velis vt te Christus inuisat, & suauissimã suam tibi consolationẽ & deuotionem impertiat. *Primo,* Declina mũdi rumores, propter metũ Iudęorum. i. ne mundus conscientiam tuam conuulneret, aut disperdat. Quęre & amplectere concordiã si potes, vti fere Christus cum discipulis suis in desertis, aut mõtibus orabat. D. *Bernardus,* ait nostrũ sponsum verecundum, qui cũ fratribus suis non apud multos, sed solis loqui desideret solus. S. Abbas Arsen. hanc vocem inaudijt: (vti refert Metaphrastes) Arseni *fuge, tace, quiesce.* Cum Sanctis si conuerseris, solus es; ibi enim tantum vnus Spiritus est in multis corporibus: immo *vnum* tantummodo *corpus,* vt S. Paulus ait, *multi sumus, omnes, qui de vno pane participamus,* in se vnicum corpus Christi habentes. *Secundo,* Claude ianuas sensuum tuorum, ne quidquam egrediatur per multiloquium, aut per inutilem visum, auditum, adoratum, gustum, tactum quidpiam ingrediatur. Vti olidus ille fœtor, qui extra cubile tuum est, statim ingreditur, vbi ianuam apertam inuenerit: Sic etiam graueolentia illa vanitatis cor tuum ingreditur, vbi sensus tuos non custodiueris. Et vti pleno ventre distentus, sic cum principe loquatur, ex stomacho tetrum halitum emittit: ita, qui per sensus passus est ingredi res inutiles ac vanas, variatur in oratione sua, & distrahitur. Ideo mirum non est, nos in oratione plerumque distractos esse, eò quod varia per sensus in animum illabi sinamus: vt sunt v.g. cibus, potus, ambitio, pecuniarum auiditas, inutiles curæ, ac cogitationes &cæt. Cœci plerumque sensus interiores viuaciores habere solent, vti Diuus Hieronymus de cœco Dydimo testatur: immo plerique Philosophi seipsos exocularunt, & excœcarunt, vt melius speculari possent.

Matt. 18. 20.

Quid agendum vt Christus nos accedat.

I.

Ber. s. 40. in Cant.

Apud Sur. 19. Iul. c. 8.

1. Cor. 10. 17.

2.

Custodia sensuum.

Distractæ orationis caussa.

Ieron. l. de illust. Scriptoribus.

Hoc tu non facies, sed sic visum tuum à temporalibus cohibebis, & mundanis vanisque rebus auertes, ne ijs animum adijcias, vti Sanctus Bernardus fecisse legitur qui non aduertit, quid loqueretur, ederet aut biberet. Sanctus Gregorius, ait

Greg. in 1. Reg. c. 10.

ait hoc modo: *Clausas quidem ianuas habent, qui contra humani lapsus negligentiam officia corporis sub forti custodia stricta retinent. Intus etiam sunt: quia in interna dilectione superna vitæ requiescunt. Quibus profectò resurgens Dominus apparet: quia eius gloriam tanto clarius aspiciunt, quantò per mundi contemptum passionis eius mysterium sequuntur.*

Christo nihil clausum sit. NOTA *Tertio*, Christo nullam rem clausam esse: omnia videt, & attingere potest omnia, vt doceret nos. *Primo*, nihil nos
1. illi abscondere oportere: sed quod nobis deest, & quod feci-
2. mus id sponte ei, eiusq; vicarijs aperiendum esse. *Secundo*, ne te ipsum fallas, cogitans, Deum non videre ea, quæ à te in obscuro fiunt. Quippe qui non solum videt occulta tua opera, sed etiam quæ videntur ab angelis bonis, qui testimonium contra te daturi sunt; item & malis angelis, vt te in extremo iudicio accusent: immò Christus intima cordis tui intuetur omnesque cogitationes tuas opiniones, proposita coram to-
3. to mundo examinanda producit. *Tertio*, vt in Christo fiduciam nostram collocemus. Tametsi enim in talibus simus angustijs, in quibus exitũ inuenire nõ possim⁹; nihilomin. Deus
1. Reg. 23. 1. Cor. 10. nos inde expedire potest. Cogita Dauidem pene desperasse, vt euaderet manus Saulis Regis, cũ ipsius milite cinctus esset. S. Paul. sæpissime in extremis angustijs fuit, item S. Iob & Tobias, quibus nulla sese ad euadendum media offerebãt. Deus omnipotens est, & Dominus mediorum omnium. Ciuitas Ie-
4. Reg. 19. 4. Reg. 6. Dan. 3. Dan. 6. & 14 rusalem ab exercitu Sennacherib circundata erat; Helisæus à satellitibus Regis Syriæ: tres socij Danielis in ardentẽ fornacẽ proiecti, & Daniel secundo in lacum Leonum missus: Ionas
Iona. 2. Esth. 3. ventre Cæti conclusus: & populus Israelis manibus capitalis hostis eius Aman traditus, nihilominus ex his omnibus libe-
4. rauit eos Dominus. *Quarto*, tametsi Deus omnia loca contingere possit, nõ tamen clausis foribus cor tuũ ingredi velit, stat
Apoc. 3. 20. Cant. 5. 2. *ante ostium* & pulsat, aitque: *Aperi mihi soror*, quia contra nullius voluntatem ingreditur si quis illi ianuam aperuerit, huic ait,
Apoc. 3. 20. *intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*. Væ excludentibus illum tales enim nunquam fruentur eo, sed immundos spiritus æternum suscipient, & cum ipsis ineffabilia, semperq; duratura tormenta sustinebunt.

NOTA

Nota *Quarto*, Christum *quinquies* ianuis clausis ingressum esse. *Primo* in natali suo, cùm Beatam Virginem Matrem suam, vti inuenerat, reliquit. Non enim illam pretiosa Virginitatis margarita destituere voluit, aut viliorem illam, quam inuenerat, relinquere: sed auctorem naturæ nasci, qui naturã immutare, & pro arbitrio vsurpare posset, declarauit. *Secundo*, cũ ascenderet de sepulchro, nõ remoto lapide. *Tertio* & *Quarto*, cũ ipsa solẽnitate paschali ad discipulos suos, clausis foribus ingressus est, vti Euangelia referunt. *Quinto*, cũ cęlos ascenderet non diuidendo eos aut disrumpendo. *Primus modus*, corpore mortali factus est, ad omnipotentiam suam nobis ostẽdendam; reliqui quatuor glorioso & immortali & impassibili corpore peracti, ne gloriosa corpora nostris miserabilib⁹ corporibus æstimemus similia, nec potentiã eorum nostro exili, obscuro, hebetiq; intellectu mensuremus. Multi hominũ ea, quæ admirentur alij, efficere possunt. Vidimus hoc nostro tẽpore hominem manibus ac brachijs carẽtem, securi ligna findentem, aliaq; admiranda perpetrantem: Item iuuenculũ pedum digitis nentem, scribentem, aliarumq; fœminarum opera peragentem. Possunt illud ærumnosa hæc corpora; quanto vero magis gloriosa, quæ in momento oculi sunt cœlos penetratura, sine vlla eorum violatione? Christus Deus & homo, potest corpore suo, quicquid vult, efficere. Diuus Augustinus de S. Stephani miraculis scribens, narrat de fœmina quadam Petronia, nobili ad nudum corpus annulum in capillicea zona gestantem, vt à corporis morbo liberaretur. Orans quippe ante S. Stephani reliquias, cecidit annulus ante pedes eius absq; fractione zonæ. *Non credunt hoc* (inquit) *qui Dominum Iesum per integra Virginalia Matris enixum, & ad discipulos ostijs clausis ingressum fuisse non credunt.*

Christus quoties ianuis clausis intrarit? I. 2. 3. 4. 5.

Mira quædam.

Aug. 22. Ciui. c. 8.

Nostri Caluinistæ hæretici, & nouitij calũniatores, de Dei potentia non plus credunt, quam obtusus intellectus, eorum comprehendere possit, ideoq; multis hic cum impijs Berengarianis disceptant, excedere potentiam diuinam, vt duo corpora eodem in loco cum ianua sint, & vbi ianua, ibidem & corpus eius: sed dicunt, Christum per apertam fenestram intrasse, aut per rimam quampiam, aut fores inuisibili modo

Hæretici nostri.

patefa-

patefactas, quas vel fregerit, aut illico disiecerit, aut liquefecerit, aut alio quopiam modo, quo penetraret, vsus fuerit. Hoc indocti illi calumniatores dicunt, quod nolint admittere Deum posse alicubi collocare corpus, sine respectu ad locum: ne cogerentur etiam fateri Christi corpus existens in cœlis, posse esse in Sacramento altaris inuisibili modo, absque respectu ad locum.

Omnipotentia Dei explicatur.

Materia hæc valde subtilis est, & alta; intelligentiam vulgi excedens: nihilominus quia quilibet illam tractare vult, Deique omnipotentiã suo crasso metiri ingenio necessarium est, vt eam enucleate discutiamus, & sex res de ea proponamus.

I. Deus est omnipotẽs.

Primum, Deum omnipotentem esse, nec solum posse facere quod fecit aut faciet (vti sugillant hæretici) sed quod vult ideo omnipotens est, inquit Augustinus, quia potest ea omnia quæ vult. Hoc dicebat Angelus Gabriel ad B. Virginem Mariam, apud Deum *nõ erit impossibile omne verbum:* & Christus dicebat Patri, *omnia tibi possibilia sunt.* Hinc sequitur *primo*, Deum multa facere posse, quæ nunquã futura sunt, vti aiebat Ioannes: *Deus potest ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ:* & Christus. *Si tacuerint hi, lapides clamabunt. Secundo*, Deum posse plus præstare quã nos contueri, comprehendere, aut cogitare valeamus. Deus enim *maior est corde nostro*, inquit S. Ioannes, item Paulus: Ei autem *qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus.* Profecto minor intellectus noster est quam vt omnipotentiam Dei comprehendat.

August. 21. Ciuit. c. 4. 7. Luc. 1. 37. Marc. 14. 36. Cõsectaria. 1. Matth. 3. 9. Luc. 19. 40. 2. 1. Ioan. 3. 20. Ephes. 3. 20.

Deo omnia æque facilia.

Secundum, Omnipotentiæ diuinæ non esse difficilius vnam rem, quam aliam facere: alioquin in aliquib⁹ magis laborare deberet, in aliquibus minus: quod vtique eius omnipotentiæ repugnat, cui vnam rem facere nõ est magis operosum, quam aliam. Quare sicuti æque facile mundum ac muscam nominamus, ita neque maiorem laborem Deus adhibet in mundo ex nihilo creando, quam in producendo musca.

Deus omnium author. Cõsectaria. 1.

Tertium, Deum naturas creaturarũ omniũ fecisse, ac donis ornasse, omnibusque quibus gaudent proprietatibus. Vnde sequitur *primo*, eum proprietates mutare posse, vti terram facere leuem, aërem grauem, ignem frigidum, calidam terram; corpus ipsum clarum ac impassibile absque morte,

eiusque

eiusque corruptione: Nam gloriosa corpora sanctorum, tam clare, quam sol splendebunt, adeoq; erunt leuia, vt in vnico momento in supremo cœlo futura sint: & corpora damnatorum à vermibus deuorabuntur; absque vlla eorum diminutione, & æternum vrentur absque vlla combustione, & æternum absque vlla corruptione patientur, & denique ęternum sine morte morientur. *Secundo*, quod naturas mutare possit faciendo ex homine bestiam, & contra ex bestia hominem. 2.
Mali spiritus possunt quoque ex re quapiam aliud quippiam facere, Quemadmodum Magi Ægyptiaci *Iannes*, & *Mambres*, (quo nomine Diuus Paulus eos compellat) cum virgas suas in serpentes transformarent, sed alia ratione. Nam quæ naturaliter in aliud quippiam transformari possunt per causas naturales longinquitate temporis, illa breui tempore transformant adhibitis sua naturali celeritate, & scientia eorundemque causarum concursibus: vti herbæ, quibus bestiæ vescuntur, per stomachum, iecur & cor in sanguinem mutantur, & postmodum in carnem abeunt. Hoc possunt dæmones, qui causas, earumque applicationem cognoscunt, ilico præstare. Quare nota vitam bestiarum ex dispositione, & potentia materiæ proficisci, quam applicant, & ita facere possunt animalia, vt ranas, bufones, immo boues, & equos, & alia: nequaquam verò hominem, eò quod forma hominis ex potentia materiæ non educatur, sed infundatur & creetur in corpore, posteaquam ad recipiendum eam aptatum fuerit. Deus solus hoc potest, qui etiam naturas valet mutare, absque applicatione causarum sola voluntate sua & præcepto. Vti Deo impossibile non erat (inquit Augustinus) facere naturas, quas volebat; sic neque illi impossibile est, transformare easdem in alias quaslibet, in quas vult. Legimus Moysis serpentes, Magorum serpentes deuorasse, eò quod potentia diuina facti essent alijsque fortiores, qui recenter ex naturalibus caussis prodijssent. Perinde mutat quotidie Christus panem in sacrosanctum corpus suum, in Scramento altaris verbo suo diuino, non annihilando substantiam panis, aut corrumpendo: sed mutando in sui corporis substantiam.

Exod 7.11. 2.Tim.3.8.

Quomodo magi mutent rerum naturas?

Magi non possunt facere hominem.

Exod.7.12.

Quomodo essentia seu partes integrantes nō mutentur.

Quartum est, quod vbi Deus aliquas creaturas fecisset, & partes

partes naturales dedisset posset quidem mutare naturas (vti iam dictum est) non tamen efficere, vt creaturæ tales, sine naturalibus partibus subsistant. Vt verbi gratia natura hominis est habere corpus & animam: sic Deus potest facere, vt homo transformetur in bestiam aut truncum, non vero vt manens homo, nec animam habeat, nec corpus; quippe cum natura hominis sit, animam & corpus habere; quorum alterum si desideretur homo non est. Quare dicere, illum hominẽ esse sine anima cõtradictio est talis, qualis hæc: homo est, & non homo, quod fieri nequaquã potest. Deus potest quidẽ diuersas naturas in vnã personã cõpingere, vt quispiã sit homo & canis, vti Christus Deus & homo est: verum nõ vt hæc talis sit, aliqua ex partibus ad essentiã necessarijs opus habeat. Quare qui & homo & canis esse debet, opus ijs habet, quæ vtramq; illã naturã cõstituãt, quemadmodũ Christus omnia ea habet quæ ad diuinã naturã pertinẽt, & quæ humanam cõstituunt.

Quædam opera in se difficiliora. *Quintum* est, tametsi Deo omnia opera ad faciendum ęquè leuia propter omnipotentiam sint: tamen quędã ex sua natura adfaciendum operosiora sunt, & alia faciliora. Operosissimum opus est, cõuersio peccatoris, propter resistentiã voluntatis, vti difficilius est fugacem equum quam stantem capere.
1.
2. Deinde operosissimum est, mundum ex nihilo creare. Post
3. hoc mutare naturas. Quẽadmodum statuario difficillimũ in loco eiusmodi existenti, vbi arbores non sint, inde eas deducerere, quas vtiq; eo sine magnis sumptibus perferre non potest: Verum habenti ligna haudquaquã difficile est, inde statuã exsculpere, figuramq; ligni mutare. Difficillimũ verò om-
4. niũ est, animare statuã. Peccator mortuus est, & in morte manere vult, atq; ideo difficulter iuuari potest, aliquid vero ex nihilo creare, tam difficile nõ est: mutatio vero creaturarũ facillima est. S. Paulus dicit non minorem virtutem adhibuisse Deum in auertendis idololatria hominibus, quam in resuscitando Christo à mortuis: & alibi ostendit Christum resuscitaturum corpora nostra, eò quod potestatem habeat subijciẽdi sibi omnia, id est, peccatores cõuertendi: ac si difficilius esset peccatores conuertere, quam omnes mortuos resuscitare, qui iam inde à mundi exordio fuissent, & per diuersa loca dissipati

Ephes. 1. Philipp. 3.

dissipati iacerent. *Facilius* (inquit CHRISTVS) *est, camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cælorum,* quod nihilominus possibile est Deo, quippe qui diuitem sua gratia sanctificare possit. Sanctus Ambrosius sic ait. *Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu vt inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur,* id est, potuit CHRISTVS ex nihilo mundum condere, poterit vtique & panem in suum corpus commutare: Ex quibus colligis, difficillimum ex tribus esse, peccatorem conuertere; & facillimum creaturas mutare. Matt. 19. 24. Ambr. 4. de Sacram. c. 4.

Sextum est, partem naturalem ad naturæ integritatẽ necessariam esse, vtpote sine qua natura esse, aut cõcipi non possit, & quod sine vlla natura non sit, sine qua nec concipi possit. Quippe pars naturalis siue essentialis in natura est, naturamque cõstituit, atq; ideo sine illa natura nõ potest cõcipi, Quẽadmodum homo sine anima, aut corpore cõcipi non potest. Partium essentialium necessitas.

Hinc sequitur *primo* exteriorẽ illã relationẽ corporis ad locũ extrinsecum; non esse proprietatẽ essentialem corporis; si modo quis aduertat, quo pacto considerare corpora & concipere sine respectu ad locum possimus: quando scil. corpora secundum essentialia consideramus. *Secundo,* sequitur, Deum facere posse ea, quæ nos non concipimus, ꝙ *maior* sit *corde nostro,* & plus facit quã cõprehendamus nos; quippe consideratio corporis sine relatione ad locum non corrumpit naturã. *Tertio* sequitur, corpus Christi penetrans clausas fores, & inexistens eidem, cum foribus clausis loco, locum non occupasset, vti quoque in sacramento alaris circumscriptus nõ est loco, In cœlo occupat locum suum, & in Sacramento altaris eadem cum proportione membrorum est, & situ, capite superius, pedibus inferius, brachijs ad latus, & manibus: non tñ sic, vt digito monstrare possis, hic est caput, ibi pedes, aut brachia, &c. Hoc docet Christus, cum ait, *Deo possibile* esse, vt camelum per foramen acus transmittat. Nam camelus sine sua magnitudine non est, neque sine sua paruitate foramen acus. Ideo vt vastum hoc & magnum animal per angustum foramen transire possit, sic, & sine consideratione loci accipiatur, vti etiam magnum corpus Christi in exigua hostia. Cõsentaria. 1. 2. 1. Ioan. 3. 20. Eph. 3. 20. 3. Matth. 19. 26.

4. Sequitur *Quarto*, contra naturam corporis non esse, vno tempore in diuersis locis esse, quippe qui tali modo sine annihilatione naturæ concipere aliud possimus. Dubitat Diuus Augustinus num sancti cum Christo regnantes, qui in diuersis locis operantur miracula, omnibus illis in locis præsentes sint, docens animā vnā, vno eodemq; tempore, diuersis illis in locis esse posse. Si illud animabus potest obtingere, nō læsa illarum vnitate, quare nō obtingeret quoq; corporibus, nō destructa illorum natura? Sic Christi corpus in cœlis est, & per diuinam potentiam in omnibus locis, in quibus Sacramentum altaris est. *Quinto* sequitur, valde stupide Caluinistas arguere Catholicos, obtrudendo illud, Pater noster, qui est in cœlis. Quia si in cœlis est, in terris esse non potest. Certe stupidi hi hæretici hæc tria non vident. *Primo*, Christum in terris viuentem orationem Dominicam condidisse, nec per Patrem seipsum; verum Patrem cœlestem intellexisse. *Secundo*, CHRISTVM in cœlis existentem posse etiam nobis in terris adesse, cum non solum de spiritu suo (cuius gratiam alias promiserat) sed etiam de suo corpore promiserit, dicens. *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem sæculi*, id est, ipse Iesus Deus, & homo, nec mea diuinitate, nec humanitate mundum sum relicturus. *Tertio*, quod priora verba ex symbolo Apostolico non intelligant, videlicet. *Credo in Deum Patrem omnipotentem*. Si enim Deus omnipotens est, poterit vtique vnum corpus diuersis in locis constituere. Hi stupidi doctores de Dei omnipotentia differentes, primò quæstionem faciliorem mouere deberent, Quare nimirum ex nigra vacca, album lac proueniat, & ex nigro cygno candidæ plumæ prodeant: item, cattorum seu felium aliæ nigræ, aliæ albæ, aliæ diuersi coloris, aliæ rubræ sint: quo pacto aranei tam artificiosè telas contexant, & ab vno muro ad alium sine volatu pertingant, & quare communiter capite deorsum spectent. Permultæ aliæ quæstiones sunt de apibus, lumbricis, muscis, & id genus alijs vermiculis, quibus longè melius hi corcæbi intellectum suum fatigarent, quam vt hæc diuina mysteria, adeo impie exquirant & ludificent. Disputantibus olim gentilibus con-

Marginal notes: *Aug. l. de cura pro mort. c. 16.* — 5. — Hæreticorum errores. — 1 — 2. — *Ioan 14.* — *Matth. 28. 20.* — 3.

contra Christianos de omnipotentia Dei, alias illis quæstiones Diuus Augustinus proposuit, de contingentibus *Aug. 21. Ciuit. c. 4.* quotidianis; quare videlicet pauonis caro non putrescat, & carbones quare non corrumpantur; tametsi terra humida obruantur infossi; quare calx viua aqua resoluatur, non vero oleo: quare paleæ tanta vis data vt obrutas niues seruet, & poma immatura maturet, quare magnes ferrum rapiat ab vno latere, ab altero verò raptum remittat, & cæt. His respondere solent, hanc naturam rerum illarum esse, Diuus vero Augustinus sic respondet. *Breuis sane ista est ratio, fateor,* *Aug. sup.* *sufficiensq; responsio. Sed cum Deus auctor sit naturarum omnium, cur volunt fortiorem nos reddere rationem, quando aliquid velut impossibile nolunt credere, eisq; redditionem rationis poscentibus respondemus, hanc esse voluntatem Dei omnipotentis, qui certe non ob aliud vocatur, omnipotens, nisi quoniam, quicquid vult, potest.*

Venit Iesus, & stetit in medio eorum. Non oportet hic cogitare quempiam CHRISTVM venientem: sed tantum in medio eorum stantem conspexisse: quomodo enim ingressus fuerit, vidit nemo. Nam gloriosum corpus potest se præbere inuisibile, & se spectandum cui & quando vult. Hoc denotat verbum; *stetit,* ac si diceret, non iuit vt staret, sed stetit. III.

Stetit. quid?

Nota primo, *stetit,* & non sedit, vt doceret *primo,* quod apud eos non in ista humana specie mansurus esset, sed cœlos conscensurus. *Secundo,* vt doceret nos, quod ad vtilitatem nostram surrexerit, cœlosque, vt assisteret nobis semper, & opitularetur, conscenderet. Sic enim eundum vidit quoque sanctus Stephanus stantem à dextris Dei, cum ad lapidandum raperetur. *Tertio,* ne relaberemur, posteaquam iam semel à peccatis surreximus. *Quarto,* vt admoneret nos, vt corda nostra semper in altum leuaremus, de Deo sæpe cogitaremus, in eo spem nostram poneremus, & ad omnem eius voluntatem parati staremus. Idcirco neque genua flectimus in omnibus Ecclesiæ precibus Pascha inter & Pentecosten, vt semper erecti in virtutibus staremus. Hoc quippe tempus æternitatem gloriæ cœlestis designat (inquit Augustinus) vt cœlestem vitam viueremus, post susceptionem

Christus cur steterit? 1. 2. *Act. 7. 55.* 3. 4. *Aug. tr. 27. in Ioan.*



nem huius gloriosi corporis, quod ad nos hoc paschate inuitauimus.

Christus in medio.

Nota *secundo*, libenter Christum *in medio* esse. *Primo*, tan-
1. quam verum mediatorem & Pacificatorem Deum inter & hominem: inter nos & proximum: inter animam denique & spiritum. Hinc orat sancta Ecclesia, *Da nobis, quam mundus*
2. *dare non potest, pacem*. *Secundo*, tanquam adiutorem, qui velut ex medio omnia, quæ cuiuis desunt, conspiciat, vti cor in medio corporis sedem habet, ad omnia membra suis necessarijs instruenda: sic Rex in medio regni sui est. Et Moyses
Exod. 8.22. Pharaoni ait, vt sciat, Dominum *in medio terræ* esse, *qui ponat*
Psalm. 81.1. *diuisionem inter populum suum & populum*. Et Dauid, *Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat*. Nam vltimam suam sententiam super bonos, & malos, superbos, ac humi-
3. les feret. *Tertio*, tanquam consolatorem, qui cuiuis æquè proximus sit, & à quouis videri & inaudiri possit. Do-

Christus cur in medio.

cens nos *primo* quod in medio mundi notus sit, & in o-
1. mnibus locis, qui antea tantummodo in Iudæa, vno mundi angulo visus erat, attestante Dauide. *Notus in Iu-*
Psalm. 75.1. *dæa Deus, in Israel magnum nomen eius*. Nullus certe locus est in quo de CHRISTO homines non loquantur. Etenim non Christiani modo per orbem vniuersum dispersi sunt; sed etiam Iudæi, vt suis in testimonijs ex veteri te-
2. stamento productis, fidem nostram confirment. *Secundo*, vt quiuis refugium suum in eo collocet, quippè æquè pauperibus atque diuitibus vicinus est, indoctis perinde
Act. 10.35. ac doctis, infirmis perinde ac firmis, &c. *Acceptor personarum nõ est*, sed vti sanctus Petrus ait, *in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi*. quod inprimis afflictis, & con-
3. tritis corde magno solatio futurum est. *Tertio*, quod in medio tui esse desideret, videlicet corde, Quemadmodum
Prou. 23.27. ait, *fili præbe mihi cor tuum*. Plerique CHRISTVM in ore gerunt illum solummodo labijs honorantes: plerique in auribus, qui libenter aliquid boni inaudiunt: plerique in oculis, quibus deuotæ imagines valdè arrident, & Catholicæ Ecclesiæ cæremoniæ: plerique in manibus, quibus eleemo-

eleemosynas dispensare volupe est: plerique in pedibus, qui pauperum domos, & loca sacra libenter frequentant; nam omnes hæ bonæ inclinationes sine Deo non sunt, nihilominus Christus non adiuuabit te, nisi in corde tuo habitet per charitatem, tibique dicet *cor tuum longè est à me*. Cum in corde *Matth. 15. 8.*
tuo est, suâ gratiâ ac donis omnes potentias animæ tuæ illuminat, vti candela in medio conclauis posita, totum illud illustrat: item ignis in medio ardens, omnes circumstantes calefacit. *Fluuius aquæ viuæ, splendidus tanquam crystallus procedens de sede Dei & agni* fluit per medium platearum eius, & ex vtraque parte lignum vitę habet: nam speciosa, pura beneque firmata charitas à Deo in corda nostra descendit, & membra nostra atque potentias vndequaque fructuosas in vitam æternam facit. Sic ergo optimè ages, vt charitatem Dei corde tuo possidere, eaque mediante, opera vitæ præstare queas. *Apoc. 22. 1.*
Quarto, docere nos vult Christus, quod in medio semper nos esse oporteat, præsertim in duobus. *Primo* in ijs, quæ nosmetipsos concernunt, quando quidpiam fecęre cupimus, aut inchoare: quippe tum conueniens est, vt intellectum nostrum in medio statuamus, nec sinamus illum passionis impetu abduci. Si aliquem viuendi statum deligere vis, nequaquam passioni obsequere, sed te in medio tum mundani, tum Ecclesiastici status colloca, & considera hæc duo, &c. 4. Nos in medio. 1.

Nota *primo*, vter ex duobus ad præcepta charitatis, tum erga Deum, tum proximum perficienda sit accommodatior, quæ ideo Deus tibi dedit, vt per eadem ad æternam vitam peruenias, ad quam creatus es. Si verò aduerteris, statum Ecclesiasticum ex sua natura ad hoc aptiorem esse. Nota *secundo*, an tibi etiam sit accommodatior pro consideratione & dispositione tuæ naturæ, ac genij, vt enim vinum natura sua melius quam aqua est, non tamen febricantibus expedit: sic cum quouis ad Ecclesiasticum statum non vocato res se habet: vtpote, qui in seculari statu melius Deo seruire, quam si Ecclesiasticus aut Religiosus esset, posset. Nota *tertio*, vtrum ex duobus te in hora mortis deligisse malles. Nota *Quarto*, vter post hanc considerationem tibi melius arrideat, quibusque Comparatio status Eccles. & Laici. 1. 2. 3. 4.

de causis; bene aduertens, ne te passio impellat aut trahat. Hunc modum in omnibus tuis electionibus quotidie occurrentibus potes vsurpare. Si namque sequaris illum, omnesq; affectus tuos in medio colloces, Deum tibi ad futurũ videbis in electione illa, Quemadmodum ait, vt solum se tibi proponas, sibique soli placere studeas.

Nos in medio. 2. Centrum.

Alterum, in quo in medio positum te esse oporteat, proximum tuum concernit: circa quem acceptor personarum esse non debes, quasi vni præ altero prodesse velles contra rectæ rationis dictamen. Si in medio circuli punctum feceris, quod centrum vocant, omnes lineæ à puncto ad circumferentiam ductæ æquales erũt, nulla maior, aut minor, eo quod punctũ illud à circumferentia æqualiter distet. Quod si vero punctum illud paulo altius, aut demissius figas, omnes lineæ ab eo ductæ inæquales sunt, aliæ minores, alię maiores, eo quod centrum à circumferentia inæqualiter distet. Sic omnino singulis hominibus accidit, qui non in medio rationẽ rectam sequentes cõsistunt: sunt enim causa magnarum simultatum ac seditionum. Si superior sis, & vni maiorem amorem exhibeas quam alteri, inde murmur, odium, inuidia, rixæque nascuntur. Nam, si filij Iacob Patriarchæ tale odium in fratrem Iosephum conceperant, eò quod non sine ratione pater eum *plus alijs adamaret,* adeò vt venderent eum; quanto maior animorum dissentio, tunc exorietur, quando sine rationabili causa vnum maiori fauore, quam alium prosequimur? Homines nunc non adeo perfecti sunt, atque olim Apostoli fuerunt, qui super hoc exacerbati non sunt, quod Christus erga Ioannem Euangelistam peculiaria externa amoris signa ostenderet: sciebant enim Christum Deum esse, nullamq; personam accipere. Similiter si quempiam ad officium aliquod aut dignitatem, tua commendatione promotum vis, aut seligere, vide diligenter ne oculum adijcias alij rei, quam eius aptitudini, & cogitationes de affinitate, cognatione, quotidianoque conuictu seponantur. Amicus quidam apud S. Iob sic ait, *Non accipiam personam viri,* nam, *non scio quam diu subsistam, etsi post modicum tollat me factor meus,* perinde ac si diceret, periculosum est personas accipere; quandoquidem seuerissima

Gen. 37. 4.

Iob. 32. 21. & 22.

de

de eo est reddenda ratio in extremo die Iudicij. Singuli Deo æquè proximi sunt, qui neminem sine causa prępponi vult, aut postponi, & peccata omnia quæ ex tua mala electione nascuntur, tibi imputabuntur.

In quodam monasterio Ordinis Diui Bernardi accidit, Abbatem quędam laudabiliter alios regentem, morti appropinquare, Timentibus vero Religiosis, ne eius similem acciperent, commodum visum, vt super hoc consilium inirent, vbi iudicarunt rogandum Abbatem, vt successorem aliquem designaret: nam (inquiebant) nouit nos omnes, neque alium præter quam idoneum nobis dabit. Abbas nepotem suum in monasterio educarat, illisque eum proposuerat, dicens, bonũ illum ac prudentem & administrationi idoneum futurum. Et sic moritur. Religiosi delegerunt ex commendatione patrui hunc nepotem. Qui iam recens in Abbatem delectus & hortum ingressus, prope fontem substitit, & ex fonte gemẽtis vocem inaudijt dicentis, *O me infelicem*, qui sedulo aduertens, patrui sui vocem esse deprehẽdit. Postquam vero interrogasset, quisnam esset, & quidnam peteret, ex fonte vox illa respondit. *Patruus tuus sum, grauia tormenta sustinens*: intulit vero nepos: *quare? quippe qui bene vixeris.* Respondit, *propter te, quem ad Abbatiam postulauerim, non tuam respiciens aptitudinem, sed consanguinitatem, atque ideo familiam eleuare cupiens. Vt vero calorem illum in quo nunc versor agnoscas, æneum solum candelabrum in aquã demerge.* Quo facto, instar niuis metallum illud liquefactum est. Considera hoc, & te in medio cum Christo tene. Deum tantum respice, proximique tui commodum nulla habita personarum acceptione.

Lib. de viris illustr. ordin. Cistert.

Et ait illi pax vobis. His verbis Christus salutauit discipulos suos quinque de causis. *Primo*: Eò quod hæc vulgaris & obuia Iudæorum salutatio esset. Sic Ioseph fratres suos salutabat, & Dauid diuitem Nabal & Amasai, Regem Dauidem denique Angelus Domini tam Gedeonem quam Tobiam. Quem etiam salutandi ritum Angeli in nouo testamento, cũ in natali Domini canerent: *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, seruauerunt. Insuper & Christus suis discipulis, sic vbi domum quampiam intraturi essent, vt dicerent, *Pax huic do-*

IV. Christus cur salutet? I. *Gen. 43. 1. Reg. 25. 1. Paral. 12. Iudic. 6. Tob. 12. Luc. 1. Luc. 10. 5.*

mui præcepit. Blanda & ſuauis ſalutatio eſt, quę omnia nobis bona precatur: quiſquis enim perfectam ſinceramque pacem habet, is habet omnia. De hac admonendi ſunt illi, qui nimis mundane cum Hiſpanis ſtantes aut ambulantes, inquiunt. *Bezolas manos*: aut ruſticè cum Germanis, *venis*? aut decenter cũ Belgis, *bonus dies*. Chriſtianos decet ſibi inuicem aliquid boni precari, videlicet Deus ſalutet te, proſit tibi Deus, aut Deus bonum tibi diem aut noctem, aut veſperum largiatur: at in gratiarum actione non dic. *Grand merci.* ſed *Deo gratias*, id eſt, Deus te remuneretur æterna mercede. Hæ Chriſtianæ ſalutationes ſunt, gratiarum actiones & colloquia. *Secundo*, vt oſtenderet ſe eſſe (inquit S. Chryſoſtomus) & qui abiens illis dixerat: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*, *in me pacem* habebitis, & *in mundo tribulationem*, &c. Et rediens eandem conferat. *Tertio*, vt eis timorem eriperet, quem concepiſſe poterant ex eo, quod eorum incredulitatem caſtigatum veniret. Quemadmodum poſtea, quam corroboraſſet eos, fecit. In veteri teſtamento ſolebant homines hanc pacem à ſe inuicem expoſcere, cum ex improuiſo quiſpiam aduentaret, à quo ſibi timere poſſent. Sic ciues Bethleemitici ad Samuelẽ aiunt, expectato venientem. *Pacificuſne eſt ingreſſus tuus*? & Rex Ioram ait ad Iehu. *Pax eſt Iehu*? & Ieſabel. *Nunquid pax poteſt eſſe Zambri*? Sic quoque hic ait Chriſtus: *nolite timere*, aduentus meus pacificus eſt, neq; nocumẽto, ſed adiumento vobis futurus. *Quarto* vt fructum mortis ſuæ oſtẽderet, qui eſt pacẽ inter Deum, & homines ſtatuere, quam in eius Natali Angeli promiſerant, dicentes: *Pax hominibus bonæ voluntatis*, atque ideo ait: *Pax vobis*, id eſt, perfectam vobis pacem confero, qualem hucuſque mundus non habuit. *Quinto*, vt Apoſtolos ſuos ſupra modum triſtes cõſolaretur. Quod duobus modis præſtitit.

[Margin notes: Chriſtianorum ſalutatio. — 2. cauſſa. — Chryſ. ho. 85. in Ioan. — Ioan. 14. & 15. — 3. cauſſa. — 1. Reg. 16. 4. — 4. Reg. 9. 31. — 4. cauſſa. — 5. cauſſa. — Conſolatio Apoſtol.]

Primo adimendo illis puſillanimitatem: poterant enim
1. cogitare ſe à Chriſto abalienatos, eò quod in morte ipſius ac paſſione ſcandalizati eſſent: vti non pauci viri boni ſe in maximis peccatoribus numerant, magni vtique peccata ſua ac defectus faciendo. Sic quoque Chriſtus venit & ait: *Pax vobis*, ac ſi diceret. Angeli in natali meo hominibus veram pacem dandam

dandam esse cecinerunt, quando ergo aio, *pax vobis*, tuam voluntatem bonam esse prorsus demonstro teque idoneum esse ad suscipiendam in corde tuo pacem, quę hominibus bonę voluntatis promissa est. Vis constantem solidamque pacem habere? bonam voluntatem habe, non desiderium solum, quod velleitatem nominamus, qua quidem aliquid boni appetes & nihilominus illud, quod cum bono consentire non potest, retinebis (quemadmodmodum desides libẽter quidem surgerent, si labor in surgendo necessarius adhibendus non esset: & multi homines sancti quidem esse vellent, liberi à malis passionibus, & pacato cum corde viuere, absque labore, qui tamen, vt eo perueniatur per bona opera, requiritur) sed voluntatem tuam efficacem esse oportet, quæ omnes difficultates, laboremque seruiendi Deo perrumpat. Pacis via.

Secundo, adfert ingens bonum pacis, adeo quidem, vt omne intra se bonum concludat, &ab omnibus creaturis ametur & inuestigetur. Quidquid creaturæ vniuersæ agũt, id ad inclinationẽ earũ perficiendam sit, & quasi satisfactionẽ sibimetipsis dandam, id est, pacem. Ideo enim edunt animantes, volant muscę, pisces natant, subsidet terra, ascendit ignis, quo in loco cuilibet rei naturali suam pacem & quietem inueniant. Pace crescunt, & multiplicantur res omnes, quę alias discordia dilabuntur. 2. Pax quid.

Pax hominis in eo sita est, vt pacem habeat cum eo, quod illum hominem facit id est, cum anima sua: alioquin pacem nullã & quietẽ habet, tametsi corpore quiescat, vti terra aliæque insensibiles creaturę: Et licet habeat illud, quod sensualis delectatio concupiscit, vti bestiæ: licet diues, potens, sanus, intelligens sit, alijsque naturalibus donis probè exornatus, nisi tamen interior anima pacata sit, nec in consciẽtia remorsus sint, nihil mali in voluntate, nihil in Spiritu inconueniens, pacatus non erit. Pax hominis. Cõsectaria.

Ex his sequitur *primo*, malos homines nullam pacem habere, nec esse *impijs pacem*, vti propheta ait, tametsi enim exterius videantur in pace ac gaudio versari, quia quod volunt habe- 1. Pax non est apud malos. *Isa* 48.12.

habeant: nihilominus vbi conſcientiam ingrediuntur magnũ ibi fœtorem inueniunt, paci aduerſantem: quippe qui reperiant graueolentia peccata, quę illis pudorem, timoremque extremi iudicij incutiãt: Item prauas paſſiones, quæ ſuis eos inclinationibus, ventorum inſtar afflẽt. Si ſuperbus ſis, nec honoreris vt cupis, contriſtaris: Quemadmodum arrogans ille

Heſt. 3.2. Aman indoluit, quod Mardochæus pari cum alijs eum ho-

Matt. 27. nore non dignaretur. Si auarus ſis cum Iuda, inquietus eris vt ille, qui nec viuens nec moriens quietem vllam habere potuit. Inuidi inquieti cum Ioabo ſunt, qui ex inuidia Abner du-

2. Reg. 3. cem fraudulenter peremit. Iracundi cum Cain fratrem ſuum

Gen. 4. trucidante, & ſic de cæteris peccatis, quę magnam ſecum inquietudinem, quietem vero nullam adferũt, vti de idolis gẽ-

Hierm. 16. tilium Ieremias meminit. *Secundo*, ſequitur, omnes fideles

2. bonoſque homines veram quietem ac pacem poſſidere, &

Pax apud bonos. vnum eo magis præ alio, quo ſanctitas vnius, alterius ſanctitate maior eſt. Quinque enim ſunt genera hominum bono-

Bonorum genera. rum, qui Deo placent, fructuque bonæ voluntatis ſuæ id eſt, pace fruuntur. *Primi* ſunt, qui peccata ſua rite confeſſi, nondũ

1. plenarie ſatisfecerunt. Hi magnam conſcientiæ quietem percipiunt, eo quod à ſeruitute diaboli expediti ſint, & in ſtatu gratiæ collocati, id eſt liberalitate Chriſtiana, nihilominus obligatio ſatisfaciendi: ſiue hic, ſiue in futura vita, eos grauat. Talis Dauid erat accepta iam adulterij, & homicidij ſui reremiſſione per Prophetam Nathã illi dicentem: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, verumtamen filius qui natus eſt tibi mor-*

2. Reg. 12. 13. *te morietur.* Quod & factum eſt inſuper & Dauid à filio ſuo Abſalone regno deiectus eſt. *Secundi* ſunt qui quidem pro

2. peccatis mortalibus ſatisfecerunt, ſed inordinati ſunt ob multitudinem & vehementiam paſſionum quæ eos in quotidiana peccata ac venialia pertrahunt, quorum perſonam Diuus Paulus ſuſtinens ait. *Infelix ego homo quis me liberabit de*

Rom. 7. 24. *corpore mortis huius?* Hi quidem fruuntur pace, nihilominus cũ

3. aliqua moleſtia propter ſuam imperfectionem. *Tertij* quidem domuerunt adeo paſſiones ſuas, vt non facile illarum impetu in peccatum ruant: nihilominus maiorem, quam par eſſet, in ſe affectionem erga creaturas ſentiunt, quam contra

volun-

voluntatem nullo modo retinere cupiunt. Tales (teste Augustino) sunt qui filios, parentes, coniuges, aliosque amicos nimis sensualiter diligunt, quæ dilectio pacem attenuat, quando Deo sic disponente, amici illi nobis adimuntur : quippe qui *ligno, fœno*, aut *stipula* assimilentur, quę non sine pœna diligentis comburantur. *Quarti*, liberi ab his affectionibus sunt, ac prorsus seipsos in manus Dei resignarunt, in omnibus opere ipso Dei voluntatem implere cupientes, quales omnes illi esse deberent, qui ad religiosam sese vitam recipiunt, patrem, matrem, & quęcunque possidebant reliquentes, vt superioris voluntatem, pro sua voluntate, & intellectu acceptantes. Hi magnam quietem in resignatione inueniunt, eo quod quietissimi sub obedientia superiorum suorum viuant, vti filij Dei, *in manibus Dei*, teste Sapiente. Cæterum potest etiam cum hac resignatione aliqua imperfectio coniuncta esse, si ad vnum aliquod opus magis, quam ad aliud propensi simus? Quemadmodum discipulus ille Christum sequens (quem Philippum fuisse Clemens Alexandrinus testatur) qui mortuū patrem prius sepelire cogitabat, cui Christus ait: *sine mortuos sepelire mortuos suos, tu autē me sequere*. Erat illi difficile quidem ex naturalis amoris dictamine, nihilominus simplex obedientia præponderabat. *Quinti*, non modo resignati sunt in manus Dei, sed etiam in semetipsis perfectam æqualitatem habent, q̄ indifferentiā vocamus, qua omnia libēter exequūtur atq; perficiūt absq; inclinatione, qua ad vnū magis quam ad aliud propendeant instar libræ, cuius lances in æquilibrio tamdiu pendent, quod vni aliquid imponatur. Magna hæc virtus, & Apostolica est, quam in paucis hominibus inuenire est, Dauid de seipso ait, *tanquam iumentum factus sum apud te*, id est, non aliud volo Domine: quam tu vis: vti asino æquè acceptum siue auro, siue luto eum oneres. Hęc laudatissima illa cæca obedientia est, quæ omnia in bonis quæcunque præcipiantur, numerat, & voluntatem suam ac mentem pro superiorum voluntate ac mente commutat, quod in sancto Paulo videre est, qui cum tentasset ire in Bythiniam, ibique verbum Dei loqui, per visionem monitus est, ire in Macedoniam. Quamobrem ilico opinionem suam mutauit.

Margin notes: Augu. 21. Ciuit. c. 21. — 1. Cor. 3. 12. — 4. — Sap 3. 1. — Clem. 1. Stro. — Matth. 8. 22. — 5. — Obedientia. — Psa. 72. 23. — Act. 16.

In hac indifferentia perfectissima pax, quam in hoc mundo inuenire non licet, collocata est, de qua Diuus Paulus loquitur, *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda, & intelligẽtias vestras.* Hoc plerique gentiles Philosophi intellexerunt, ex quibus vnus Aristo nomine aiebat, maximum bonum & finem hominis esse, adiaphoriam, siue indifferentiam (vt de illo Clemens Alexandrinus scribit) quippe quæ homini satisfaciat sic quidem, vt nihil aliud velit, quam quod vult Deus. Quisquis talis est, cœlestem vitam ducit, in qua Dei voluntas regula & mensura est, omnium operum voluntatis & intellectus. Ad eiusmodi hominem ingressus diabolus non habet, quippe manus Dei custodit illum, de quo Sapiens ait, *Iustorum animæ in manu Dei sunt.* Quo si pertingere desideras, contemne teipsum, instar cadaueris te habe, cuius nihil interest, quomodo illud tractes, colloces, alloquaris, aut vestias. Sic de seipso Paulus ait: *Mũdus mihi crucifixus est, & ego mũdo,* id est, non est mihi maioris mundus, quam homo in cruce pendens, quo loco & me mundus habet. Hæc pax est, quam discipulis suis dedit Christus, & in sua sancta Ecclesia cordibus, fidelium inseruit, quam & iam Apostoli in suis epistolis toties nobis optant, videlicet Sanctus Paulus. *Pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore.* Post hanc vitam autem perfectior pax dabitur gloriosis animabus in cœlo, quæ modo desideratis fruuntur. Quantumuis enim sancti in hunc mundo perfectam pacem pro conditione huius vitæ habeant, nihilominus interdum inquietudinem aliquam sentiunt, præsertim quando suas imperfectiones & quotidiana venialia peccata respiciunt & ad præsentiam sui dilectissimi anhelant. Verum in altera vita omne eorum desiderium implendum erit, testante Dauide. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* post extremum iudicij diem hęc ipsa pax aliquam adhuc perfectionem consequetur, per gloriam corporum, qua modo animæ indigent & ad quam naturaliter inclinant, ea *vestiri* (vt Scriptura loquitur) cupientes.

Phil. 3. 7. Clem. 2. Stro. c. 7. Sap 3. 1. Gal. 6. 14. Coloss. 3. 15. Psal. 16. 15. Apoc. 6. 11.

V. *Et cum hac dixisset, ostendit eius manus & latus.* Hæc Sanctus Lucas sic narrat: *Pax vobis, ego sum, nolite timere, conturbati vero & conterriti,*

Luc. 24. 36.

conterriti, putabant se spiritum videre. Et dixit eis, quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? videte, manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum palpate, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hac dixisset ostendit eius manus, & pedes.

Nota *primo*, Christum Apostolis timorem adimere, vt nos doceret *primo*, tum huiusmodi tempus fuisse, quo iustissimam timendi causam homines haberent; propter diaboli tyrannidem, qui *Princeps huius mundi* erat, omnesque defunctorum animas, in locum suum, videlicet Infernum, pertraheret, qui à Sancto Iob *terra tenebrosa & operta mortis caligine* nominatur. Idcircò mors admodum terribilis erat, de qua docti dixerunt, inter terribilia *terribilissimum* esse ipsam *mortem*, sed per Christi Resurrectionem terribilitatem suam perdidit, ac *pretiosa* facta est, perhibente Dauide, & post illum Diuo Ioanne *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. Diuus Paulus inquit, mortem suum *stimulum* perdidisse, quo configere homines solebat. Qui enim post Christi Resurrectionem moriuntur absque peccato, illi per mortem, tanquam per ianuam in cœlum volant à corpore. Secundo, docemur à Christo causam non timendi: quia videlicet in medio esset Christus, quemadmodum ipse ait: *Ego sum, nolite timere*, id est, qui apud me sunt, & viciſſim apud quos ego sum, timere non debent. Hoc Sanctus Iob intellexit, cum diceret, O Domine, *pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me*. Et Dauid, *si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*, domine. Si ergo timere non velis, Christo coniungere: non vero ab eodem disiungere. Ab illo namque disiuncti sunt ac diuisi *Primo*: quia pro sua capitis vertigine viuunt extra Ecclesiam, tanquam præsecti palmites à vera vite, nimirum Christo. *Secundo*, qui in peccato mortali sunt constituti, de quibus Diuus Paulus ait, *qui Spiritum Christi non habet, non est eius*. Hi enim continuo à maligno Spiritu rapiuntur, ac magnam timoris caussam habent, quemadmodum mus inter vngues catti, & agnus inter dentes lupi habet, quod timeat.

Timor Apostolis exemtus. Ioan. 12. 31. Iob. 10. 21. Psal. 115. 15. Apoc. 14. 13. 1. Cor. 15. 55. Iob 17. 3. Psal. 22. 4. Disiuncti à Christo. 1. 2. Rom. 8. 9.

Nota

Terror Apostolorũ. Nota *secundo*, Apostolos omnes conturbatos & conterritos fuisse eo quod se spiritum videre arbitrarentur. Nam tametsi eum Petrus, Iacobus, ac duo discipuli in Emaus euntes vidissent, non tamen sibi persuadere poterant, Christum suo corpore præsentem esse, eo quod clausis ianuis ingressus esset. Nondum enim intelligere poterant, quo pacto clausis forib⁹ corpus ingredi posset, quod videretur & tangeretur. Nondũ gloriosi corporis qualitates capiebant, quas eos Christus hic docere voluit. Nam ostendendo manus & pedes, vt palparẽt porrigendo, declarabat verum corpus esse: & ingrediendo ianuis clausis, docebat gloriosum esse, nec amplius passibile vti ante fuerat. Conspectus spirituum meritò monet nos, ac territat, eo quod altioris naturæ sint, quam nos simus; nec proportionem vllam id est, æqualitatem nobiscum habeant, vti sensibilia, quæ capacitate sensuum maiora sunt, sensus ipsos corrumpere solent: vehementius lumen obtenebrat visum, maiores compulsationes auditum, maius frigus aut calor tactum. Ad eum modum neque nos solem intueri possumus, quod tamẽ aquilæ possunt, propterea quod visus eorum fortior nostro sit: Item is qui diutius in lumine solis stetit, melius illius efficaciam tolerare potest, quam ille, qui ex tenebrosa aliqua spelunca proripit. Hic disce primum spirituales homines, quibus vsitatum est cum Spiritibus conuersari, id est, cor suum ac cogitationes Sanctis Angelis adiungere, vti Apostol.

Phil. 3. 20. Paul. ait, quorũ *conuersatio in cælis est*, nec facile conterreri aspectu spirituum aut Angelorum: vti Maria Mater Domini non

Luc. 1. 29. tam *conturbata* Gabrielis Archangeli præsentia fuit, quam humilitate verborum eius, & extraordinaria salutatione. Quare exerce te in vita tua pijs contemplationibus, & sanctis adiunge cor tuum, illosque semper præsentes iudica, nec conturbaberis, sed gaudebis in hora mortis tuę, quando te visitatum

Terror ex visu dæmonum. venient. *Secundo* disce, quam terribilis & metuendus aspectus malorum Spirituum futurus sit, in sua turpitudine hominibus apparentium. Illi namque triplici de causa metuẽdi sunt.

1. *Primo*: quia natura eorum, admodum sublimis est. *Secundo*, quia ea per peccatum admodum fœda ac terribilis appareat.

2. *Tertio*: quia eorum voluntas summumque desiderium aliud non est,

non est, quam te sempiternis tormentis pro amplissima potestate quam habent excruciare: O peccator homo, quid ages, quando abominabiles hæ, creaturæ te conueniunt, magno numero, summo cum terrore, non solum ad territandum te, sed etiam sempiternis tormentis cruciandum?

Nota *tertio* verba Christi. Quare *estis tristes, & cogitationes ascendunt in corda vestra*? quibus nos docere vult rationes, propter quas homines commoueri & percelli soleant, videlicet, quia eorum cogitationes ascendunt. Duo genera cogitationum habemus. *Primæ* de cœlo deorsum venientes, quę propter munditiem, suam ac puritatem, nullam secum obscuritatem conferunt, de quibus Dauid ait. *Audiam quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem suam*, id est, quando Deus interius loquitur, tunc pacem, & tranquillitatem in corde cuiusque parit, vt nos verbum eius audiamus & intelligamus, sine vlla turbatione solita intellectum perturbare: Et alibi. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, Deus in medio eius non commouebitur*, id est, Inspirationes Domini suauiter cor ingrediuntur, quod velut refrigerent, & consolentur. Immo Deus ipse eo venit, & in medio eius habitat, ideo sine vlla turbatione pax ac tranquillitas in illis est, Hoc percipiũt, qui in meditationibus suis ac precibus à Deo inuisuntur. *Aliæ* cogitationes ab inferioribus prorumpunt, quæ præterquam quod terrenę sint, ac fœditatis plenæ, vehementer obscurare hominem; ac commouere solent. Cum cacabus pisis aut fabis plenis, igni impositus est ac feruet, mouetur aqua & per ebullitionem materiæ, quę in eo est, adeo turbatur aqua, vt fundus videri non possit: hoc modo secularium hominum corda mouentur ac turbantur terrenã fecem in se habentia, quando aliquo verbo aut facto læduntur: Minimum verbum, ambitiosum commouet: & minimã lucri cessatio, auarum: item aspectus alicuius pulchritudinis impudicum, eo quod pleni terra sint, terrenisque cupiditatibus, honoris, pecunię, voluptatum &c. Nec solum peccatores mouentur turbanturque, sed etiam pij homines, qui semetipsos nimium distrahunt terrenis curis, vt Martha fecit, quæ sollicitè & inquiete multis rebus occupatur, quamobrem etiam

Cogitationum genera.
1.
Psalm. 84. 9.
Psal. 45. 6.
2.

iam illam Christus admonuit, tametsi eius solicitudo bona admodum & meritoria fuerit. Qui namque vitam actiuam amplectuntur, non decet omnino sese effundere sed in pace cor cohibere, illudque cum Deo sæpius vnire, quod quotidiana meditatione, & auditione sacrificij Missę quotidiana, itē examine conscientię vespertino, ac frequentata eleuatione cordis per diem, tum Sacramentis cōfessionis & Eucharistię, quæ ad minimum singulis hebdomadis frequentanda essent perficere. Vnde sequitur, quod cogitationes ex solicitudine non ascendant, sed sub rationis imperio sese contineant. Nihil adeo, quam dubia de rebus fidei turbant, quæ in Apostolis fuêre. Quamobrem Passionis tempore sic dissipati sunt,
Ioan.10. huc illucque discursantes, *tanquam oues sine pastore*, quas lupus inuasit. Et tametsi sese rursum collegerint, non tamen intus dispositi erant, vt oporteat, quoad remota omni dubitatione
Hæresis mala. firmiter crediderint. Hæresis perturbationes multas in rebus
1. omnibus inducit. *Primo* namque interius in corde per inuidiam, carnales cupiditates, inquietudinem in noua fide (quæ quotidie vicissitudinem importat) per obstinationem, aut pertinaciam omnia media considerantem & conquirentem,
2. vt nouitia commenta retineant, atque propagent. *Secundo* exterius in Rebuspub. per contentiones, bella, sacrilegia, rebelliones seditiones, & terrę vastitatem. Quare à dubijs fide, diligentissime caue: & vel maxime, vt impacatum malum à te arceas labora, cum quo pax nulla, sed contentiones & sempiternæ inquietudines inueniuntur.

Nota *quarto*, Christum cum glorioso corpore impassibilem deinceps resurrexisse & immortalem, seruans nihilominus quinque sua principalia vulnera in manibus, pedibus ac latere. De alijs vulneribus, quæ toto corpore per coronationem & flagellationem accepit, nihil legimus, quippe sanata erant illa, & magna, claritate adornata. Poterat
Christus 5. vulnera retinuit ob 6. caussas. namque hoc modo & quinque residua vulnera sanare, sed
1. propter sex causas ea voluit retinere, *prima*, vt ostenderet discipulis suis se eodem cum corpore resurrexisse, quod in Cruce tam clauis, quā lancea in manibus, pedibus, ac latere transuerberati viderant. Huius fides ad confirmandum spem nostram

nostram necessaria erat, quod nos quoque in extremo iudicij die, in illomet corpore nostro resuscitandi simus, non in alio vti Iob ait. *De terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius, hæc spes mea in sinu meo.* Quare Christus gloriosus non apparuit, vt lucidè refulgeret, quo Apostoli idemmet corpus eius agnoscerent. *Secunda*, vt arma alia retineret, quibus diabolum strauerat, vt Dauid gladium asseruauit, quo gigantem illum Goliathum vicerat, in quo toto vitæ suæ decursu pugnarat, vt nos ijsdem armis semper aduersus diabolum vteremur. Quod facimus, quando in illum signum crucis sanctissimæ formamus, illa vtique efficacia, quam illud ipsum à vulneribus mutuatum est.

Iob 19. 25. — 2. — 1. Reg. 21. 9.

Tertia, ne vnquam nostri immemor esset, sed semper ante oculos, vti per Isaiam ait haberet. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui: & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscor tui. Ecce in manibus meis descripsi te.* O quam plenum solatij hoc verbum est, & quam ingrati nos, qui Deo adeo parum confidimus! *Quarta*, vt hæc vulnera in cœlum transferret, suoque Patri cœlesti semper illa pro nobis exhiberet, tanquam pretium ac lytrum, quod pro nobis pependisset dicens. *His plagis plagatus sum in domo eorum qui me diligebant*, id est in familia & domo, atque à Posteris Abraham Isaac & Iacob: *illi* namque *foderunt manus meas*. Et sic *Sacerdos in æternum* est, offerret in cœlo illud perpetuò sacrificium, quod in ara crucis semel obtulisset. *Quinta*. vt sanctis in cœlo pepetuum solatium ac gaudium præberet, eosque ad gratias referendas impelleret, per magnum illum eius amorem quem inspecturi, quando vulnera & intollerabiles pene cruciatus, quos pro illis exsorbuit, contemplabuntur. Canent enim æternum: *dignus est agnus, qui occisus accipere virtutem & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem in secula seculorum, Amen.* O quãtum gaudium erit, quando magnum illum amorem Dei tui conspecturus eris, & agniturus, cuius tu fructum, præ multis alijs qui eo nunquam penetrabunt percipies. *Sexta*, vt illa in

3. — Isa. 49. 15. — 4. — Zach. 13. 6. — Psal. 21. 18. — Psal. 109. 5. — 5. — Apoc. 5. 12. — 6.

extremo iudicij peruersis ostendat (inquit D. Augustinus) exprobrans illis suum ingentem amorem,& illorum ingratitudinem. Quippe hi non solum causa fuerunt horum vulnerum sua malitia peccatisque, vti omnes homines, verum etiã medicinam hanc contempserunt,& reiecerunt. Hinc Zacharias ait, quod visuri sint *in quem transfixerunt*, atque ideo valde plorabunt, aduertentes se in æternum illo remedio spoliandos & duplicem pœnam toleraturos, tum propter peccata, quę Christum ad hęc vulnera suscipienda coegerunt, tũ propter propriam ingratitudinẽ, quod ijs remedijs vti neglexerint.

Zach. 12. 10. Ioan. 19. 37.

Christus cur vulnera sua ostenderit?

Nota *quinto*, Apostolis Christum sua vulnera ideo ostendisse, non modo vt eos de sua resurrectione certificaret, vt diximus, sed etiam , vt nobis *primo* pacem commendaret, qua discipulos suos salutabat, exhibens ipsis vulnera sua, quibus eos coemerat, ac si diceret: adfero vobis pacem, quæ mihi adeò carè constitit, vt hæc pro ea vulnera excipere debuerim. Sic vobis commendo pacem meam, vt omnem fugiatis contentionem, quisquis enim in Ecclesiam meam discordias intulerit, illum *odiuit anima mea*, eo quòd non modo tunicam meam laceret; Verum etiam corpus meum conuulneret. *Secundo*, vt veram nos patientiam doceret in omnibus ijs , quæ nobis euenire possunt. Vt enim Christus exhibens sua vulneca, & ad ea tangenda discipulos exhortans, & ab illis quoque contacta sunt, nullũ ideo dolorem sensit: sic omnes Christianos decet, qui cum Christo resurrexerunt: propter amorem eius in omnibus aduersis durare, firmiterque consistere & vt dilabantur tribulationes omnes permittere. Quotiescunque imber vehemens cadit, plurimum aquę in canales influit, nihilominus ipsi inconcussi manent, quo modo & nos inconcussos in aduersis obuenientibus, durare oportet. Ieremiam Dominus Deus vt *columnam ferream murumque æreum* firmauit, ne timeret. In ferreis incudibus omne ferrum absque earum violatione cuditur, quibus similem constantiam nos habere oportet, nihili faciendo mala, quæ nobis siue obiectantur, siue irrogantur: quippe, qui nos verberatum veniunt, semetipsos lædũt. *Tertio*: vt nos doceret, quod per humilitatem agnosci à nobis velit, vt nos humilitatem eius imitemur. Quodsi

Prou. 6.

Hier. 1. 18.

Marginal item numbers: 1. (beside "ximus, sed etiam"), 2. (beside "tundo, vt veram"), 3. (beside "sos lædũt. Tertio")

se in

ſe in glorioſo corpore exhibuiſſet, fortaſſe ſuperbire potuiſſent diſcipuli: vti ſerui, qui magnis Dominis in ſeruitio ſunt, eorum amplitudinem imitari exoptant. Iam verò inuiſit eos cum ſignis, in patibulo crucis acceptis, vt nos in humilitate cohiberet quo magis paſſionem eius recolerent, quam vt ad honores anhelarent. Duo fratres Iacobus & Ioannes de- *Matt. 20.* ſeſſione ad dextram & ad ſiniſtram cogitabant: ad vero Chriſtus ijs de calice mortis & paſſionis loquebatur. *Quarto*, ne e- 4. rubeſcamus, ſi quando contingat nos aliquid Chriſti, aut bonorum operum cauſa ſuſtinere: vti enim Chriſto ignominię non fuit, ſua vulnera circumferre, ſed gloriæ: ſic quoque tibi ignominioſum non erit ſi quando pro bono opere à mundo vituperaris, aut percuteris. Conſtantinus Imperator membra *Theod. lib. 1. c. 11.* ſanctorum Epiſcoporum illorum in primo Concilio Nicæno oſculabatur, qui à tyrannis excarnificati erant: inde aliquam **Conſtantini magni pietas.** benedictionem ſe relaturum ſperans, inquit Theodoretus. Ergo neque te bonorum operum pudeat: tametſi enim corã Deo contemptibilia ſint, nihilominus tamen ſunt honorifica, & efficacia, omnem vt penitus diabolo poteſtatem adimant. *Quinto*, vt nos non modo verbis, ſed etiam operibus proxi- 5. mum inſtrueremus: multum loquendo de amore, de humilitate, de liberalitate, alijſque virtutibus, Oſtende deductas manus, & liberales eleemoſynas da, nec centum clauibus cuſtoditam tene pecuniam, ſed eam per vulnerum Chriſti hiatus perfluere ſinito propter amorem illius: oſtende pedes, celeriter currendo ad opera humilis obedientiæ: oſtende latus, & neque inuidus ſiue duplex ſis, ſed ſincerus & rectus. *Sexto*, 6. quod in gloria ſua non minus virtutis habeat, quam in hoc mundo habuerit, quãdo nos ad dignitatẽ aliquã euehimur, ſocios noſtros vix agnoſcimus. Chriſtus diſcipulos etiam poſt reſurrectionem agnouit, & ſic ſeſe ipſis exhibuit, vt vulnera eius viderent & tangerent. Sancti cum Chriſto nunc in cœlis regnantes habent virtutes multo perfectius ſine vlla imperfectione, quæ tamen in nobis aliquibus defectibus permixtæ ſunt. In manibus ſuis liberalitatem ſuos in pios oſtendit, & in malos iuſtitiam: in pedibus promptam iuuandi nos voluntatem: in latere paternum amorem, qui nobis cor eius ape-

ruit, & ex eo omnem suum sanguinem animamque nobis donauit.

Verba Christi tria. Nota, *Sexto* tria verba, quæ Christus in exhibendis manibus, pedibus ac latere locutus est, quibus docet nos, quid facere oporteat, quo illius Passiones, ac resurrectionis participes fieri possimus.
1. *Primum* est, *videte*, id est: credite, quidquid de mea Passione in Scripturis legitis, aut auditis: quippe fides virtutum omnium est fundamentum.
2. *Secundum* est *palpate*, id est, sustinete aliquid, siue vos metipsos aliquam patientiæ materiam imponendo per pœnitentiam, siue patienter ea, quæ imponuntur à Deo ferendo: Vbi Christum omnia pœnarum
Quid Christus passus. genera passum esse, cōsidera. *Primo*, amissionē bonorū omniū, eo quod nudus penderet in cruce, nō aliud possidēs q̃ in ma-
1. nibus & pedibus: clauos, coronam in capite, spongiā, sputa & fęditates in facie, item profusum eius sanguinem per totū cor-
2. pus idspersum: *Secundo*, amissionē boni nominis omnisq; honoris, qui tanquam latronū princeps habebatur, hominumq;
Deut. 21. 23. abominatio & maledictū Dei duos inter latrones in crucem
Gal. 3. 13. leuatus. Scriptura namq; ait. *maledictum* hominem esse, *qui pē-*
3 *det in ligno*, quia nulla ignominiosior erat, aut turpior mors, morte crucis. *Tertio*, tormēta in omnibus potentijs ac mēbris, in quibus nihil integrum aut pœnæ expers permansit. Anima
Matt. 26 38. *ad mortem vsq; tristis* erat, angustia afflicta, vulneratum corpus, oculi lacrymis irrigati malitiam Iudæorū intuentes: aures vexatæ, ingentes illas blasphemias & contumelias audiētes: Odoratus expletus illis fœditatibus, faciem incrustantibus: os
Psal. 21. 16. plenum myrrhæ, fellis & aceti acerbitate adeoque exsiccatū, vt *lingua faucibus* eius, vt Propheta Regius inquit, præ ariditate
4. adhęresceret. *Quarto*, nullū genus hominū pœnas illi infligētium defuit. Ecclesiastici non erant; erant seculares, viri fęminæ, iuuenes, senes, Iudæi & Ethnici, principes & subditi, amici, deniq; & inimici. Nam dilectus Apostolus eius Iudas prodi-
S. Tho. p. 3. q. 46. a. 6. dit ipsum, & tradidit, itē reliqui discipuli omnes eum deseruerunt. Idem ait D. Thomas, Christi tormēta, omnia alia tormenta superasse, quę homo aliquis in mundo pati posset. Vti
Threr. 1. 12. Ieremias in figura ait: *vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte: an si est dolor sicut dolor meus.* Hæc si diligenter consideres, ad ali-

ad aliquid patiẽdũ quoq; excitaberis: quoniã nõ decet, vt sub capite spinis coronato, in voluptatibus homines viuãt. *Tertiũ* verbũ est, denuo *videte*, i. ex exigua passione vestra, magnitudinẽ passionis meę æstimate, difficile tibi est, bona tua amittere, nec dolorẽ dentiũ aut capitis tolerare potes, aliosq; corporales morbos, aut cõtumeliosa verba, cogita q̃ difficilia Christo illa tormenta fuerint, quæ sustinebat: præsertim cum tantus esset, videlicet Deus, haberetq; tenerrimum, temperatissimũ corpus, & diutius pateretur q̃ humana natura ferre posset, q̃ potẽtia eius diuina in suo esse continebat, vt diutius pati posset. Statim cõquereris, quamprimũ quidpiam tibi aduersatur aut deest. Fructuosius certe ageres satiusq; si in tuis passionib⁹, Passionẽ Christi recoleres, teq; ad cõmiserationẽ cũ illo excitares tuãq; exiguã passionẽ, cũ ingenti eius passione cõiungeres, essesq; *socius passionũ* Christi (vt Paul. inquit) quo in societate illius vili tuo denario multum lucrari possis, vti illi, qui in societate diuitũ, diligentiũ, & fortunatorũ mercatorũ, parua pecunia magnũ quæstũ facit: ideo. n. Deus tibi passiões immittit, vt illius eas passioni adiungas, ijsq; lucreris ac merearis. 3. Verbum. 2. Cor. 1. 7.

VI.

Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino. Hic fructũ Passionis Dominicæ habes, de quo D. Paulus ait, ꝙ *regnũ Dei nõ sit esca, & potus, sed iustitia, gaudium & pax in Spiritu S.* Christus. n. *imprimis* suis discipulis promiserat, quod visitatũ illos venire vellet. Quod modo tanquã iustus, & verax cõplet. *Secundo*, pacẽ illis attulit, dicẽs tertio. *Pax vobis. Tertio* gaudẽt, nõ propter inane aliquod bonũ, aut tẽporale, sed ꝙ Christũ videret, ob cuius absentiam admodum tristes fuerant. Et tu quoq; disce hæc tria seruare, quo regno Dei frui possis. *Primo* quidem sis fidelis & verax in promissis tuis. Cogita quid hoc Paschate Deo & confessario tuo, Dei loco promiseris: videl. vt vitam tuam emẽdes, superbiam deponas, impuram conuersationem reliquas, ebrietatẽ fugias, hostib⁹ deniq; tuis ignoscas. His promissis fideliter sta, neq; ad tua peccata relabere. *Secundo* pacificus esto ergo quẽlibet, quãtum tibi possibile fuerit. *Tertio* gaude, quando Christum videris, notabile namque argumentum est, quod Christi discipulus sis, si gaudeas, quãdo eum vides. Tribus verò illũ his modis vides. *Primo*: in Sanctissimo Sacramento Altaris. Rom. 14. 17. 1 Tria seruãda. I. 2. 3. Christus videtur à nobis. I.

2. *Secundo* in tuis ſuperioribus, tanquam illius vicarijs. *Tertio*
3. in pauperibus illum repræſentantibus. Vis ſcire num in numero diſcipulorum eius ſis.

Homo ſe examinet an Christi ſit diſcipulus.

I. Aduerte *primo*, num libenter Miſſam audias, & menſam diuinam adeas, honores adoresque venerabile Sacramentum, illudque in proceſſionibus ſequaris, ibique cor tuum effundas. Quemadmodum S. Gregorius de qua S. Gregorius Nazianzenus frater illius deſcribit, quod ſolidis noctibus ante altare, in quo erat venerabile Sacramentum poſitum, cum lachrymis & gemitibus orare ſit ſolita.

Greg. in Epitaph.

2. *Secundo*, num læteris in aduentu aut præſentia ſuperiorum tuorum, num diligas illos & libenter audias, non modo cum te docent, ſed etiam cum te reprehendunt & commonefaciunt, vti Apoſtolos Chriſtus propter incredulitatem in hac apparitione redarguit.

3. *Tertio* num libenter miſeros, egenos, deploratoſque homines videas, teque in ijs adiuuandis & ſubleuandis delectes. Quod ſi hunc bonum affectum in te inueneris, ſperare potes, te Chriſti eſſe diſcipulum: quod ſi vero aliquam auerſionem à ſanctiſſimo Sacramento Altaris ſenſeris, ſiue propter incredulitatem, ſiue propter fidei infirmitatem, ſiue propter teporem deuotionis, ſi tuos ſpirituales ſuperiores fugeris, eorumque fructuoſas admonitiones, aut libentius malum de illis quam bonum audieris: nec pauperes dilexeris, aut occaſionem nihil illis dandi captaueris, timendum eſt, quod Chriſtus te pro diſcipulo ſuo agnoſcat, nec poſtmodum agniturus & ſuſcepturus ſit. Vti enim vnus amicorum tuorum, qui ex Italia in haſce oras te interuiſum venit, ſi bene excipiatur à te in domo tua, te quoque humaniter ſi in illas oras veneris in domo ſua ſuſcepturus erit: eodem modo ſe Chriſtus poſt hanc vitam tecum habebit. Certiſſime ſcias, quod eum aditurus ſis, eumque in ſua Regione aſpecturus, vti ipſe Iudæis in Caiphę domo dixit. *Videbitis filium hominis ſedentem à dexteris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Si enim hîc cum gaudio videris, hoſpitioque exceperis, te quoque cum gaudio, & humanitate ſumma in cœleſte palatium recipiet.

Matt. 26. 64.

Sanctus

Sanctus Lucas de hoc discipulorum gaudio sic scribit. *Adhuc illis non credentibus & mirantibus præ gaudio dixit: habetis hic aliquid quod manducetur? at illi obtulerunt illi partem piscis assi, & fauũ mellis. Et cum manducasset coram illis, sumens reliquias dedit eis. Et dixit ad eos, hæc sunt verba quæ locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum: quoniam necesse fuit impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.* Luc. 24. 41.

Nota hic *Primo*, Apostolos dubitasse & nihilominus gauisos fuisse; quippe magnitudo gaudij dubitationem gignit, vti nos bonis nuncijs non tam facile fidem habemus ac malis, quantumuis illorum magis, quam horum cupidi simus. Tria hic de Apostolis dicuntur. *Primo*, quod non crediderint: nam tametsi Christum viderent, & vnanimes crederent, quod esset, non tamen credentes vocitantur, eò quod firmiter non crederent. Quare infideles sunt, qui tempore hæresum videntes tot genera opinionum in rebus fidei exoriri, aut vndequaque ad nouitatem se pertrahi, de eo quod tenere nolunt dubitant. Item, qui iniurijs quibusdam vexantur, quas aut sacerdotes, aut religiosi illis irrogant, aut eorum dissoluta vita offenduntur, cogitant interdum, immo palam dicunt, melius esse ad hæreticos perfugere, vbi tantam vexationem non patiuntur, neque tot exempla mala conspiciunt, quod in Ecclesia Catholica. Hi enim firmo fundamento non nituntur, quod verbum Dei, non vero vita hominum est. Perinde quoque increduli sunt & infideles, qui fidem suam immutant, qui secundum beneplacitum suum, nunc plus, nunc minus credunt. *Secundo*, dicitur, quod Apostoli mirati fuerint. Ex incredulitate & ignorantia admiratio nascitur. Si credidissent quod surrexisset Christus, & sciuissent gloriosi corporis conditiones, non tantopere præsentiã eius admirati fuissent, ac si factu impossibilis ea videretur. Est nihilominus bonum, mirari de eo quod Deus agit, non ex dubitatione, aut incredulitate; sed ex humili reuerentia, intuendo ingentem Dei potentiam, sapientiam, charitatem quam nobis exhibet, omnem intelligentiam nostram excedentem. Sic miramur ingens illud miraculum in Sacramento altaris, in quo charitas, sapientia, & omnipotentia Dei exhibetur, adeo

Dubium & gaudium.

Infideles qui?

Admiratio vnde.

vt cum Dauide dicamus. *Memoriam fecit mirabilium suorum* Psalm. 110. 4. *misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se*, videlicet perpetuũ cibum, quẽ nõ operibus naturæ, sed omnipotenti sua virtute facit, & infinita sua charitate donat. *Tertio*, ꝙ gauisi fuerint. Gaudium Apostolorũ Christi namq; præsentia gaudium parit hominibus bonæ volũtatis, tametsi adhuc imperfecti plenisq; defectib⁹. Hoc testantur duo illi discipuli, qui cum eo in Emaus profecti sunt, dicentes: Luc. 24. 32. *nonne cor nostrum erat ardens in nobis, cum loqueretur nobis in via?* Quare propter imperfectionem tuam nunquã Venerabile sacramentum accipere omittes: semper enim in eo internum solatium gaudiumque reperies.

Amor Christi. Nota *secundo*, Christi amorem ac desideriũ iuuandi discipulos. Non litigat, sed tantum cibum compostulat, vt eò veram suam esse resurrectionem probaret. Aliquos Angelos comedisse etiam legimus, vti illos qui diuertebãt apud Abrahã: Gen. 18. Tob. 12. & Raphaelẽ, qui iuniorẽ Tobiã in Mediã produxit. Verum id non ad testificationem illius, ꝙ vera corpora haberent, fecerunt; sed vt homines esse viderentur. Quare vere nõ comedebat, vti Raphael ait: Thob. 12. 19. *videbar quidem vobiscum manducare, & bibere; sed ego cibo inuisibili, & potu qui ab omnibus videri non potest, vtor*. Manducatio Angelorum, visibili modo fit, quando scil. cibum in visibile os immittunt, & visibilibus dentibus cõterunt, & in assumptum corpus demittunt, ex quo inuisibili virtute illicò exturbatur, & vbi volunt, deponitur. Christus verò manducauit, contriuit dentibus, & gustum sensit, & in stomachum demisit. Qui cibus in eius siue carnẽ siue sanguinem cõmutatus nõ fuit, sed illico euanuit, & in aërem alteratus est. Vti enim aqua à sole assumitur & cõsumitur, nihil soli dãdo, aut in eo cõmutando: at à terra ipsa imbibitur ipsámq; humectat: sic euanuerunt ex stomacho Christi, qui in nostro stomacho per totum corpus trahuntur. Act. 10. 41. S. Petrus ait, se vnum ex discipulis, qui cum eo manducarunt, & biberunt: ꝙ S. Lucas declarat dicens, eum reliquias discipulis dedisse. Luc. 24. 43. Quid biberit, scriptura non indicat: sed facile cogitandum est, vinum fuisse, secundum morem patriæ illius, vt impleretur quod in vltima cœna dixerat: Luc. 22. 18. *nõ bibam de hoc genimine vitis, quo ad regnum Dei veniat*, id est, post resurrectionem meam, qñ mundi Principem mihi subiecero.

Hinc

Hinc disces *primò*, sanctos post resurrectionem potentiam quidem edendi habituros, non verò necessitatem: gustum enim ciborum sensuri sunt, quando volunt, non tamen cibo nutrientur. *Secundo* disce, Christum post resurrectionem cibare. *Primo*, in suis pauperibus, qui cum illo resurrexerunt, videlicet, religiosi pauperes, qui cum Christo sanctam & gloriosam spiritualem vitam ducunt, & quotidie pro deponendis suis peccatis laborant, & vt secundum animam clarius splendescant & secundum exteriorem hominem probatius conuersentur. *Secundo*, in alijs pauperibus, hoc sancto tempore sacrosanctam Eucharistiam sumentibus: hi enim non modo eleemosynis iuuandi sunt, sed etiam mensæ adhibendi, pro veteri more Christianorum, apud quos talia conuiuia, Agapes, Theodoreto teste, vocabantur. *Tertio*, in vicarijs eius cum gaudio illorum præcepta seruando: si enim nos perficiamus ea, quod illi Dei loco nos docent, membra illum cibāt, eò quod cum eo vniti sunt, & in eius membra, dicente S. Gregorio, mutati.

Sancti edere possunt. Christus cibandus. 1. 2. 3.

Nota *tertio*, Christum cibari asso pisce, & fauo mellis, vt significaret *primo* ea, quæ illi in nobis placent. Assus namque piscis, tribulatio est, quam nos propter illum patimur, dicit Gregorius. *Secundo*, Fauus mellis est gaudium, quod in illis tribulationibus percipimus. Quando enim ad illius honorem libenter aliquid patimur, peculiarem in nobis complacentiā habet: non quod in nostris tribulationibus lætetur, sed ꝙ nostra alacris voluntas, q̄ in omnib. tribulationib⁹. exhibemus, illi placeat & accepta sit. *Secundo*, quo pacto dispositos nos esse cupiat, videlicet aridos à passionibus, quæ per Dei amorem prorsus excoctæ assatæque sunt instar assi piscis, inquit Athanasius: & dulces vt mel est, per gratiam videlicet Spiritus sancti, item signatos cera, id est, signo baptismi. *Tertio* illud quod à nobis postulat, videlicet, *primo* diligentem passionis suæ meditationem: nam piscis prunis impositus, Christus est, qui igne charitatis suæ pro nobis inflamatus & occisus est.

Assus piscis quid? 1. *Greg. hom. 24. in Euang.* Fauus quid. Assus piscis quid?. 2. *Anth. qq. ad Antiochum q. 71.* Assus piscis. 3. Christus quid à nobis? 1. 2.

Secundo, resignationem nostrimetipsorum in manus eius. Nos. n. fauus mellis sum⁹, ex cera ipsoq; melle cōpositi, id est,

ex

ex caduco corpore, in quod anima nostra infusa sit, admodum iucunde & suauiter tanquam in suam naturam, præsertim si iusculo diuinæ gratiæ delibutum sit, & gustui aptatum: Quando nos totos illi resignamus, tum à nobis velut à pulchris lilijs pascitur, quemadmodum ipsa sponsa in Canticis ait. *Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Transmutat nos in semetipsum, quemadmodum in nobis transmutantur cibi. *Quarto*, illud, quod post hanc vitam accepturi sumus, præsertim vbi corpora nostra gloriosè cum illo resurrexerint. Nam in cœlo duplici ciborum genere satiabimur. *Vnum* est *piscis assus*, scilicet, Christus pro nobis crucifixus & mortuus. Omnes namque sancti peculiari gaudio fruentur, quando Christum aspicient, qui propter illorum salutem nō modo incarnatus est, sed etiam tormenta sustinuit ingentia, & ignominiosam mortem, eosque suorum meritorum participes fecit. In eo namque media & instrumenta videbunt suæ gloriæ, & supramodum amore, ac gaudio replebuntur. *Alterum* est, *fauus mellis*, videlicet suauitas diuinæ contemplationis, quæ animas & corpora nostra exsaturatura erit: Sapiens quippe suauitatem maiestatis diuinæ, suauitati *mellis* assimulat. De hoc duplici genere Christus in vltima cœna locutus est; *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum DEUM, & quem misisti Iesum Christum.* Hoc cibo si frui velis, esuri in hac vita illum. Vt enim homo expletus cibis, nullum gustum in ijs habet, quantumuis dulces sint, sapiēte teste, *anima saturata calcabit fauum:* Sic quoque peccator suauitate mundi satiatus, suauitatem cœli non percipit, atque ideo illam in æternitate non gustabit.

Cant. 2. 16. Assus piscis quid? — 4. — Cibus beatorum. — 1. — 2. — *Prou. 25. 16.* — *Ioan. 17. 3.* — *Prou. 27. 7.*

Nota *Quarto*, Christum renouare discipulis suis memoriam illorum, quæ ante mortem illis inculcarat; quibus illi credere non poterant, videlicet, quod pati, mori, ac resurgere deberet. Quod modo illis ideo dicit, *primo*, vt crederent, quia consummata omnia viderent, nec de Resurrectione illius amplius ambigerent. *Secundo*, ne de alijs quoque dubitarent, quæ eodem modo illis prædixerat: Videlicet, de aduentu Spiritus sancti, de prædicatione Euangelij, & propagatione, de duratione Ecclesiæ vsque ad consummationem seculi, de aduen-

Christus cur memoriam passionis renouet. — 1. — 2.

aduentu Antichristi & tyrannide eiusdem, de extremo iudicio, de æterna gloria iustorum ac pœna damnatorum. *Tertio*, vt nos propter prædicta, quæ iam transierunt & impleta sunt, cum solicitudine futura exspectemus, neq; somnolenti in bono faciendo, aut malo fugiendo simus: quia nobis prædictum est Christum venturum esse, quando minime speramus, item de vnoquoque otioso verbo rationem exacturum esse aliaque similia, de quibus modo parum cogitamus; certissima tamen euentura. 3.

Dixit ergo eis iterum, pax vobis. Bis Christus hodie illis verbis vsus est, & discipulis suis pacem precatus. *Primo*, cum primum ingressus est; *Secundo*, modò perfectè illis sua Resurrectione monstrata, vt doceret nos, quod duplicem pacem vellet, *Priorem* Deum inter & homines: *Posteriorem* inter homines ipsa pace connexos, *faciens vtraque vnum* vt Apostolus ait: *& medium parietem maceriæ soluens*, videlicet inimicitias, *in carne sua*, inter Iudæos & gentiles existentes, ex duobus populis: immo ex adeo diuersis in mundo degentibus vnum populum vnam communitatem, vnam Ecclesiam fidei vnius, ac religionis, sub vno capite Christo eiusque in terris Vicario Sancto Petro, & Successoribus Petri constituens. In bellis duobus modis pacem componere solent. *Primo*, per conuenientiam, quando partes vtrimque certis conditionibus cõueniunt. *Secundo*, ipso certamine, ac conflictu quando vna pars alteram prorsus subigit ac vincit. Quantum ergo *priorem* pacem spectat, facta est illa per conuenientiam à Christo, qui in ea pacificator, ac mediator fuit. Nam pugna inter Deum & homines fuit hæc, quod Deus iustissime ab homine ad iram excitatus, plenariam factis factionem ab eodem reposcat, quæ infiniti valoris esse debuit: quoniam diuina Maiestas infinitæ quoque dignitatis esset. Quare hæc satisfactio fieri non potuit, nisi per infinitam pœnam hominis, aut per tormenta illius, qui quoq; infinitus esset; qualis inter homines nemo inueniebatur, immo nec *in cœlo, nec in terra, nec sub terra*, vti D. Ioannes illud deplorat. Homo quoq; à Deo prorsus alienus erat, quoniã ad creaturarũ voluptates vertebatur, à quibus cõtra Creatoris Dei voluntatẽ, gustũ voluptatẽq; suã capta-

VII. Pax duplex. Ephes. 2. 14. Pax in bellis. Pacem fecit Christus. I. Apoc. 5. 4.

captabat. Christus vtrasque partes has cōciliauit: quippe qui patri hominum debitum, quantum Pater exigeret, soluerit, nimirum Passionem suam, sanguinem, & mortem offerens, quæ omnia infiniti valoris, ob infinitam personæ dignitatem erant, quia & Deus ipse esset. Et sic Patri suo abundantissime satisfecit, præsertim cum maiores pœnas ac tormenta, quam ad eluendam hominum culpā opus foret pertulerit. Homini quoq; satisfecit, quando animæ illius diuinam gratiam infudit, & Spiritum S. largitus est, qui auersam à Deo voluntatem, ad eundem conuerteret, eique amorem Dei, & diuinarum rerum gustum præberet. Hoc Sacramentis suis effecit, quibus infinita eius merita, ac gratiæ velut vasis quibusdam continetur nobisque dispensantur. Quantum vero *alteram* pacem attinet, pugnando illa facta est ab Apostolis, & Apostolicis viris, quos per mundum vniuersum Christus misit, vt regiones omnes atque homines ad suam Ecclesiam traducerent, & in eadem vnanimiter asseruarent. At in his magna potestate, & dexteritate opus fuit, eo ꝙ nationes adeo diuersæ, principes adeò potentes, sapientes, adeo eruditi, interioresque passiones adeò apud illos vehementes essent. Idcirco enim Christus Apostolis suis ad hæc facienda appositissima arma subministrauit, quo adeo magnum opus exordiri possent & consummare. Hæc arma corporalia nō sunt, quibus infideles, vti solent, vt Turcæ, gentiles, hæretici, qui infidelitatem suam tormentis, ac persecutionibus Christianorum serunt, atque propagant: sed spiritualia, de quibus Sanctus Paulus ait: *arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Hæc porrò sunt magna fides, & cognitio rerum diuinarum, miracula, spirituale imperium, in animas, & malignos spiritus, humilis patientia, vitæ integritas, constansque in rebus omnibus perfectio. Ab armis hisce instructos Apostolos misit Christus, quorum initium pax fuit, quam triplici de causa Apostolis donauit. *Prima*, quia nemo aliū vtiliter ad pacem trahit, qui ipse pace careat, Sanctus

Marginalia: 2. (beside "tinet, pugnando…"); 1. Cor. 10. 4. (beside "propagant…"); Pax 3. de causis data Apostolis. (beside "hisce instructos…"); 1. (beside "quia nemo…")

Sanctus Gregorius notat, Samuelem osculatum, primo Saulem esse, & dein in Regem Israelis vnxisse. dicendo: *Ecce vnxit te Deus in principem super hæreditatem suam*, docens vtique filiũ virtute præditum esse debere, qui alios virtutem doceat. *Nonnulli enim* (inquit) *& vagantur, & osculum non accipiunt liberare populum Dei satagunt, sed se inimicorum iugo subijcere non pauescunt. Nam qui alijs bona prædicat quæ non agit, quasi osculum dat, quod non accipit. Hinc ipsa veritas prius osculatur quos non ordinat, deinde ad liberandos alios mittit. Vos* (ait) *amici mei estis, deinde addidit dicens. Posui vos, vt eatis & fructum afferatis*. Hinc quoque eodem modo hi pacem suam, velut osculum largitus est, cum discipulos suos & Apostolicam potestatem in mundum vniuersum contribuit. *Secunda*, Vt Apostolos doceret, quomodo bellum inchoare deberet. Deus populo Israelitico in veteri Testamento præcipit, vt vrbium incolis, quos debellare volebant, *primo* pacem proponerent. Idem quoque Christus vt Apostoli sui facerent, iubet, dicerentque vrbibus aut domibus quas ingrediebantur: *Pax huic domui*. Potest enim fieri plerosque sic pacem acceptare, vt operoso labore opus non sit: Quemadmodum in die pentecostes, tria millia conuersa sunt, & paulo pòst, quinque millia, & Athenis Dionysius cum Damari, quam illius vxorem fuisse testatur Ambrosius. quod si nemo Catholicam pacem velit, suis armis vti eos oportet, videlicet verbi Dei prædicatione efficaci, item miraculorum patratione, tam contra infideles vti cæcum fecit Elymam Magum D. Paulus: quam pro alijs expellendo dæmones, sanando ægrotos, & patienter tolerando, quicquid à persecutoribus inferretur. Apostolica namque arma eam vim habent, vt si ab hostibus in Apostolis iacta sint, rursum ab Apostolis in hostes resiliant. Quemadmodum telum in solidum murum contortum, in iacientem resilit. Qui fornacem Babylonicam succendebant ab eodem igni, quem construxerant absumpti sunt. Infideles verberabant & flagellabant Apostolos: verum patienter tolerata flagellatio flagellantes ipsos, & circumstantes interius permouit in anima, acconuertit, vt Centurionem illum cum aliquibus militibus & bonum latronem in cruce CHRISTVS. Sic quo-

Greg. l. 4. in l. 1. Reg. c. 4. 1. Reg. 10. Ioan. 15. 14. 2. Deut. 20. 10. Matth. 10. 13. Act. 2. & 4. Act. 17. 34. Ambr. ep. 82 Act. 13. 11. Dan. 3. 48. Matt. 27. 54 Luc. 23. 48.

quoque legimus multos gentiles fidem suscepisse, tormenta Martyrum spectãtes: illa quippe martyrum corpora dilaniabant, verum animas gentilium penetrabant quas Christo lucrabantur.
3. *Tertia* est, vt nos doceret munus Apostol. ac sacerdotum esse pacẽ facere, omnemq; seditionẽ sedare, vti ex D.
Isa. 52. 7. Rom. 12. 15. Isaia S. Paulus loquitur, *quã pulchri pedes Euãgelizantiũ pacẽ Euãgelizantiũ bona*. Ideoq; Christus bis pacẽ elargitur discipulis, tũ qñ Spiritũ S. infundere cogitabat, propter auctoritatẽ peccata remittendi, tum propter scripturarum interpretationem
Sacerdotũ 3. opera. feliciter faciendam. Sacerdotes à Deo instituti sunt, vt triplici operum genere, triplicem pacem operarentur.
1. *Primũ* opus est sacrificium offerre, Deumque pro populo precari, vt homines cum Deo reconcilientur, & cum eo pacem instituant. Sic
Exod. 32. Num. 16. 2. Mach. 3. diuinam iram Moyses & Aarõ, ob adoratũ ab Israele aureum vitulum, & ab Core, Dathan, & Abiron murmura excitatam, mitigarunt. Sic Onias sacrificium cum ab Angelis Heliodorũ flagellari Deus permitteret, obtulit. *Alterum* est, Sacramenta præbere, & præsertim in Sacramento pœnitentiæ remittere peccata, quo cõscientia pacẽ suam recipiat, tam cum per absolutionem ipsam peccata remittuntur, quam cum bonã instructionẽ Sacerdos impartitur, cuius beneficio malæ occasiones præscinduntur, quæ internã pacẽ turbant, aut certe minuunt. *Tertium* est, prædicare verbum Dei, quo populum in
Ephes. 4. 3. Coloss. 3. 14. concordia cõtinent, peccata, dissidij irritabula arguendo, virtutum opera inculcando, & nominatim charitatem, quã *vin-*
Impij sacerdotes. *culum pacis, & perfectionis* esse, D. Paulus testatur. Quare impie inprimis sacerdotes, ac religiosi dissidia suscitando, faciunt:
1. quales *primo* hæretici sunt, qui cum peruerso Arrio, alijsq; periuris sacerdotibus, & Apostatis monachis nouitate hæresum suarum vestem Christi, scilicet, Ecclesiam sanctam dilaniant.
2. *Secundo*, Ecclesiastici pro primo secundoq; loco processus instituẽtes, quippe qui populum ambitione sua scandalizant.
3. 3. illi, qui solicitius pecuniæ coaceruandæ, honori aut dignitati consequendę, quam animabus lucrandis insistunt.

VIII. *Sicut me misit Pater, & ego mitto vos.* Marcus secundum expositionem Euthymij, ait: Christum Apostolos suos reprehendisse, postquam iam videndum se, & manus, ac pedes palpan-

palpandos præbuiſſet. *Et exprobrauit illis incredulitatem illorum & duritiem cordis, quod his, qui viderant eum reſurrexiſſe, non credidiſſent.* Quod triplici de cauſa fecit. *primo*, vt magis eos de Reſurrectione ſua certificaret: quippe redargutio & reprehenſio, vt peccatum fugiatur, cauſa ſunt. Iccirco illis incredulitatem ſtatim abſtulit, grauitatem illius peccati oſtendendo, quæ nimirum inter maxima peccata numerari ſoleat. *Secundo*, vt doceremur, amorem non modo in iucunditate ſed in amaritudine ſitum eſſe. Vti enim conſolatio hominem erigit, animumque addit, ad bonum operandum: ſic quoque reprehenſio aufert malum, peccatique fugam inducit. *Tertia*, vt ſcias, quibus te oporteat obedire, in rebus ad fidem noſtram pertinentibus; videlicet illis, qui non ſolum ex auditis, ſed etiam ex viſis loqui poſſint. Quales antiqui Doctores ſunt, qui ante mille, & plures annos vixêre, & ex omnibus partib⁹ orbis ſcripſere, quænam ibidem Apoſtolicæ traditiones haberentur. Nam licet illi Apoſtolos non viderint; nihilominus id, quod tum temporis vnanimiter mundus doceret, teſtantur: Nec immerito Chriſtus, in extremo iudicij die, hæreticos cõdemnabit, ſe pro Reformatoribus Eccleſię ferentes, dicens: Quare adeo duræ ceruicis fuiſtis, vt magis proprium iudicium, quam certiſſimum antiquorum Patrũ teſtimonium ſequeremini, qui vobis teſtati ſunt, quod Eccleſiæ ſanctæ dogmata, à vobis ad reformationem vocata, veriſſimæ Apoſtolorũ doctrinæ de manu in manum traditæ ſint. Cõfirmatis iã in fide Apoſtolis, de regno Dei loqui cępit. id eſt, de Eccleſiæ ſuæ ſanctæ politia: quod 40. illis diebus factum ab eo teſtatur Lucas: Cuius tractationis principium, tanquam præfatio quædam hæc verba fuêre: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos,* quibus illos *Apoſtolos*, id eſt, *legatos* creauit. Licet enim multo ante eos, *Apoſtolos* vocauerit, & ad prædicandum Iudæis miſerit: non tamen plenariam poteſtatem tunc contulit, neq; per vniuerſum orbem eos, ſed tãtum per Iudæam diuiſit, & ne vel Gentibus, vel Samaritanis concionarentur, interdixit. Hic ergo eos Apoſtolos inſtituit, quemadmodum ipſemet teſte S. Paulo, Patris ſui *Apoſtolus* fuit; vt nos magnũ illud officiũ, & poteſtatẽ, quã in Eccleſia ad noſtram

Marc. 16. 14. Tribus de cauſis exprobat Chriſtus Apoſtolis incredulitatẽ ſuam.

1. 2. 3.

Act. 1. 3. *Matth. 10. 5.* *Heb. 3. 1.*

ſtram ſalutem reliquit, agnoſceremus, ideoq; ex toto corde illum diligeremus, & cum omni induſtria inſeruiremus. Porro miſſionis huius ſimilitudo non in omnibus perfecta eſt, eo quod multo excellentius à Patre ſuo Chriſtus miſſus fuerit, quã ab eo Apoſtoli, ſed in hiſce ſex, cum differentia tamẽ, ſita eſt. *Primo*, in fine miſſionis. Nam ſicuti Chriſtus ad veritatem prędicandum miſſus eſt, quemadmodum Pilato dixit; *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundũ, vt teſtimonium perhibeam veritati*, id eſt, vt populum veritatem doceam; ita quoq; Apoſtoli nõ propter fabulas, aut vaniloquia, aut aliud quippiam mundanum prædicandum miſſi ſunt: ſed ad veritatem docendam, Chriſto ſic præcipiente: *Ite in mundum vniuerſum, & docete omnes gentes.* Item, *prædicate Euangelium omni Creaturæ*: differentia tamen hæc eſt; quod Chriſtus veritatem quam viderat, prædicaret, ipſo teſte: *Ego quod vidi apud Patrem, loquor*: Apoſtoli vero audita ſolum docebãt eadem fide, quam & nos tenemus. *Secundum*: In modo prædicandi ſitũ eſt. Nam Chriſtus doctrinam ſuam ſupernaturalibus miraculis confirmabat, dicens: *Opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me*: Item, *ſi non facio opera patris mei, nolite credere mihi*, Apoſtoli quoque miracula in miſſionis ſuæ confirmationem faciebant, ſuſcitãdo mortuos, ægrotos ſanãdo, &c. Quemadmodum Chriſtus illis promiſerat, & ex actis Apoſtolorum patet. At, Chriſtus miracula virtute propria; Apoſtoli vero, Chriſti virtute, patrabant. Quare Chriſtus dicebat, *adoleſcens tibi dico, ſurge*: item ad mutum dæmonem. *Ego præcipio tibi, exi ab eo & amplius ne introeas in eum*: Verum Apoſtoli dicebant. *Surge & ambula in nomine Ieſu Chriſti*. *Tertium*, In moleſtijs, ac labore: quippe Chriſtus nullis laboribus, pro ſalute noſtra ſuſcipiendis, pepercit. Totos dies laborabat, totaſque noctes in orationibus tranſmittebat: fatigabat ſeſe, & humiliabat noſtra cauſa, inſtar viliſſimi ſerui; ſanguinem ſuũ denique pro nobis effudit, mortemque acerbiſſimam exhauſit. Similiter etiam Apoſtoli faciebant, & à mundo perſecutionem (vti Chriſtus prædixerat) ſuſtinebant. *Tradent n. vos in conciliis, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos, & occident.* Nam *non eſt maior ſeruus Domino ſuo, quare ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur*: nihilominus triplex hic diſcrimen

Marginalia: Chriſtus in quo cum Apoſtolis conueniat? — 1. — Ioan 18.37. — Matt 28.19. — Marc. 16.15. — Ioann 38. — 2. — Ioan. 10.21. & 37. — Marc. 16. — Ioan. 14. — Luc. 7. — Marc. 9.25. — Act. 3.6. — 3. — Luc. 21. — Ioan. 4. — Matt. 20. — Matth. 10.17 — Ioan. 15.20. — Diſcrimen in 3.

crimen est. *Primum*: multo plura Christus sustinuit quam discipulorum mortaliumue illius. *Secundum*, nullum ille internũ solatium habuit, vnde & in horto *tristem animam suam dixit vsque ad mortem*; & in cruce ait: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Apostoli vero in passione sua gaudebant interius. *Ibant à conspectu concilij gaudentes, quia digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati.* Promissio enim à Christo illis facta, *gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis*, semper vsque ad consummationem sæculi illis adfuit. *Tertium*, Christus sua passione & morte, pretium pro peccatis nostris soluit: Apostoli vero sua passione, meritum proprium adauxerunt. *Quartum*: Est in Charitate. Nam vti Pater Filium suum non misit ad tantos labores, ac tormenta, ex odio; sed ex amore; vt D. Gregorius docet; sic quoque Apostoli à Christo ad tribulationes eiusmodi ex amore sunt destinati, non autem ex odio, sed vt sibimet in cœlo ingentes coronas mererẽtur, vti ex amore laboratori seu operario operas pro mercede diuidimus. Verum amor Patris in filium incomparabili modo maior fuit, vt & merces: quippe passione sua, ac morte nomen meruit; *quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Quintum* est in officio: Quemadmodum .n. Christus non solum missus est à Deo ad prędicandum, ac veritatem docendam, sed etiam vniuersum orbem regendum, ipso teste, *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Item, *omne iudicium Pater dedit filio*: sic quoq; non solum Apostoli ad verbum Dei prędicandum, sed ad regendos quoq; Christianos & secundum merita corripiẽdos, sunt ablegati. Quamobrem Ananiam & Saphiram S. Petrus morte mulctauit, eo quod Spiritui S. mentiti fuissent. Et S. Paulus, fornicatorem illum Corinthium Sathanæ tradidit, vt emendaretur. Minatus quoque est se malis parcere nolle, si *in virga* ad eos venturus esset. Ad maiores natu Ecclesiæ Ephesi existens ait: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Sanctus Chrysostomus de hoc scribit, in hunc modum: *Deus Pater filio suo plenam potestatem dedit, sed video eandem potestatem à filio in sacerdotes transfusam*: nihilominus cum magno

Margin notes: 1. 2. Matt. 26. & 27. Act. 5. 41. Ioan. 16. 22. 3. 4 Principale. Hom. 26. in Euang. Philip. 2. 9. 5. Matth. 28. 18. Ioan. 5. 22. Act. 5. 1. Cor. 5. 1 Tim. 1. 2. Cor. 13. Act. 20. 28. Lib. 3. de Sacerdotio.

discrimine, quia *Christus illam potestatem vt princeps; Apostoli vero, vt eiusdem vicarij possident.* Quare gratiam suam Christus, cui vult dare potest, & eo modo quo vult, cum Sacramentis, aut
Matth. 9. Luc. 7. sine Sacramentis: vti Paralytico & Magdalenæ peccata sine cõfessione demisit. quippe illius est solius instituere sacramẽta: Apostolorum vero est medijs istis vti, quæ Christus reli-
6. quit. *Sextum* in dignitate mittentis est. Nam vti Christus homo à Patre missus est; ita quoque à Deo Filio Apostoli: & vti
Greg. in hom. sup. Christus Deus à Deo missus est, inquit S. Gregorius: Sic quoque Christus homo Apostolos misit, qui homines essent: hoc tamen cum discrimine, quod persona Christi missa, non minor Patre mittente fuerit; at Apostoli ineffabili modo minores Christo sint.

Hinc disces *Primo*, Apostolos à Christo suum officium solum accepisse, quod deinceps suis successoribus tradidêre. Quippe spiritualis omnis potestas, & iurisdictio à Christo per Apostolos in Episcopos, sacerdotes, ac Prælatos Ecclesiasticos est deriuata. *Secundo*; Neminem sibi Ecclesiasticũ officium
Heb. 5. 4. arrogare debere, nisi legitime vocatus sit vt D. Paulus ait. *Nemo sibi sumat honorem, sed qui vocatus sit à Deo tanquam Aaron*, alias
Hier. 23. 21. Missio legitima. de ijs quereretur ac diceret, *currebant & ego non mittebam eos*, quod tamen falsi prophetæ faciunt. *Tertio*; Nullam aliam vocationem, præterquam à Christo per Apostolos factam, legitimam esse. Nam vti Christus cum potestate missus est ad Ecclesiasticos Prælatos & Præsules creandos, qui ipsius vicarii essent; sic quoque Apostolos suos ad sacerdotes, & Episcopos ordinandos misit, qui vsque ad consummationem sæculi illorum successores, imitatores ac vicarii essent futuri vti
Ephes. 4. 11. D. Paulus ait. *Et ipse dedit, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Euangelistas. Alios autem pastores & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, id
Lib. 22 de Ciui. c. 15. est, nunquam Ecclesiastici Prælati deerunt, quoad per vniuersum orbem Ecclesia sparsa fuerit, & quoad mundus constiterit, & nos (vt Diuus Augustinus exponit) in plenitudinem ætatis Christi resurrecturi simus. Hinc sequitur hæreticos

ticos ministros, prædicantes, Superintendentes, aut Magistros, proprio motu venientes (quales Arrius, Caluinus, Lutherus) sæpissime à sæcularibus Dominis, aut Magistratibus, aut alijs potestatis expertibus cõstitutos, & non magis à Deo, quam sacerdotes Baal missos, quos impius Ieroboam consecrauerat. A Christo enim per Apostolos eius, eorumque successores missi non sunt, vt neq; idololatrici sacerdotes ex Aaron, descenderunt. *Quarto*: tametsi sacerdotes ab Episcopis consecrentur, nihil minus suam potestatem omnem à Christo accipiunt, illis gratiam suam infundente, & potestatẽ suã habent largiente. Quamobrem à nemine execrari, aut à sua potestate propria abstrahi possunt. Quantumuis enim malus sacerdos sit, aut etiam excommunicatus, aut degradatus, nihilominus consecrandi corporis Christi potestatem obtinet, & Sacramenta, quæ iurisdictione opus non habent, ministrandi; licet hoc faciendo grauissime peccaret: immo peccata remittendi potestas in eo manet, quam efficaciter vsurpare posset, si illi subditi in eum finem darẽtur. *Quinto*: maximã dignitatem esse sacerdotum, qui non modo in terris *Angeli* sunt (vt eos Malachias vocat) sed & Christus ipse, qui in consecrando corpore Christi non dicunt: hoc est corpus Christi, aut Christus tibi peccata remittit; sed *hoc est corpus meum*, & *ego absoluo te*; Quare Christum honorare in suis membris oportet, etsi nonnunquam vt priuatæ personæ, propter suam malitiam, talem honorem non mereantur. Ideo namque Christus proditorem suum Iudam Apostolum designauit, & ordinauit sacerdotem, ne officiũ propter peccata personæ honorare desinerem'. *Sexto*, discũt sacerdotes ex sex supradictis, ordinationẽ suã, & officiũ expendere. *Primo*; ꝙ vocati sint ad lucrandas animas; nõ vero ad pecuniã coaceruãdam, aut voluptatib' indulgendũ, aut cognationẽ locupletandã. Quippe Christus perditionem ouium suarum, non minus ab illis, quã Laban à Iacobo requiret. *Secundo*: tametsi miracula non faciant, (quæ Catholicis necessaria amplius non sunt) attamẽ dogmata sua, inculpata sanctaq; vita cõfirmabunt. Si.n. Angeli sunt, & Christus ipse, debẽt vtiq; in vita spirituali Christum ipsum & Angelos exhibere. *Tertio*, nullũ laborẽ subterfugiant,

Sacerdotũ potestas à Christo.

Sacerdotũ dignitas. *Mala. 2. 7.*

Sacerdotũ officium.
1.
Gen. 31. 39.
2.
3.

fugiant,lucrandis animabus seruientem:immo parati sint vitam,sanguinemq; ponere,quo vnam animã ex peccato mortali eripiant;neq; magnopere mirentur,ꝙ à mundo persecu-
1. Pet. 2. 21. tiones sustineãt: quippe in hoc vocati sunt(inquit D. Petrus) vt virtutem operentur,aduersa patiant̃,eaque magnæ gratiæ
4. loco ducant. *Quarto*, Christum tanto ardentius diligant, ac colant,quanto propter illum plura patiuntur; vti ferrum incalescit magis,quo magis & constantius atteritur: aduersitas
5. sæpe multo vtilior est,quam prosperitas. *Quinto*: Potestatem suam aduertant,agnoscantque quousq; ea sese extendat, eaque in ædificationem,non vero in destructionem hominum
1. Cor 13.10. vtantur. Nam(vt D.Paulus ait)potestas illa *in ædificationem,nõ*
Matth 25. *vero in destructionem data est*; Certe exactissimam rationẽ Christus requiret, Quomodo talentum nostrum vtiliter expen-
6. derimus. *Sexto*,quo pacto ad officiũ suum peruenerint, num
Ioan 10.1. legitima vocatione,aut electione,an vero fauore & donationibus. Qui per Christum nõ ingreditur,is per fenestram ascendit,& à Christo *fur & latro* vocatur;ideoque officium suũ, aut beneficiũ legitime non possidet. Si enim per Simoniam ingressus est,est quod timeat,& beneficium suum relinquat. Eius namque non est., omnesque susceptos fructus furatus est,& obligatus est illos,tãquam iniuste possessa bona Ecclesiæ restituere. Quod si legitime vocatus sit,se tanquã ministrũ gerat,& non Dominum,quia non suam voluntatem; sed voluntatem mittentis facere studeat. Quemadmodũ Christus
Ioan. 3.34. Patris sui voluntatẽ fecit. & magis *ministrare* quã *ministrari* venit.
Matt. 20. 8. *Hæc cum dixisset, insufflauit, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum.*
IX. Christus peculiarem Apostolis potestatem daturus, hac cæ-
Cæremoniarum in-stitutio. remonia vti voluit insufflandi, ad eandem quædã verba adijciens:vt doceret, ꝙ in Ecclesia cæremonias certas instituere vellet,quibus interiorem gratiam largiretur,quasSacramenta vocamus.licet enim Christus gratiam sine extrinseco signo donare possit aut medio, per solam fidem: tamen quasdam
Cæremoniæ quatuor. cæremonias,vt ijsdem nos vteremur,reliquit.Hę cæremonię in Ecclesia obseruari solitæ quadruplices sunt.*Prima*,quæ nos
1. instruunt; vt sunt sacratæ vestes, quibus in sacrificio Missæ sacerdotes induũtur:docent enim quo pacto Christus in sua

passione

passione alba veste, & purpurea ludificatus sit, & cooperta facies; & manus eius totumque corpus diuersis funibus ligatum. *Secunda*; ad deuotionem, & demissionem animi nos propellunt; vt genu flectere, complicatas manus in oratione cœlum versus erigere, pectus tundere, & id genus alia. *Tertia*: aliquam nobis gratiam, aut diuinum auxilium; per orationem Ecclesiæ impetrant: vt aqua lustralis, benedicti cineres: quippe benedictio & consecratio S. Ecclesię inefficaces non sunt. *Quarta*; sunt signa operatoria, quæ ex diuina institutione cōferunt, & efficiunt id, quod significant, & ad quod applicantur, & hęc 7. Sacramenta sunt, quæ velut efficacia instrumenta corpus contingunt, animamq; purgant. Verum, multis de causis voluit Christus cum externis hisce cæremonijs Sacramenta instituere. *prima*: quia non solum animæ, aut Spiritus sumus; sed etiam corpora habemus. *Si corporis expers esses* (inquit Sanctus Chrysostomus) *Deus sua dona tibi absque externis signis largiretur, sed quia anima in corpore habitat, ideo inuisibilia sua dona, visibilibus medijs communicat.*

2.
3.
4.
Causæ septem.
1.
Hom. 60. ad popu.

Quare vult *primo*, non solum animas nostras, sed etiā corpora nostra sancta tali materia consecrare, & sanctificare. *Secundo*, visibilibus signis & operibus, de inuisibilibus informare: Nam vti corpus per aquam in baptismo abluitur, sic quoque anima ab omnibus peccatis emūdatur. *Secunda*: vt Christiani, & Catholici ab infidelibus, siue illi Iudæi, siue Gentiles, siue Hæretici sint, internoscantur: vt olim Iudæi per circumcisionem, ab omnibus alijs gentibus distinguebantur. Baptismus nos à Gentibus, & Iudæis distinguit, alia Sacramenta & præsertim altaris, ab hæreticis seiungunt. *Tertia* est; vt doceremur, solum Deum authorem esse, & largitorem donorum illorum quæ in Sacramentis accipimus. Si enim dona illa per aliquod inuisibile acciperemus, possemus cogitare, quod ab illo inuisibili totam virtutem traduceremus: ita vero cum per visibilia obueniant, quæ ex natura sua nihil in animam agere possunt; sic Deum datorem solum esse admittere debemus. Sic Deus sanauit vulnus Ezechiæ, aut, vt Hebræi loquuntur, vlcus, iubens imponi massam ex natura sua noxiam vlceri, vt Diuus HIERONYMVS inquit.

2.
3.
Isai. 38. 21.
4. Reg. 20.

Ioan. 9. 6. Et Christus illuminauit cæcum, lutum imponens oculis eius quod magis eum cæcare posset. Deus namque sibi honorem omnium beneficiorum ascribi vult. *Quarta*, vt certi essemus
4. de beneficijs à Deo acceptis, neque semper summa cum vexatione animi cruciaremur: certum enim est, Deum nobis suam gratiam largiri, quando nos vti par est, illa suscipimus. Si qua dubitatio suboritur, à nobis illa procedit, qui bonam voluntatem non conferimus. *Quinta*, vt nos sapientiam suam
5. doceret, quæ ijsdem creaturis à quibus læsi sumus, nos sanet. Peccauimus per abusum creaturarum corporalium, itaq; per easdem peccata nobis remittit. Peccauimus comedendo, itẽ corpus nostrum ad omnem superbiam eluendo, pretiosisq; vnguentis invnguendo; iccirco cœlesti cibo in sacramento altaris, ablutione in baptismo, & pretioso chrismate in confirmatione, &c. adiuuamur. Nobis perinde ac homini à scorpione icto vsu uenit, qui non nisi scorpionis illius oleo sanari
6. potest. *Sexta*, vt nos in humilitate cohiberet. Nam primi parentes Deo similes esse affectabant, ideoque naturaliter in superbiam propendemus: itaque vult Deus corporalibus creaturis nos subijci, & salutem nostram ab aqua, vnguine,
7. oleo, &c. mutuare. *Septima*: vt nos in Dei seruitio duraremus, nec ad superstitiones deuolueremur, nam corporei homines corporeas externasque cæremonias requirunt. Si Deus solo spiritu à nobis coli vellet, externas occupationes ad inordinatum quid traduceremus. Ob quam causam Deus ab Israelitico populo externis, ac corporalibus sacrificijs coli voluit, vt ab idololatria eum auerteret, ad quam impense anhelabat quippe satius erat Deo sacrificia offerre, quam cuipiam alteri. Quæ etiam vt vtilia illis, & fructuosa essent, veri sacrificij corporis Christi in ara crucis consummati voluit figuras esse.
Docum. 3. Hic disces *Primo*; Deo gratias agere, adeo peramanter naturæ nostræ sese conformanti. *Secundo*, sacramenta in summa reuerentia, & honore retinere. *Tertio*, non solum illa humili cũ reuerentia; sed & magno cum desiderio sæpius suscipere: illis enim Christi merita nobis remissionem peccatorum, & omne bonum donantia, conclusa sunt.

QVANTVM vero ad insufflationem Christi spectat, qua Apo-

Apoſtolis Spiritum S. largitus eſt, cogitare nequaquam debes, ventum illum Spiritum Sanctum eſſe; ſed quinque nos eo docere voluit. *Primum* eſt, Spiritum S. non ſolum ex Patre, ſed etiam ex Filio procedere (vt D. Auguſtinus,[a] & Epiphanius [b] docent) vti enim ventus, quem Chriſtus efflauit, ex interioribus corporis prorupit: Sic quoque Spiritus Sanctus ex Diuinitate Chriſti procedit, eandemque cum Patre, ac Filio diuinitatem ſortitur. *Secundum* eſt; quod idem ille ſit, qui olim homini animam inſpirauit, vt dicit S. Athanaſius. Nam licet Deus tum corporaliter non inflaret, fecit tamen id ſpiritualiter: infundendo nimirum homini animam, per amorem ſuum, & dando ei gratiam; quia non modo per Dei charitatem, ſed etiam cum Dei charitate creatus eſt. Charitas vento illo ſignificatur, eo quod videatur ingredi, & efflari ad illud, quod diligit. *Tertium* eſt, vt à peccatis eos purgaret, dando illis Spiritum S. & poteſtatem ſimul acciperent; vt quicunque ad ſacerdotium ſeſe applicaturi eſſent, à peccatis eriperētur. Apoſtoli peccato infidelitatis tenebantur, quo illos per ſpiritum ſanctum liberauit. *Quartum* eſt; vt hanc poteſtatem otioſam non detinerent, ſed per orbem vniuerſum diffunderent, omnibuſque hominibus peccata dimitterent. Vti enim ventus, id quod ex aduerſo occurrit, propellit; ſic vult Chriſtus, vt Apoſtoli ſubito regiones obirent, & Euangelium vbique prædicarent, & Spiritum S. diſtribuerent. *Quintum* eſt; conditio Spiritus ſancti, vna eademque in omnibus hominibus, diuerſa nihilominus dona dilargiens; vti vnico afflatu Chriſtus omnibus illis poteſtatem eandem dedit. Probabile enim non eſt, eum ſingulos peculiari afflatu aſpiraſſe, ſed omnes ſimul: docens, eundum Spiritum Sanctum, in vnumquemque tranſiiſſe, Deumq; eſſe, inquit Didymus; eo quod vnus exiſtens, in omnibus eſſet hominibus. Illius porro afflatus cæremonia, à Sancta Eccleſia in duobus ſacramentis vſurpatur. *Primo*, in Baptiſmo, vbi flatu diabolus expellitur (inquit S.[a] Dionyſius Areopagita) & odor æternæ vitæ inſpiratur (inquit [b] Ambroſius) nam flatus ille fit (vt D. [c] Auguſtinus docet) vt ex poteſtate principis mortis, ac tenebrarum extrahatur, & diabolus abigatur, & vt Spiritu S. locus præpa-

Insufflatio docet.

1. — a 4. de Trin. c.20. — b Hære. 74. — 2. — 3. — 4. — 5.

Li. 1. de Spiritu S.

a Eccl. Hier. c.3. par.2.

b Lib. 1. de iis qui myſteriis initian.

c Li. 6. contr. Iulia. c. 2. & L.1. de Sym. c.1

a lib.1.ca.27. retur, vt [a] Rabanus ait. *Secundo*: in Sacramento Ordinis, vbi Episcopus in fine sacri nouis sacerdotibus hoc afflatu, ad exemplum Christi, peccata remittendi, potestatem elargitur. Quod certe traducendum improbandumque non est, quoniam Christus cæremoniam illam instituit. Aliquando Sancti diabolum flando solent expellere ab Energumenis: quemadmodum Petrus Damiani de S. Romualdo Abbate scribit, qui vixit Ann. Dom. 1000. Cum in monasterio eius quidam monachus ignoto, & non naturali morbo detineretur, afflauit illum, & omnes pariter afflare illum iussit circumstantes, & sic diabolus euolauit, ægerque conualuit.

In gestis eius c.51.

NOTA, Apostolos Spiritum S. sæpius accepisse, & nominatim quater. *Primo*: cum baptizarentur: nam sine Spiritu S. peccata baptismus non eluit. *Secundo*: hic. *Tertio*: in festo Pentecostes. *Quarto*: posteaquam à Iudæis capti fuissent: Nam cũ orarent, *commotus est locus, in quo erant, & omnes Spiritu S. repleti sunt*; vt quatuor disceremus Spiritus S. opera in nobis. *Primũ*; remissio peccatorum est, per quam anima reuiuiscit. Nã peccato occiditur, gratia vero Dei viuificatur; vt Dauid ait: *Auferes Spiritum tuum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur: Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Hũc Spiritum S. Ioannes Baptista accepit in vtero matris suæ. Nos in Sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ; vbi vitam nobis spiritualem & facultatem orandi largitur Deus. Nam sine illo nemo potest dicere, *Dominus* IESVS, vt docet Paulus. *Secundũ* est, cuique officium assignare, & statum: quemadmodum Apostolos hic orbis terrarum Iudices, cum plenaria peccata remittendi potestate, constituit. Hinc à Christo *ostiarius* vocatur, qui ostium aperiat: In Saulem à Samuele Regem vnctũ, continuo *Spiritus sanctus insiliit, & in virum alium* diuina gratia *mutauit*. Hoc Spiritu diuersa membra in Ecclesia Christi fiũt, de quibus Apostolus agit, scilicet *caput*, id est, superiores: *oculi*, id est, spectatores, & coadiutores (vt Clemens & Anacletus loquuntur) *aures*, confessarij; *manus*, operarij; *pedes*, subditi; opera obedientiæ perficientes; *nasus*, iudices bonum à malo discernentes, inquit S. Gregorius, & sic de cæteris. *Tertium* est, replere Christianos & perficere, omnibus donis; quemaddum

Act.2. 4.
Spiritus S. quatuor operatur in nobis.
1.
Psal. 103. 30.
Luc. 1. 15.
1. Cor. 12. 3.
2.
Ioan. 10. 3.
1. Reg. 10. 6.
1. Cor. 12.
Distinct. 93. c. Diaconi.
18. Mora. c. 11
3.

modum in die Pentecoſtes Apoſtolos repleuit. quod nobis in confirmationis Sacramento fit, vbi Sancto Clemente teſte, Chriſtiani perfecti reddimur, & ex infantibus viri: ſeptemque Spiritus Sancti dona, vt docet Sanctus Ambroſius conferuntur. Nam ſacramentum perfectionis eſt, & à S. Dionyſio *Sacramentum perfectionis* vocatur; de quo in Feſto Pentecoſtes latius diſſeremus. *Act. 2. 2.* *Epiſt. 4.* *1. de Sacr. c. 2.*

4. *Quartum* eſt; dona ſua indies in nobis adaugere, per virtutem & bona opera, quæ nos agere videt. Non quod ante inanes fuerimus, aut imminuti in gratia; ſed quod bonis operibus, & meritis magis ad gratiam ampliorem præparemur; vti menſa ſubtus extrahitur, quo plures cibos capiat. Hic diſce *primo*: Sacramenta ſuſcipere, quo peccatorum remiſſionē per Spiritum Sanctum conſequaris. *Secundo*, diligenter aduertere, ad quid te Spiritus Sanctus vocet, eiuſque vocationem impenſe notare. *Tertio*: diligenter cauere tibi ab illegitimis medijs ad altiora penetrandi.

Quarto; diuinæ gratię cooperari, vt ad maiorem gratiam aptiores reddamur.

X. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* In vltima cœna Chriſtus Apoſtolos ſuos Sacerdotes fecerat, dicens; *hoc facite*, id eſt, facio vobis poteſtatem faciendi id, quod ego feci. *Primo*: In corpus & ſanguinem meum, mutare panem & vinum. *Secundo*: Idipſum meo Patri, vt verum ſacrificium offerre. *Tertio*: illud ipſum ſuſcipere, & communicare Chriſtianis. Imprimebat tū animabus illorū ſignum ſacerdotij, quod *character ordinis* vocatur: Signum vtiq; diuinum, quo Sacerdotes à laicis diſcernuntur, & ab illis, qui intuentur animas, internoſcuntur, videlicet à Spiritibus & animabus omnibus, ſiue illæ damnatæ, ſiue beatæ ſint. Hic vero nouam Sacerdotio poteſtatem appendit, quæ nunquam in mundo hactenus extitit, & tanta quidem, vt ſolius Dei propria ſit. nam nemo poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus (vt bene Phariſęi dicebant) & à nemine niſi per virtutem Dei vſurpari poteſt. vt nos hoc doceret, dedit Chriſtus Spiritum Sanctum ante hæc verba, volens demonſtrare, Spiritum S. Deum eſſe, & per os ſacerdotis peccata remittere. Hic vides, Deum Sacerdotes *Luc. 22. 19.* *1. Cor. 11. 24.*

ſupra

ſupra omnes homines exaltare , & per hanc diuinam po-
ſtatem (certo modo loquendi) Deos facere, de quo dicit: *E-*
Pſal 81.6. *dixi Dij eſtis.* Sanctus Hieronymus notat. Chriſtum Apoſto-
los ſuos interdum *Deos* vocaſſe, vt cum interrogat, *quem dicu-*
Matt. 16.13. *homines eſſe filium hominis?* illis vero diuerſa reſpondentibu-
ait vlterius. *Vos vero, quem me eſſe dicitis?* quaſi diceret; homin-
illi, vt homines loquuntur; vos vero, velut Dij, illis excelſio-
res eſtis. Explicat hic Chriſtus, quare mane apud mulier-
Matt. 28. 10. diſcipulos *fratres* vocauerit, dicens *ite* , *& dicite fratribus me-*
Nam conſtituit illos hic Reges Regum, & Dominos Domi-
norum, (qui titulus eius proprius erat) dans illis poteſtate-
ſuper omnes Reges terræ , qui illis ſubiecti eſſe debeban-
Sacerdotij dignitas duplex. quia eos ligare, & peccatis ſoli abſoluere poterant. Duas h-
dignitates ſacerdos habet, multo omnibus mundi dignita-
1. bus altiores. Primo, ſunt ſummi Sacerdotes, id eſt, maiore-
digniores que omnibus, qui ante Chriſtum vixerunt, ſcilic-
Aarone, Abraham, Melchiſedech, Abel, &cæt. qui animali-
puraſque creaturas ſolum offerebant; ipſi vero, Chriſtum i-
pſum. neque ſacerdotio (quod in ſacrificatione ſitum eſt) al-
ter altero dignior eſt, neque ſimplex ſacerdos minus ſacrifi-
cium, quam ſummus Pontifex offert, aut alius Prælatorum,
& ideo ſummum Sacerdotium habet, ſummuſque Sacerdo-
eſt, quo nemo maior, quantum ad ſacrificium: quamuis iu-
riſdictione, alijſque poteſtatibus, Epiſcopo ſit minor.

2. Secvndo , Reges ſunt, omnibus mundi Regibus maio-
res. Nam *primo* poteſtas illorum in animas eſt, Regum in cor-
pora, ac temporalia. *Deinde*, poteſtas illorum ſupernaturalis
eſt, illiſque à Deo in ordinatione donatur: Reges vero nihil
ſupernaturale habent , ſed poteſtatem à populo accipiunt.
Tertio, Reges ſi remiſſionem peccatorum à Deo conſequi ve-
lint, ab hiſce iudicari debent, at ſacerdotes Regum iudicio
opus nō habent. *Quarto*: Reges poteſtate ſua priuari poſſunt,
bello ſeu alijs caſibus: poteſtas ſacerdotum à nulla creatura
eradi poteſt: ergo dignitate firmiores & excellentiores Re-
Li. de gloria Martyr. c. 28. gibus ſunt. Hoc ſignificat ſacerdotalis illa corona , quæ
S. Petri inſtitutione, inquit Grego. Tur. in vertice capitis radi-
Epiſt. ad Epiſcop. Gall c. 4 tur: in vertice .n. & in capillis incidi eā S. Anicetus Papa ſcri-
bit.

bit. Et tametsi ornatu exteriori non fulgeat, vt coronæ Regũ: tamen decidere aut auferri vt illæ, non potest, [a] S. Isidorus, & ex illo Concil. [b] Aquense, anno 816. habitum. Item [c] Amalarius Fortunatus & [d] Alcuinus diuersas significationes sacerdotalium coronarum scribunt; quarum optima est, quam ex S. Petro afferunt, quia *regale sacerdotium* significat, in S. Petri statua, quam S. Syluester Constantino Magno exhibuit; quæ etiamnũ in S. Petri basilica Romæ asseruatur, tres coronæ in S. Petri capite videntur, quas tametsi contumelia gentilium, vt S. Germanus Constantinopolitanus Patriarcha enarrat, totonderit: nihilominus vt ille potestatẽ Papę declararet, eas retinuit; est. n. triplex corona supremi capitis insigne, tam in politicis quia Cęsari triplex diadema ex ferro, argento, & auro, imponitur, quam in Ecclesiasticis quia Pontifex tres coronas in mitra sua gestat. Porro quantũ ad verba Christi spectat Nota primo, clarissima illa esse, & intelligenda, vt sonant, Christus enim, quod prudentis legislatoris est, clarissime sua priuilegia, & leges enunciauit, ne post mortem vllæ quæstiones inde orirentur. Patet hoc in omnium sacramentorum institutione; nam *primo* de baptismo dixit, *baptizate*, i. abluite *omnes gentes*, & homines, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Secundo* de Venerabili Sacramento, *Panis, quem ego dabis vobis, caro mea est, pro mundi vita*, quod clarissime in extrema cœna dat, dicens, *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum*. Item, *Accipite, & bibite, hic est sanguis meus. Tertio*: Quando S. Petrum sibi vicarium in Ecclesia constituit, dixit; *pasce agnos meos, pasce oues meas*: & *pasce agnos meos*, sic verba hæc perspicua sunt: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. In re magni momenti aliud, quam verba sonent intelligere fraus est, & delusio hominum. Sic Aristoteles Cyrenæus postquam impudica Laide vsus ea lege fuisset, vt Cyrenen illam deduceret: attulit illi Cyrenen in mappa depictam, dicens: Ecce iam es in terra mea, vt Clemens Alexandrinus narrat. qui fraudem hanc ascribit Christo, quasi corpore suo figuram solũ dederit, & pro potestate remittendi peccata, tantũ verba pronunciari voluerit, ad homines promouendos (quod etiam mulieres & pueri possunt) certe calumniator est, eiusdemq; benignã sapientiã blasphemat.

NOTA

a Isidor l. 2. de diu. off. c. 4 Cano. 1.
b li. 2. de Eccl off. c 2.
c Li. de diui. off. c. 35.
1. Pet. 2 9.
Vide acta Syluest. citata a Gelas. & recitata ab Hadriano. in Theoret. Eccl. tom. 6. Biblio. Sancta.
Matt. 28. 19.
Ioan. 6. 51.
Matt. 26. 26.
Ioan 20. 16.
Li. 3. Strom.

Nota *secundo*, quibus Christus hæc verba locutus sit, non omnibus, sed solum Apostolis, quos in vltima cœna Sacerdotes ordinauit. Quare ipsis eum peculiarē dedisse potestatem, quā nemo alius habuit, certum est. Et quoniam omnes viri, fœminæ, gentiles impij, alios ad Deum conuertere possint, vt fidem concipiant, veramque contritionem peccatorum cum proposito ea deserendi, necessarium est, Apostolis hic maius quid datum, quam auctoritatem prædicādi Euangelij, aut homines verbo Dei mouendi.

Cur data Apostolis potestas post insufflationem.

Nota *tertio*, Christum hæc verba afflatis Apostolis, & dato spiritu dixisse: nō quod solus ille potestatem remittendi peccata esset habiturus, qui in gratia est, & Spiritu sancto plenus, sic enim incerti essemus, quia nescimus, quisnam Sacerdotū bonus, aut malus sit: sed vt tria doceremur.

1. *Primum*, quod potestas remittendi peccata diuina sit, & Spiritus sancti præsidio indigeat, quātum ad hoc quod in malis est, & bonis: sicut non minorem potestatem à Rege Prætor habet, siue illū diligat, siue oderit.

2. *Secundum*, hanc potestatem sacerdotibus non vacuè conferri, sed cum interiori gratia Spiritus sancti nisi ipsimet obicem ponant. Nam *primo*, accipiunt remissionē venialium, *item* oblitorū mortalium, quod etiam in alijs Sacramentis fit: *deinde* peculiarem gratiam, vt tantū officium dignè administrent. Vnde Paulus ad Timotheum, de eius cōsecratione loquens; scribit: *Nō dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, dilectionis & sobrietatis*, quæ virtutes Sacerdoti, vt suæ vocationi ritè satisfaciat, imprimis necessariæ sunt. (1. Tim. 1. 7.)

3. *Tertium*, quod sacerdotes suo officio fungi in peccato mortali nō deberent. Licet enim illud efficaciam habeat, ipsi nihilominus nouo peccato mortali se obligant, irreuerenti Sacramenti admiratione, & quātum ad personam spectat, dicitur illis à Deo per Isaiam. *Incensum vestrum abominatio est mihi, Neomeniam, & Sabbathum, & festiuitates vestras non feram, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* (Isai. 1. 13. 14. 15.)

Remittere quid?

Nota *quarto*, verbum illud *remiseritis*: non significare, ostenderis illa remissa esse: sed ipsimet vos in veritate ea remittetis. Hoc namque discrimen est inter veteris & nouæ legis sacerdotes, inquit Chrysostomus; quod illi lepram non mundabant, (Chrys. l. 3 de Sacerd. c. 4.)

bant, sed tantum à Deo mundatum ostendebant; nostri vero animas mundent, & in veritate peccata remittant. Quare imperite hæretici nostri populo persuadent nullam hic aliam potestatem conferri, quam declarandi, quod Deus peccata dimiserit. *Primo*: quia de eo Sacerdos incertus est; cum ignoret pœnitentis dispositionem immo pœnitens, qui interiora sua longe melius ipso sacerdote habet perspecta; *Quis enim hominum scit, quæ sint hominis nisi Spiritus eius, qui in eo est*? ad hoc testimonio Sacerdotis nihil eget; nouit enim id certius quam sacerdos. Refutātur hæretici. I. 1. Cor. 2. 11.

Secundo, quia surdi quoq; remissionem peccatorum accipiunt, qui tamen verba non audiunt, nec intelligunt. Immo S. Leo Papa ad Theodorum Episcop. Foroiuliens. scribit, vt ęgrotos, si loquelam in extremis amiserint (si tamen ante poposcerint) absoluat. quod cum accidit, Sacerdotis verbo æger certior non redditur. *Tertio*, quia Christus non dixit: quorum remiseritis peccata, ijs prius remissa sunt, quod necessarium foret, si absolutio sacerdotis non esset nisi promulgatio, aut demonstratio illius, quod factum esset: sed dicit, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. clarissime pronuncians, sacerdotis sententia peccata dimitti. Quare Concil. Trid. hanc hæreticam interpretationem, hisce verbis grauiter damnauit: *Si quis dixerit, verba illa Domini saluatoris: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis peccata retenta sunt eis: non esse intelligenda de potestate remittendi peccata, & retinendi in sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem ad auctoritatem prædicandi Euangelium, anathema sit.* 2. Epist. 91. 3. Sess. 14. cā. 3. Ioan. 20. Matt. 16.

Nota *quinto*, verbum *peccata*; quo significatur *Primo*, sacerdotem non solum pœnam, vt aliqui olim hæretici dixêre, sed etiam peccata, & culpam dimittere, illumque Deo reconciliare, Infernum claudere, & cœlum recludere. *Secundo*, peccata non remanere, aut tegi, ita vt non imputentur: Sicut hæretici nostri loquuntur, sed quod reuera auferantur: vt ablutione, manuum sordes. qui interna iustificatione caret, & peccatis deformatus est, Deo placere nequit. *Odio enim sunt Deo impius, & impietas eius*, &: *qui Spiritum Christi non habet*, Sap. 14. 9. Rom. 8. 9.

habet, non est eius. Quare post absolutionem, in homine non remanet peccatum. illud namque afflatus ille Christi significat; nimirum quod Spiritus Sanctus, tanquam ventus, peccata abigat, flammamque extinguat. *Tertio:* hanc potestatem datam esse, non propter aliquorum duntaxat peccatorum remissionem, vti olim Nouatiani de minoribus, aut venialib. peccatis docebant; teste Ambrosio: sed generaliter, propter omnium peccatorum remissionem: quantacunque fuerint. Nam Christus à Patre suo omnem potestatem accepit, infinitis suis meritis; eandemq; in Apostolos liberaliter transfudit, vt docet Chrysost. nulla sibi peccata ob magnitudinẽ, vel multitudinem reseruat. Non q̃ se ipsum potestate priuauit, sed quod eam Apostolis sic communicauerit, vt omnia possint remittere, quæcunq; ipse potuit. magnum hinc peccatori solatium, & timoris ablatio: nam merita Christi, per quæ peccata remittuntur, multo maiora sunt peccatis vniuersis, non modo hominum qui fuerunt, aut erunt sed etiam dæmonum. infinita enim sunt, peccata vero finita numero.

Lib. 1 de pœnit. c. 2.

Lib. 3 de Sacerdotio.

Nota *sexto*, verbum *quorum*: quo significatur; alium hic modum remittendi peccata, quam in baptismo institutum. Mittens enim Apostolos Christus per orbem vniuersum sic præcipit eis dicens. *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Hic non dicit, *ite & remittite* hominibus peccata, sed *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* vtique significans, in hac remissione, maiore opus esse discretione, ac diligentia; vt non cuilibet petenti peccata remittantur, nec ad arbitrium cuiuslibet; sed pro capacitate petentis. Duo enim hic errores vitandi. *Primus* eorum, qui putant in Sacerdotis potestate esse, hominum peccata remittere, & retinere prout volunt. De quibus Diuus Hieronymus queritur: *Alter:* hæreticorum, qui non aliam præparationem, quam fidem requirunt. Quantum ad priorem errorem; sciant sacerdotes, se potestatem à se ipsis nõ habere; sed à Christo, nec illa vti posse aliter, quam Christus, si in terris esset, ea vteretur: videlicet, non pro obstinatis, aut nullum propositum emendationis facientibus, aut de præteritis peccatis non contritis: sed illis tantum, qui pecca-

Matt. 28.

Duo errores.

1.

In ca. 16. Matt.

2.

peccata sua ex animo deplorant, qui omnia malunt tormẽta, quam vt peccata celent; & ad omnem satisfactionem se paratissimos offerunt, vt ad pedes Christi Magdalena, & latro in Cruce. Quantum vero ad alterũ errorem; apud Catholicos omnes ex scriptura, & Ecclesiæ consuetudine notum, tria necessaria esse Christiano peccatori, ad remissionem peccatorũ obtinendam. *Primum* est; Syncerus dolor, non oris, sed cordis, nec ex timore temporalis ignominiæ aut damni; sed ex amore Dei peccatis offensi procedens. Hic dolor *contritio* vocatur; de qua Dauid ait: *cor contritum, & humiliatum Deus nõ despicies*. eo quod per amorem cor totum emollitũ sit, & in diuinam voluntatem transfusum: Quemadmodum arena à lapide detrita, vitri, in quod infunditur, figurã assumit. Imperfectum autem dolorem de peccatis, *attritionem* vocamus, quando amor Dei in homine nondum est, quem tamen peccati pœnitet, cũ proposito nunquam illud repetendi: nõ solum ex temporalis timore damni, sed etiam ex cõsideratione malitiæ peccati, in semetipso turpis, & quod æternã pœnam mereatur. Alter eorum dolorũ peccatori necessarius est, vt Augustinus testatur. *Omnis* inquit, *qui iam arbiter suæ voluntatis constitutus est, cum accedit ad Sacramentum fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, nouam non potest inchoare. Ab hac pœnitentia soli paruuli sunt immunes. Nondum enim vti possunt libero arbitrio.* Quare omnes ad pœnitentiã hortatur, scriptura; [a] Christus, [b] S. Ioãnes Baptista, [c] S. Petrus, omnes Apostoli, & Sancti. *Secundum* est; coram sacerdote sua peccata confiteri, non solum peccatorem se, sed singula mortalia aperiendo. Christus enim in Ecclesia tribunal erigit: vbi sui loco sacerdotem iudicem instituit, vt peccatorem iudicet, ipsiusque peccata aut remittat, aut retineat. Iudex non remittit illud, quod ei non dicitur: quippe qui scire prius debeat, quid ignoscat. Quare in particulari agnoscere peccator debet, faterique quid egerit: vt à primordijs Ecclesię Christiani semper fecêre. S. Lucas scribit Ephesi ad S. Paulum *venisse, multos credentium confitentes, & annunciãtes actus suos*, id est, peccata. Vnde factum est, vt malos curiososque libros, quos legerant, cõferrent, comburerentque. D. Iacobus hortatur infirmos, vt *confiteantur peccata sua*, posteaquam presbyterũ propter oleum

Tria ad remissione necessaria.
1.
Psal. 50. 19.
Lib. de pœni. medici. c. 2.
a *Marc. 1.*
b *Matth. 3.*
c *Act. 2. & 3.*
2.
Act. 19. 18.
Iacob. 5. 16.

sacrum sibi dandum vocarint, dicens; *confitemini alterutrum peccata vestra,* id est, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, & sanus sacerdos, non coram ægro, sed æger coram sano presbytero. S. Clemens Papa à S. Petro his verbis instructum se scribit. *Quod si fortè alicuius cor, vel liuor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc huic qui præest, vt ab ipso per verbum Dei & consilium salubre curetur, quo possit integra fide, & operibus bonis æterni ignis pœnas effugere, & ad perpetuæ vitæ præmia peruenire.* S. Dionysius Areopagita. Sancti Pauli discipulus, quendam monachum, nomine Demophylum reprehendit, quod peccatorem coram sacerdote genibus flexis peccata confitentem, calce abiecerit, ac repulerit. Tertulianus vero ait, *Si exomologesin retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguet*: quia illa nimirum ab inferno peccator eripitur. Origenes verò sic ait, *Est adhuc alia, licet dura, & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lauat peccator in lachrymis stratum suum, & cum non erubescit domino indicare peccatum suum.* Item alibi hanc similitudinem dat, *Scriptura monet, quod peccatum non oportet celare intrinsecus. Sicut enim ij, qui habent digestam escam, malosq; humores, si vomuerint, releuantur: ita etiam peccator si confitetur simul euomit delictum, & omnem morbi causam digerit. Tantummodo diligentius circũspice, cui debeas confiteri peccatum; tuumquia tunc Deus intrinsecus latens vulnus sanabit.* S. Basilius ait, *Peccatorum confessio apud eos fieri debet, qui ea possint curare, videlicet doctrina & experientia.* S. Cyrillus [a] Episcopus Hierosolymitanus sic docet. *Cõfiter equicquid siue verbo, siue facto, siue noctu siue interdiu peccaueris.* De hac omnes reliqui Doctores, ante mille & plures annos; vt Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, &c. Paulin⁹ presbyter & discipulus D. Ambrosij, de suo magistro refert; quod quicunq; eum confitendi causa cõuenisset, inter audiendum, ipse abundantissimè fleret, vt peccatorem quoq; ad flendum excitaret: sic vero Chrysostomus disserit: *Tempus quidem confessionis æquè & lotis baptismate, & illotis prophanisq; incumbit: illis quidem, vt post patientia criminum vulnera, pœnitentia interueniẽte curẽtur, & ad sacra mysteria redire mereãtur: his vero ablutis in baptismo maculis ad dominicã mensam mũda iã consciẽtia accedant,*

Epist. 1.

Epist. 6.

Lib. de Pœni. c. 1.

Homil. 2. in Leuit.

Hom. 2. in Psal. 37.

Quæst 229. et 288. cõpendio explicatur & q. 26 & 46. diffus. & c. 39 in regulis monasti.

a Cateche. 1. Illuminat.

In vit. Amb.

Homil. 10. in Matth.

Hic

Hic diſcrimen vides, quod in Eccleſia ſemper fuit, quantũ ad contritionem peccatorum, inter baptizatos & non baptizatos; quod illi, qui baptiſmum petunt, debeant cum dolore fateri ſe peccatores, cũ propoſito peccata relinquendi; at baptizati in particulari ſua peccata confiteri debent, vt illis liberentur: *Tertium*, quod à peccatore exigitur ad peccatorum remiſſionem, eſt ſatisfactio; de qua Clemens Alexãdrinus ſcribis; *quod qui à baptiſmo ſuſcepto peccauerint, caſtigari debent*. Et Tertullianus, *Secundam tabulam poſt baptiſmum, pœnitentiam vocat.* Nam per baptiſmum quietius, commodiuſq;, in mari mundi huius nauigatur, in gratia Dei, quæ nauis eſt: at fracta naui, & gratia Dei per mortale peccatum deperdita, maiore vtiq; labore trãſmittendũ eſt. *Satisfactione gratia Dei* (inquit ille) *emenda eſt, ieiunando, flendo, orando, vigilando & corpus caſtigando*: non quod abſolutio ſacerdotis poſt confeſſionem dari ſolita inefficax ſit; ſed quod antè ſatisfactionem, homo in integrũ non reſtituatur. Sacerdos liberat peccatorẽ pœnis inferni, ad pœnam interim temporariam manet obligat⁹, in hac vita, aut in purgatorio ſoluendam; vbi diuturnior maiorq; futura eſt; eò quod ibi patimur, nõ meremur: hic vero paſſio meritoria eſt. patitur enim corpus, anima verò per patientem charitatem operatur. Ibi autem pœna, ait Auguſtinus, tam ingens ac ineffabilis eſt; & poſt illum Cæſarius Epiſcopus Arelatenſis, vt ſimilis ei in orbe non inueniatur. Quare ſatius fuerit, hîc *facere fructus dignos pœnitentiæ*, vt D. Ioãnes loquitur; id eſt, vt D. Gregorius ait, *abſtinere etiam à licitis*. Nam ſi nihil aic illicitum egerimus, licitis perfrui poſſumus; at verò qui illicita perpetrat, etiam licitis carere hunc conuenit, vt verbi gratia, cibi ſunt, in ieiunio; commoditas, in vigilia; voluptas lachrymarum. Debemus peccata eleemoſynis, precibuſque *redimere*; iuxta conſilium Danielis Prophetæ, propriamq; malitiam diuino quodam zelo, in noſtro corpore vindicare: quemadmodum peccator ille Corinthius fecit, cùm S. Paulus Apoſtolus illius pœnitentiam prædicaret, & Chriſtianis, vt eum ſine pœnitentia in gratiam non reciperent, præcepit.

3. Satisfactio. *Lib. 4. Stromatum.* *Lib. de Pœni.* *in Pſalm. 38. hom 20.* *Matth 3. 8.* *Homil. 20. in Euang.* *Dan. 4. 24.* *2. Cor. 7. 9.*

Nota *ſeptimo*; Chriſtum hîc nouum Sacramentũ inſtituiſſe, quod nũquam ante in mundo extiterat. Sacramentũ quippe

signum externum est, interne aliquid supernaturale operans. In confessione peccata exponuntur, & sacerdos absolutionis verba: *Ego absoluo te*, aut *remitto tibi peccata*, quę audiri possint, pronunciat: quibus peccata in anima abluũtur, & peccator ex hoste filius Dei efficitur. Itaque discis *Primo*, haud satis esse, pro remissione peccatorum impetranda, quod sacerdos ea tibi corde remittat (quippe hoc solius Christi est, qui potestate sua sine externis signis aut verbis vtitur) sed verba quoque enunciare debet, tanquam externum signum, ad sacramenti essentiam. *Secundo*, perperam hæreticos, ex sacramẽtorum numero, Pœnitentiam expungere. Nam si peccata per verba sacerdotis remittuntur, dicentis: *Ego absoluo te*; operantur vtiq; illa verba, & efficaciter in anima id efficiunt, quod significant: quod nihil aliud est, quam Sacramentum esse. baptismus ideo Sacramentum est, quia hæc verba: *Ego te baptizo*, quæ sacerdos pronunciat, efficacia sunt, & peccata remittunt; Erit ergo cõfessio propter eãdem causam sacramentum, quia peccata per externa verba, interius à Deo remittuntur. Deus ante sacerdotem non remittit, sed postquam Sacerdos verba pronunciat, Deus quoq; eadem remittit, sic tamen *vt sententia sacerdotis, cælorum sententiam præcedat*, vt D. Bernardus post S. Hilarium Pictauiensem Episcopum tradit. Quare SS. Doctores pœnitẽtiam cum Baptismo hac in parte comparant. S. Ambrosius sic ait, *In baptismo vtique remissio omnium peccatorum est. Quid interest, vtrũ per pœnitentiam, an per lauacrum, hoc ius sibi datum sacerdotes vendicent? vnum in vtroq; ministerium est. Sed dices quia in lauacro operatur mysteriorum gratia. Quid in pœnitentia? Nonne Dei nomẽ operatur? Quid ergo, vbi vultis vendicatis vobis Dei gratiam, vbi vultis repudiatis?* Hoc contra veteres Nouatianos hęreticos scribit, qui Sacramentũ pœnitentiæ aut confessionis, pro Sacramento non habebant. Præterea ait: *Nam & impossibile videbatur, vt peccatũ ablueret aqua, sed quod impossibile videbatur, fecit Deus possibile, qui tantam nobis gratiam donauit. Similiter impossibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti. Hoc concessit Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad sacerdotum officia transmissum est.* Omnes veteres Doctores idẽ scribunt, & pręsertim qui aduersus Nouatianos literarum monumentis pugnauêre. Quare confessionem pro vno ex septẽ Sacramentis

Serm. 1. de Apost. Petro & Paulo.

Canon. 16. in Matth.

1. de Pæn. c. 7

Lib. 2. c. 2.

cramentis habebis, & veneraberis; in quo actus pœnitẽtis seu confitentis, materia sunt, videlicet cõfessio, & exterioris pœnitentię exhibitio; vnde confessionis Sacramentũ appellatur, ac pœnitentiæ: & forma sunt verba absolutionis. De quo in Concilio Tridentino legimus. *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia pœnitentiam non esse verè ac propriè Sacramentũ, pro fidelibus quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis à Christo Domino institutũ, anathema sit.* Item, *Si quis negauerit ad integrã & perfectam remissionem peccatorum, tres actus requiri in pœnitente, quasi materiam sacramenti pœnitentiæ, videlicet contritionem, Confessionem, & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse pœnitentiæ partes; terrores scilicet incussos conscientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Euãgelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum esse remissa peccata; anathema sit.* *Cap. rum de soluend. de haret.* *Sess. 14. ca. 3. & ibi can. 1.*

Nota *octauo*, Christum Apostolis suis hic duplicẽ potestatem dedisse, ad remissionem peccatorũ necessariam: videlicet ordinis, & iurisdictionis. Nam etsi ad humanum iudicium satis sit *iurisdictio*, in iudicio tamen diuino *ordo* necessarius est. Quare si quis Episcopus electus sit, nec tamẽ presbyter ordinatus, non potest confessiones excipere: cõtra, sacerdos iurisdictione destitutus, neminẽ absoluere potest, ex defectu subditorũ, quos nõ habet. Nullus quippe iudex quempiã iudicare potest, nisi subditus eius sit: Quemadmodum Scabini Mechlinienses nullũ ciuẽ Bruxelẽsem possunt dãnare. Christus Saluator noster dans hic Apostolis præfatam postetatem, illos quoq; Principes totius mundi constituit, quemadmodũ Propheta Dauid prædixerat. *Constitues eos Principes super omnem terram:* Quare totus mundus illis subditus erat, & omniũ Christianorum cõfessiones excipere poterant; in qua potestate pares omnes fuẽre, nec vnus altero plus habuit, vti bene admodum Cyprianus docuit. Erat nihilominꝰ discrimen magnum inter S. Petrũ, aliosq; Apostolos, scilicet, quod hi potestatem à Christo accepissent; vt Apostoli, id est, legati, quorum potestas cũ vita terminabatur, sic quidem: vt nullꝰ illorum successorem cum hac plenaria potestate reliquerit: immo nullus illorum sibi peculiarem ciuitatẽ pro Episcopatu delegerit; sed tanquã generales cõmissarij totum orbem peragrarunt, ordi- Duplex potestas Apostolorum. *Psal. 44. 3.* *Tractat. 3. de simp. Prælat.* Petrus in quo ab alijs Apostolis differat?

signum externum est, interne aliquid supernaturale operans. In confessione peccata exponuntur, & sacerdos absolutionis verba: *Ego absoluo te*, aut *remitto tibi peccata*, quę audiri possint, pronunciat: quibus peccata in anima abluũtur, & peccator ex hoste filius Dei efficitur. Itaque discis *Primo*, haud satis esse, pro remissione peccatorum impetranda, quod sacerdos ea tibi corde remittat (quippe hoc solius Christi est, qui potestate sua sine externis signis aut verbis vtitur) sed verba quoque enunciare debet, tanquam externum signum, ad sacramenti essentiam. *Secundo*, perperam hæreticos, ex sacramẽtorum numero, Pœnitentiam expungere. Nam si peccata per verba sacerdotis remittuntur, dicentis: *Ego absoluo te*; operantur vtiq; illa verba, & efficaciter in anima id efficiunt, quod significant: quod nihil aliud est, quam Sacramentum esse. baptismus ideo Sacramentum est, quia hæc verba: *Ego te baptizo*, quæ sacerdos pronunciat, efficacia sunt, & peccata remittunt; Erit ergo cõfessio propter eãdem causam sacramentum, quia peccata per externa verba, interius à Deo remittuntur. Deus ante sacerdotem non remittit, sed postquam Sacerdos verba pronunciat, Deus quoq; eadem remittit, sic tamen *vt sententia sacerdotis, cœlorum sententiam præcedat*, vt D. Bernardus post S. Hilarium Pictauiensem Episcopum tradit. Quare SS. Doctores pœnitẽtiam cum Baptismo hac in parte comparant. S. Ambrosius sic ait, *In baptismo vtique remissio omnium peccatorum est. Quid interest, vtrũ per pœnitentiam, an per lauacrum, hoc ius sibi datum sacerdotes vendicent? vnum in vtroq; ministerium est. Sed dices quia in lauacro operatur mysteriorum gratia. Quid in pœnitentia? Nonne Dei nomẽ operatur? Quid ergo, vbi vultis vendicatis vobis Dei gratiam, vbi vultis repudiatis?* Hoc contra veteres Nouatianos hęreticos scribit, qui Sacramentũ pœnitentiæ aut confessionis, pro Sacramento non habebant. Præterea ait: *Nam & impossibile videbatur, vt peccatũ ablueret aqua, sed quod impossibile videbatur, fecit Deus possibile, qui tantam nobis gratiam donauit. Similiter impossibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti. Hoc concessit Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad sacerdotum officia transmissum est.* Omnes veteres Doctores idẽ scribunt, & pręsertim qui aduersus Nouatianos literarum monumentis pugnauêre. Quare confessionem pro vno ex septẽ Sacramentis

Serm. 1. de Apost. Petro & Paulo.

Canon. 16. in Matth.

1. de Pœn. c. 7

Lib. 2. c. 2.

ramentis habebis, & veneraberis; in quo actus pœnitẽtis seu onfitentis, materia sunt, videlicet cõfessio, & exterioris pœitentię exhibitio; vnde confessionis Sacramentũ appellatur, c pœnitentiæ: & forma sunt verba absolutionis. De quo in Concilio Tridentino legimus. *Si quis dixerit, in Catholica Eccle-a pœnitentiam non esse verè ac propriè Sacramentũ, pro fidelibus quo-es post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis à Chri-o Domino institutũ, anathema sit.* Item, *Si quis negauerit ad integrã r perfectam remissionem peccatorum, tres actus requiri in pœnitente, uasi materiam sacramenti pœnitentiæ, videlicet contritionem, Confes-onem, & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixe-t, duas tantum esse pœnitentiæ partes; terrores scilicet incussos conscien-æ agnito peccato, & fidem conceptam ex Euãgelio, vel absolutione, qua edit quis sibi per Christum esse remissa peccata; anathema sit.* Cap. cum de soluend. de haret. Sess. 14. ca. 3. & ibi can. 1.

Nota *octauo*, Christum Apostolis suis hic duplicẽ potesta-em dedisse, ad remissionem peccatorũ necessariam: videlicet rdinis, & iurisdictionis. Nam etsi ad humanum iudicium fa-s sit *iurisdictio*, in iudicio tamen diuino *ordo* necessarius est. Quare si quis Episcopus electus sit, nec tamẽ presbyter ordi-atus, non potest confessiones excipere: cõtra, sacerdos iuris-ictione destitutus, neminẽ absoluere potest, ex defectu sub-itorũ, quos nõ habet. Nullus quippe iudex quempiã iudica-e potest, nisi subditus eius sit: Quemadmodum Scabini Me-hlinienses nullũ ciuẽ Bruxelẽsem possunt dãnare. Christus aluator noster dans hic Apostolis præfatam postetatem, illos uoq; Principes totius mundi constituit, quemadmodũ Pro-heta Dauid prædixerat. *Constitues eos Principes super omnem ter-am*: Quare totus mundus illis subditus erat, & omniũ Chri-tianorum cõfessiones excipere poterant; in qua potestate pa-es omnes fuẽre, nec vnus altero plus habuit, vti bene admo-um Cyprianus docuit. Erat nihilominꝰ discrimen magnum nter S. Petrũ, aliosq; Apostolos, scilicet, quod hi potestatem Christo accepissent; vt Apostoli, id est, legati, quorum pote-tas cũ vita terminabatur, sic quidem: vt nullꝰ illorum succes-orem cum hac plenaria potestate reliquerit: immò nullus il-orum sibi peculiarem ciuitatẽ pro Episcopatu delegerit; sed anquã generales cõmissarij totum orbem peragrarunt, ordi-

Duplex potestas Apostolorum.

Psal. 44. 3.

Tractat. 3. de simp. Pralat. Petrus in quo ab alijs Apostolis differat?

nantes in omnibus vrbibus Episcopos, ac Sacerdotes, vt de D.Paulo legitur: excepto S.Iacobo minore, qui à S.Petro Episcopus Hierosolymitanus ordinatus est; teste D.Chrysostomo cooperante S.Iacobo minore, & S.Ioanne fratre, inquit Eusebius Cæsariensis, ex Clemente Alexãdrino. nullus enim Episcopus, nisi à tribus Episcopis ordinari in Episcopatum potest, vt ex hoc exemplo docet S.Anacletus Papa: non tamen postmodum hanc potestatem post S.Iacobum quisquã successorum sibi arrogauit; sed semper Episcopo Cæsariensi, tanquam suo Archiepiscopo subiecti fuerunt, solus Petrus hanc potestatem habuit, non tantum vt Apostolus, aut legatus, sed vt pastor, & vniuersalis totius Ecclesiæ Episcopus: quemadmodum illi Christus dixerat: *Pasce oues meas, pasce agnos meos,* nõ solum vt commissarius, sed vt perpetuus superior, cuius officiũ, ac potestas in successores deriuetur. Hinc sequitur. *Primo:* hãc potestatem habere neminem, quam S.Petri successores, Pontifices Romanos. *Secundo:* hanc potestatem iurisdictionis, aut spiritualis imperij ab illo in omnes alios Episcopos, Prælatosque deriuari. *Tertio*: Tantum hos potestatis habere quantum illis à Pontifice communicatur. *Quarto*: Pontificem alijs quoque personis, qui perpetui Superiores, aut Prȩlati nõ sunt, potestatem illam conferre posse, & Christianos illis in spiritualibus subijcere: quemadmodũ ipse legatis suis, Nuncijs, ac Cõmissarijs magnam potestatem cõferre solet; multisq; Religiosis, prȩsertim mẽdicantibus, & alijs ijsdem priuilegijs gaudentibus, tanquã suis Sacellanis, quos in locũ suum substituit, & per orbẽ terrarum dispergit, cũ potestate audiendi omnium Christianorum confessiones, eosq; ab omnib. peccatis absoluendi. Super quo cõqueri nemo aut murmurare potest. Nam si Episcopus auctoritatẽ cõstituendi confessarios habet, qui in toto Episcopatu cõfessiones possint excipere; & parochi in suis quiq; parochijs, sacellanos: multo magis summus Sacerdos, Episcopus totius orbis, cõmissarios proprios faciendi potestatẽ habet super Christianos, quandoquidẽ ipsimet Episcopi, & Parochi, potestatẽ suam, & iurisdictionem ab illo acceperunt. *Quinto*: duo genera iurisdictonũ esse. *Primum*; perpetuũ quoddam officium est; vt est Papæ, Patriarchæ, Episcopi, Parochi.

Alte-

Act. 14. 22. *Ho. 87. in Ioã.* *Li. 2 hist. c. 1.* *Lib. 6. Hip.* *Epistol. 2. ad Episcopos Halia. & dist. 66. c. porro.* *Ioan. 21. 17.* Cõsectaria. Iurisdictionum duo genera.

lterum; ex delegatione seu cõmissione. *Primi*, Pastores sunt, ui rationem de ouibus (vt D.Paulus ait) suis reddere debẽt, Hebr.13.17. uibus à Sapiente dicitur. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui,* Prou.27.23. *tosq; greges considera; non enim iugiter habebis potestatem, sed corona bi tribuitur in generatione & generationem*, id est, Enitere subdi- os agnoscas, quantumuis pij, & virtute præditi sint, nec la- oris tui te tædeat, quippe qui perpetuò duraturus non t; & tamen perpetuam gloriæ coronam tibi conciliaturus. 'ultus ouium non adeò in confessione videtur (vbi solum- ıodo fœditas auditur, & posteriora magis quam interiora ectantur) quam in conuersatione, in qua diligenter subdi- orum vita perspicitur: num Catholici sint, num Sacramenta equentent, num singulis Dominicis, festisque diebus Missę, c concioni intersint, num se in alijs pijs operibus; vt eleemo- ynis, oratione, ieiunio exerceant, & num illa, quæ Deus, & cclesia præcipit, opere exequantur. Hæc inquam Episcopi c Pastores intelligere possunt; tum, per se ipsos colloquẽdo, c agendo; tum per alios, interrogãdo. Nam qui (horum cau- a) subditos cogunt semel quotannis sibi confiteri, & sub se ommunicare, singulis Dominicis parochiali missæ, & cõcio- ıi interesse, contra mentem Ecclesiæ & indiscretè agunt, etsi nim bonum sit, quotannis ad minimũ semel Pastori suo con iteri, nõ tamen commode semper fieri potest. *Primo* quidem: ropter subditorum multitudinem, quorum interdum in v- ıa parochia aliquot millia degunt, ita vt Sacellani tanquam Pastoris coadiutores poni debeant, & qui eis confitentur, à Pastore nec audiuntur, nec agnoscuntur. *Secundo:* quod inter- dum subditi à Pastoribus alieni sunt, vel propter vitam culpa- bilem, vel propter inscientiam, vel propter exiguam in audiẽ- dis confessionibus habilitatem, &c. Quos cõtra voluntatem suam cogere, paternum nõ est. Sufficiat pastoribus quod sub- diti proficiant, & instruantur in bono, à quocunque tan- dem id fiat. Nam qui omnia solus administrare vult, nec quæ alij faciunt, collaudat; vel superbus est, vt qui sibi vi- deatur Sapiens: vel auarus, temporale lucrum amittere me- tuens; vel inuidus, proximum contemnens, & non tam lu- crum animarum, quam vtilitatem propriam captans. *Sexto,*

Vt omnes sacerdotes non possunt omnium cōfessiones excipere; nisi qui illis vel ex officio, vel ex commissione seu priuilegio subiecti sunt: sic subditos ab omnibus peccatis absoluere nequeunt, preterquam in articulo mortis, vbi omnes sacerdotes super omnes potestatem accipiunt. Nam quemadmodum summus Sacerdos inferioribus, in certos homines potestatē confert; sic quoq; quædam sibi peccata reseruare potest, quos *casus reseruatos* vocant, à quibus nemo alius, nisi ipse solus absoluere possit, aut ille, quē sibi Vicarium substituit. Quemadmodum & in sæcularibus iudicijs, non in quouis tribunali quælibet causæ dirimūtur, nempe in domo tribunitia ea quæ leuioris momēti sunt; in domo ciuica, etiam criminalia, & capitalia: verum enormia & nefanda Principi seruantur. Dicit Christus, eūm *qui irascitur fratri suo, reum* esse *iudicio*; videlicet quod Prætores, & Scabini vrbium facere solent: at qui *Racha* dicit, *illum reum esse concilio*; quod Synedrion vocatur, septuaginta nimirum Seniorum: vtique hoc discrimen indicare volens. Quare mirari non debes, si te sacerdotes ad alium nonnunquam remittant, qui se maiorem potestatem habeat; sed hinc magnitudinem peccatorum tuorum aduerte & defle.

Math. 5.

Nota *postremo*: confessionem hominum inuentum nō esse, sed institutum Christi: qui post baptismum peccata remittere non vult, nisi illis solum, qui ea sacerdoti in hoc Sacramento cū dolore aperiunt. Nam si tribunal illud à Christo institutū est, omnia quoque quæ ad id necessaria, instituta erunt. In omnibus iudicijs necessarium est, iudicem delicta cognoscere, de quibus sententiam ferre debet; num remittere illa, an vero retinere debeat, quam peccatori pœnitentiam iniungere debeat, quam instructionem dare.

Cōsectaria nonnulla.

Hinc sequitur *primo*, Sacramentum pœnitentiæ necessarium omnibus illis, qui post baptismum in peccatum mortale labuntur: licet enim in necessitate vera contritio peccata, etiam sine Sacramento, remittat (vti D. Ambrosius de Valentiniano Cæsare, sine baptismo mortuo, sperabat) cum voto Sacramenti; nihilominus periculosum, id est, quia nec cuilibet talis contritio euenit, nec quanta illa esse debeat, constat, præsertim cum Diuus Augustinus dicat:

In orat. funebri

Tract. 15. in Ioan.

dicat: *Quantumcunq; catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat: non illi dimittitur, nisi veniat ad baptismum.* Quare olim Christiani valde soliciti erant (vt etiamnum sunt) vt ad Sacerdotes tempore necessitatis accurrerent, quemadmodum Augustinus alibi ait. *An non cogitamus, cum ad istorum periculorum peruenitur extrema, nec est potestas illa fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab vtroq; sexu, & ab omni ætate cōcursus, alijs baptismum flagitantibus, alijs reconciliationem, alijs etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem? vbi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de hoc sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vita æterna requie non habebunt?* Et licet peccata interdum per solam contritionem remittantur, nihilominus cōfessione expiari debent; quemadmodum Cornelius Centurio, accepto iam Spiritu sancto baptizatus est. Nam remissio per virtutem Sacramenti fit, quod in desiderio est, quod si illud tua culpa tibi non contingat, manent peccata. Epist. 180. Actor. 10, 48

Secundo, Consultum non esse, diu confessionem differre; siue peccato mortali obnoxium te putes, siue non. *Difficile est, mortalia à venialibus discernere*; inquit Augustinus, & hora mortis incerta, quæ sæpius aduenit, quando minimè expectatur, vt in Euangelio Saluator prædixit. Alio loco ex V. Beda terribile exemplum de hac re narraui. Huic affine scribit S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus de quodam adolescente, qui rogauerat Angelum, vt triduo ante mortem eum commonefaceret. *Semel*, inquit, *tum hanc faceret orationem, apparuit ei Angelus dicens, eum non moriturum sine auisamento siue sine pronunciatione. Ex quo iste assecuratus magis, se voluptatibus omnibus immergebat. Inde ad modicum tempus, quadam die surgens è lecto sensit dolorem capitis, superuenit febris, & in lectum sternit se: consanguinei admonent, vt confiteatur sicut debent facere. Respondit ille, quod non est infirmitas illa ad mortem, vt oporteat confiteri, sed subito liberabitur: febris incrementa suscepit, admonetur iterum ab amicis de confessione. Respondet, diminuta infirmitate se facturum. Demum appropinquante morte, Angelus apparuit ei, dicens: Tempus est, vt egrediatur anima tua de corpore, finis tuus venit. conqueritur iste dicens: Dominus decepit* 21. de Ciuit. cap. 27. Dom. 24. post pentec. § 5. Serm Theol. p 2. tit. 9. cap. 13. § 5.

me, quia promisit mihi; quia non morerer sine auisamento: ecce de hoc non fui auisatus. Cui Angelus, immo multoties fuisti auisatus, nam infirmitas auisamentum vnum fuit, & consanguinei alterum, ac Sacerdos, Noluisti audire, non datur tibi amplius tempus, oportet quòd moriaris, & sic sine confessione moriens ad infernum deductus est. Perpende quid Dauidis Regis filijs acciderit, Amnon; & Absalon, & Onan filio Patriarchæ Iudæ qui ex improuiso mortui, vti quoque Core, Dathan & Abiron, & innumeri ex Israelitis in deserto.

2. Reg. 13. 18. Gen. 38. 10. Num. 16. 33.

Tertio: Non solum aliqua peccata confitenda, vt plerique docent hæretici; sed omnia, ac singula mortalia, quorum memoriam habemus, neque vllum ex ijs scientes, aut volentes propter pudorem, timorē aut aliquid aliud celare possumus. S. Bernardus, *Quatuor sunt*, ait, *quæ impediunt confessionem: pudor, timor, spes, desperatio. Quosdam enim impedit pudor, qui scilicet præ sola confusione dicere erubescunt peccata; quæ commiserunt. De quo per Salomonem dicitur: Est cōfusio adducens peccatum. alios impedit timor. Timent enim si confiteantur: ne grauis eis pœnitentia iniungatur, & hos arguit Iob dicens: qui timet pruinam, irruet super eum nix. Illorum confessionem impedit spes, qui in hoc mundo adhuc aliquid concupiscunt, nec putant se adepturos, quod desiderant, si hominibus quales sint innotescāt, talibus comminatur Dominus in Euangelio væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Sunt item alij, qui nihil horum verentur, sed post peccatorum confessionē ab ipsis abstinere minime possunt, & his obest desperatio. Quibus non incongruè illud potest aptari. Peccator cum in profundum venerit malorum, contemnit. Fit vero nonnunquam vt hæc omnia simul confessionem impediant, qui Lazaro similes in monumento iacenti & fœtenti sunt. Scriptum est enim à mortuo velut, qui non sit, perit confessio. Quia si is mortuus est, qui non confitetur: vtiq; reuiuiscet. Qui confitebitur Veniat ergo Iesus & dicat. Veni foras. Et ad vocem eius illico suscitabitur mortuus. Dicatur ergo ei primum, quem pudor afficit cur te pudet peccatum tuum dicere, quod non puduit facere? aut cur erubescis Deo confiteri, cuius oculis non potes abscondi? Quod si forte pudor tibi est vni homini, & peccatori peccatum tuum exponere: quid facturus es in die iudicij, vbi omnibus exposita tua conscientia patebit? Secundo, si te timor detineat, cogita quam sit longa pœna inferni, quam grauis, quam infructuosa: è contrario verò præsentis vitæ pœnitentia, quam breuis*

In sentent. Eccl. 4. 25. Iob 6. 16. Matt. 24. 19. Prouerb. 18. 3. Ioan. 11. Eccl. 17. 27. Ioan. 11. 43.

breuis leuis, & fructuosa. Tertio, contra timorem hæc itidem oppone, bona scilicet futuri sæculi præsentis bonis, maiora, certiora, durabiliora, ad quorum considerationem quicquid in hoc mundo desiderari potest, modicum est & incertum, & vt ita dicam momentaneum. Quarto contra desperationem tria sunt remedia, primum vigor ipse propositi boni, quem assumit ex confessione. Secundum est gratia Dei, quam meretur ex humilitate. Tertium est auxilium, quod ex eius habet, cui confitetur compassione. Hucusque S. Bernardus: vnde discis quam necessarium sit omnia, & singula peccata confiteri. Idipsum ex certis historijs quoque colligere potes, quæ olim contigerunt, quarum quatuor breuiter commemorabo.

Prima, anno 680. Christi contigit, quando S. Abbas Philibertus in Francia, ægrotum monachum inuisit in extremis, officio linguæ destitutũ. Admonebat illum, vt manum suam comprimeret, si quid in conscientia eius esset, quod eum torqueret. Æger compressit illius manum. Abbas illico inde templum D. Virginis ingressus, orauit Deum, vt ægro vocem redderet, ne dæmon animam eius propter inconfessum, & tectum peccatum ad inferos pertraheret. Exaudiuit illum Deus, & æger vocem recepit. Abbas autem confessionem illius excipiens, ab occulto peccato, alijsque eundem absoluit, & paulo pòst æger in cœlum euolauit. Hoc quidã illius temporis scriptor ad Abbatem Coschinum & Gemmeticensis monasterij monachos scripsit. *In gestis S. Philiberti 20. Aug. cap. 11.*

Alteram, venerabilis Petrus Cluniacensis, qui ante 50. annos vixit, scripsit de adolescente, qui in adulterio cum quadã muliere maritata vixerat. Qui morti proximus, presbyterum accersiri voluit, vt eius confessionem susciperet, & morienti humanæ salutis viaticum præberet. Qui studiose confiteri aggressus, crimen, vnde infamatus, reticuit. At cum de superfato crimine à presbytero interrogaretur, mentitus est, & ait, *Sic hoc Domini corpus quod attulisti, ad salutem suscipere merear, sicut huius rei, quæ mihi obijcitur, culpã aliquando non incurri.* Presbyter his verbis credulus, Dominicam ei communionẽ securus tradidit. At æger illã deglutire nõ potuit, licet maxime conaretur, sed iuxta lectũ in quo decũbebat, exspuendo proiecit. Cuius rei euentu valde territus, reuocari presbyterũ iubet, & spiritu *Lib. 1. mirãd. cap. 3.*

Dei

Dei compunctus; & cum multo gemitu pœnitentem ac satisfactionem absoluit presbyter. Qui post reatus confessionem, & corporis Christi perceptionem, paululum superuiuens in pace quieuit.

Cap. 4. ibid. *Tertiam*, Idem refert, de monacho, & sacerdote quodam in Francia, quem ad extrema venientem, fratres psallendo circumsteterunt, vt eius exitum Deo orationibus commendarent. Qui cum, vt defungeretur expectarent, ecce subito resumpto spiritu, & apertis oculis, acclamare cœpit Symbolum Athanasij. *Quicunq; vult saluus esse, &c.* & ait, *vidi virum venerandæ formæ, & candidi habitus, paulò antè vas cum aqua afferre, mihiq; dicere: Noueris causam aduentus mei ad te hanc esse, vt pedes tuos, qui inquinati sunt abluam, ijsq; ablutis totum te mundum reddam. Et non nosti hanc aquam tibi necessariam esse, qui tale, quod ipse nosti crimen commisisti, quod de industria celans, nulli hactenus aperire voluisti? Vnde scias te nullatenus posse Saluari, nisi quod perniciosè celaueras, salubriter studeas confitendo manifestare.* Ille priorem aduocans illud confessus est, & astantibus fratribus læto vultu prima hora diei bono fine quieuit.

In scala cæli verbo Confessio. Quarta multo est terribilior, quam quidam pius Dominicanus *Ioannes Iunior* nomine scribit anno 1470. de quadam nobili fœmina, quæ cum cognato quodam adulterium commiserat. Ibant, inquit, duo Prædicatores per viam vnus erat pœnitentiarius Domini Papæ, & Sanctus homo; alter verò multum innocens, & pius. Illa dum vidisset illos extraneos in Ecclesia celebrantes, dixit intra se, isti non cognoscent te, nec vnquam redibis ad partes istas, & ideo istis dices peccatum. Celebrata missa, ad pœnitentiarum accessit, & stante socio suo ex opposito, cum peccata sua confiteretur, ad quamlibet expressionem vnius peccati, bufo exibat de ore eius, & saltando exibat Ecclesiam. Et tandem confessis omnibus peccatis, cum venisset ad illud, præ verecundia noluit confiteri, & dum absolueretur à Confessario, & ipsa vellet recedere, socius pœnitentiarij videt, quod omnes illi bufones cum vno alio ingressi sint os mulieris. Cum ad vnam leucam recessissent fratres, alter visionem confitentis mulieris reuelauit: alter vero territus, & tristis dixit: *Celauit aliquid in Confessione.*

Redeun-

Redeuntibus verò illis, vt eam conuerterent, suffocatam inuenerunt & mortuam. Qui contristati modo mirabili ieiunio & orationibus cęperunt implorare diuinam clementiam, vt dignaretur ostendere, quid significaretur per visionem ostensam: Tertia die apparuit eis mulier, equitans super draconem, & duo serpentes crudeles cingentes collum eius, sugentes eius vbera, duo bufones terribiles erant super oculos eius, ac de ore eius ignis sulphureus exspirabat, duo canes deuorabant crudeliter manus eius, Et duæ sagittæ ignitę immittebantur, per aures eius, in capite eius lacertæ stabant. Quæ cum vidissent fratres, territi corruerunt, quæ ait: *Nolite timere amici Dei, nam ego sum maledicta illa mulier, quæ fui vobis alia dię confessa. Et quia celaui in Confessione peccatum tale, adiudicata sum perpetuo tali pœnæ. Nam lacertæ capitis sunt in punitionem ornamentorum capitis, bufones oculorum in punitionem corruptorum aspectuum. Sagittæ ignitæ in punitionem diffamationum, cantionum & immundorum verborum. Serpentes sugentes vbera in punitionem, quia sustinui immundos tactus. Sed crudelitas in punitionem actuum immũdorum, & quia bona dedi, de quibus sustentari pauperes poterant Christi, meis amatoribus: equito super draconem, qui in expreßibili dolore cruciat, & comburit omnes tibias, & omnia viscera mea, in punitionem immundarum operationum.* Hucusq; ex historia, quam pro fabula habere non audeo, quandoquidem inuenio illam à diuersis viris sapientibus, & eruditis pro vera credi & narrari, neq; quidquam contrarium habet Catholicæ fidei nec ijs pœnis, quibus ordinariè nos Deus punit. Quare diligentissimè tibi à mendacijs caue, & nihil in confessione absconde. Nam Deum decipere non potes, qui hæc mendacia magni facit, eaq; sacrilegij, & ignominiæ Sacramento irrogatæ loco habet.

Quarto sequitur, numerum quoq; mortalium peccatorum exprimẽdum esse: maiorem enim pœnam viginti homicidia, quam vnum, merentur; quorum vnumquodque, peccatum mortale est. Præceptum hoc impossibile non est, immo nec adeo difficile: quippe nõ plus quã possis exigitur. Vult Deus, vt ante confessionẽ conscientiam discutiens, non inconsideratè absq; vlla inquisitione ad sacerdotẽ venias, quasi satis esset, quod ille te interroget. Si certum numerum inuenire non

potes,

potes, dic quam diu peccata frequentare solebas, & quoties singulis hebdomadis, aut mensibus, examina: & sic cognosces an vigesies, an quinquagesies, an centies, aut sæpius cõmissa sunt, an vero ter, aut quater. Certum numerum nomina; cum incertitudine quadã dicens, forte tricies aut vicies feci.

Quinto: Non solum peccata quoad numerum, sed etiam quoad circumstantias confitenda, quæ ex veniali mortale faciunt, aut speciem mortalium commutant. Quare sciendum quinque esse genera circumstantiarum in peccatis. *Prima*, alleuant peccatum: vt, furari propter eleemosynam, propter bonum mentiri, alium percutere & cognomina dare, quia ad hoc ab eodem aliqua iniuria aut iniustitia excitatus fuerat. Has confiteri necesse non foret, etsi id multi faciant, tum vt se excusent, tum vt proximum accusent, & sic veram contritionem perdunt. Si vero circumstantiæ id quod in se peccatum esset, faciant non peccatum esse; vt in quadragesima carnibus propter infirmitatem vesci cum venia; aut mortale in veniale commutarent, vt carnibus die pisculento vti aut non ieiunare, ex ægritudine sine venia, quam tamẽ petere potuissemus, sunt aperiendæ. *Secundæ*, non augent, nec minuunt peccatum, vt furari in domo viri alicuius, aut mulieris, rixari cum hoc, aut illo, quæ etiam dicendæ nõ sunt, ne verba multiplicentur sine causa: ab his quippe in confessione diligenter sibi cauendum est. *Primo*: ne non necessariæ historiæ repetantur, fures temporis, & alij retardentur, pœnitens cum confessario distrahatur, & forte ad curiosa impellatur. *Secundo*, ne quisquam nominetur: hoc enim faciendo in rebus, quæ ad peccatum spectant, potest facile confessarius quippiam apprehendere quo nominatum in culpam trahat. *Tertiæ* augent peccatum, non tamen mutant, vt otiosa verba, aut colloquia in loco sacro, aut festis diebus miscere. Quas tametsi necessario cõfiteri nõ oporteat, nihilominus in peccatis mortalibus vt addantur, est consultum, vt teipsum magis accuses, tuamque malitiam accuratius aperias & melius instruaris, grauiorique pœnitẽtia facilius remissionẽ pœnæ obtineas. Hæ scrupulosis admittendæ non sunt, qui in omnibus circumstantijs etiam minimis, nouas semper difficultates inueniunt, nullumque

Circumstantiarum quinque genera.

2.

3.

lumque finem repetendi faciunt: nihilominus notandũ eſt, quod perfectio, aut imperfectio peccatorum aperiri quoque debeat: quippe conſentiendo cogitationi, idem peccatũ perpetratur, quod opere admittitur, quemadmodũ Chriſtus ait, *qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Matth. 5. 28. Cæterum cum imperfectius peccatũ tale ſit, quã cum opere ipſo expletur, exprimendũ quouſque in eo progreſſus ſis, num ſolũ conſenſerit voluntas, an etiã de eo ſermo factus; an eius cauſa, aut occaſio aliqua quæſita ſit, aut opere denique cõſummatum. *Quartæ,* faciunt ex eo, quod in ſe peccatũ nõ eſt, peccatum, aut ex veniali mortale, vt v. g. furari pomum ob paruitatẽ rei, peccatũ non eſt, at ad vexandum proximũ id facere, peccatũ eſt veniale: Item, acum ſartori ſuffurari mortale peccatũ non eſt, verũ ſi quis ſciret, quod aliam nõ haberet, ideoque faceret, quo illo die eundẽ à labore ſuſpenderet, eſt peccatũ mortale, ob damnũ proximi. Hæ neceſſario cõfitendæ ſunt, quando mortale peccatũ cõſtituunt. 4. *Quintæ,* ſpeciem mortalium peccatorũ immutant, ideoque expreſſe aperiendæ ſunt; diuerſa enim peccata ſunt, fornicare cum meretrice, & cum cõiugata: Item cũ Religioſa, cum virgine, & cognata, & vi, &c. item furari, & in Eccleſia furari: quare hæ circumſtantiæ aperiendæ ſunt. 5. Accidit enim interdum multas circumſtantias operi alicui aduenire, quæ illud ipſum ad diuerſas ſpecies traducant: v. g. quando cõiugatus cũ virgine Deo ſacrata peccat, ſua nepti, & quidem vi, eo animo vt aliquid in monaſterio furetur, vt illud habens inimicũ ſuum queat occidere. Hic ſeptẽ ſpecies ſunt. 1. eſt adulterium. 2. ſtuprũ, quia virgo. 3. ſacrilegium, quia religioſa. 4. inceſtus, quia cognata. 5. raptus quia vi. 6. furtum, quia propoſitũ furandi. 7. homicidium, quod perpetrare cogitat. Hæ omnes circumſtantiæ dicendæ ſunt, tametſi opus externum vnum duntaxat ſit. Idcirco quotieſcunque confiteri vis, Septem circumſtantias expende, de quib⁹ nõ modo Chriſtiani, ſed etiam Ethnici Philoſophi ſcribunt. Circumſtãtiæ ſeptem. *Primo*, qualis fueris, quando hoc opus admiſiſti, Eccleſiaſticuſne, an ſæcularis: coniugatus, an non: num puer, quando peccaſti, an adultus. *Secundo*, quid fuerit quod furatus es, paruum an magnum, multum an parum.

Tertio,

quod furatus es, paruum an magnum, multum an parum. *Tertio*, Vbi id feceris, in templo aut alibi, clam an palam. *Quarto*, Quocum, cum cognata, cum fæculari, an Ecclesiastica persona. *Quinto*, Quamobrem quo animo, num furandi, aut alij damnum aliquod inferendi. *Sexto*, Quomodo, num in, num ab alio ad hoc impulsus aut motu proprio. *Septimo*, Quando, num die festo, aut feriato, aut esuriali, aut alio, &c.

Sexto, Sequitur: Conscientiam ante confessionem accuratissime discutiendam; præsertim cum raro confitemur: nam ignorantia, & memoriæ infirmitas apud Deum nos non excusabunt, si non discusserimus nos, sicut oportet. Vt mundam conscientiam serues, necesse est illam in dies singulos semel, aut bis examinare, & singulis hebdomadis ad minimum semel confiteri: ad munditiem cubiculi facit, si quotidie purgetur, & semel in hebdomade sordes auferantur. Nec minor est cura habenda animæ nostræ, quam Deus vti templum suum inhabitat; quam domus nostræ, aut linteaminum, quæ in septimanas singulas eluimus. Quod si à longo tempore confessus non sis, nec semel aut bis recogitare peccata sufficiat, integrum diem delige, aut duos, & opera tua quoad locorum, in quib⁹ fueris, rationem expende, item negotijs illis quæ expediueris insiste, Deumque vt horum omnium tibi memoriam renouet, precare.

Anno Domini 1558. Camerini in Marchia Anconitana accidit, peccatorem aliquem peccata sua confiteri voluisse, ad quorum se confessionem optime disposuerat. Et cum coram Sacerdote genua inflecteret, dæmonem ante se stãtem videt ingentem librum habentem, qui diceret. *Quamobrem confiteri vis? Peccata tua magna nimis & multa sunt, quorum remissionem impetraturus non sis, neq; ea de cætero missa facturus.* Peccator ergo libro visus, & ex eo quidquid deliquerat, confessus est. Diabolus quippe folia singula decursa vertebat, vt priora confessus fuerat. Vbi finem attigit à Sacerdote absolutionem accepit, & continuo euanuit diabolus: quem ideo ad illum destinarat Deus, vt eum peccatorum suorum memorem redderet, quanquam diaboli intentio fuerit, eundem in desperationem pertrahere. Hoc homo ille, cui id acciderat, vni ex nostris

nostris retulit, à quo ego id accepi. Scribit S. Ioannes Climachus de quodam latrone monasterium pœnitentiæ causa ingresso, à quo Abbas exegit generalem confessionem, qua peracta, vnus ex monachis præsentibus, ingentem & terribilem hominem vidit, cum papyro vndique conscripta, quæcunque peccator ille confiteretur calamo delentem. Deus enim illi hanc gratiam contulerat, vt omnia ei peccata occurrerent. Venerabil. Petrus Cluniacensis terribile exemplum commemorat, quod in quodam sui ordinis monasterio, ipsimet Româ redeunti, ac graui ægritudine conflictanti, contigit. In quod nobilis quidam ingressus, eodem Quadragesimæ tempore grauiter quoque decumbebat, qui nihil aliud ad extremum, absque vlla quiete inclamabat. *O fratres, quare non succurritis mihi, cur non remouetis à me maximum & terribilem runcinum istum: qui posterioribus pedibus contra me versus, calcibus caput meum conquassat, faciem dissipat, dentes conterit, &c.* Post Pascha vero Petrus, vltro ad eum accessit, & quid tam diuturna sibi vociferatione vellet, quæsiuit. Cui idem quod supra respondit, se ab equo illo calcibus feriri. Interim aquam benedictam ferri iubet, ægrumque aspergit, qua cum nihil proficeret, generalem confessionem ei contulit. Quod cùm faceret, non modo non ab equo illo, seu diabolo eius confessionem impediente, torqueri desijt, sed etiam ab alio ad caput (qui instar alicuius omnia peccata proponentis, ægrum à confessione impedire conabatur) vexatus est. Nihilominus confessionem ab hora diei prima, ad horam tertiam, perfecit, & Abbatis percepta absolutione, disparuerunt dæmones, & infirmus omnino quietus fuit, vt vsque ad horam diei in sequentis sextam superuixit, qua bonum pœnitentiæ exemplum relinquens vitam in pace finiuit.

Gradu 4. de obedientia.

Lib. 1. Mira. cap. 6.

Vnde discis; Deum peccatorem ex animo se conuertentem adiuuare, & peccatorem memorem reddere; ne impossibile cogites, aut non necessarium peccata recensere. Ostendit Deus id necessarium, & in eo quod necessarium est, relinquere non solet hominem bonæ voluntatis. Dauid quidem dicit: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* *Psal. 18. 13.*

Tantus est peccatorũ nostrorũ numerus, vt nemo cognoscat, ideo & ab incognitis peccatis meis emundare cupio, sed de venialibus loquitur, sine quibus vix diem vnum quis viuere potest, vt sapiens testatur: *Iustus septies cadit, & resurget:* & Ioannes *si dicimus, qui peccatum non habemus ipsi nos seducimus.* Quippe semper non modo humiliter, sed verè dicere nos conuenit: *demitte nobis debita nostra.* De his peccatis nõ loquimur, nec eorum numerum in confessione exigimus nisi forsan magnus aliquis peccator, per quotidiana peccata, illa enormia intelligat, vt ebrietatis, impudicitiæ, furti, vsuræ, rapinæ, periurij & similia, quæ à multis proteruis hominibus (prô dolor) indies committuntur; neque ea quotidiana sunt, quæ venialia dicimus: sed mortalia quæ difficilius ideo remitti possunt, quo inueterauerunt magis per consuetudinem, & tenacius adhærent. Confessio principalius non propter parua peccata instituta est, sed propter mortalia, cœlum claudentia, & Ecclesiæ clauibus ad illud rursus aperiendum opus habent. Nam venialia non claudunt cœlum, neque Dei gratiam, aut amorem tollunt, sed feruorem charitatis debilitant, ideo vt Augustinus docet, alijs medijs remitti possunt, alijs nimirum quæ charitatis ignẽ denuo inflamment: qualia sunt opera omnia ex charitate facta, quib⁹ aliquo modo siue aperte siue occultè peccata eradimus. Doctores tribus modis id fieri docent. *Primo,* Quando Deus gratiam nobis infundit, vti in cuiuslibet Sacramenti susceptione accidit, & præsertim in Sacramento altaris, vbi dator gratiæ, & charitatis cum donis suis ad nos descendit: & in Sacramento extremæ vnctionis, de quo D. Iacobus scribit, quod eo infirmis *peccata remittantur,* si adhuc quædam habeant. Omnia namque Sacramenta diuinam gratiam conferunt, nec solum venialia remittunt, sed etiam mortalia, quorum memoriam non habemus. *Secundo,* Si quid cum interiori detestatione peccatorum agamus: sic generali illa confessione quæ sacro præmittitur oratione, Dominica, & tunsione pectoris cum publicano diluuntur. *Tertio,* Si quid cum reuerentia in Deum, & res diuinas agimus: vt cum deuote Episcopi benedictionem accipimus, aut aquam lustralem, & in locis sacris deuote oramus, vt in processione venerabile

Prou. 24. 16. *1. Ioan. 1. 18.* *Enchir. c. 71.* Venialia quomodo remittantur? 1. *D. Th. 3. p. q. 87. art. 3.* *Iacob. 5. 15.* 2. 3.

rabile Sacramentum ſequimur,&c. Nihilominus conſultum eſt, venialia quoque peccata confiteri non ſolum vt inſtruaris à ſacerdote, ſed etiam vt certã eorundem remiſſionẽ conſequaris: quoniam cõfeſſionis Sacramentũ ad omnium peccatorum remiſſionẽ inſtitutum eſt, ſiue venialia illa ſint, ſiue mortalia,& quod modũ emundationis per confeſſionẽ accepimus, inquit Clemens Alexandrinus: id eſt, Deus media omnis mundationis in hoc Sacramento reliquit. Petrus Damianus Epiſcopus ac Cardinalis ſcribit de quodam iuniore monacho, Guidonis Comitis filio, qui in extremis duos dæmones in ſpecie duorũ vulturum ad ſe venire vidit, & cum illis multos Æthyopes,totã domũ implentes.Æger id Abbati Romoaldo refert,qui ei vt peccata confiteretur iuſſit:quod & fecit,nõ aliud habens quã quod ſcopas,quas afferre à priore iuſſus fuerat, nõdum attuliſſet. Abſolutione vero accepta, continuo expirauit,& ſequente die cæco,cui & viſum reddidit,apparuit. Hinc certitudinẽ & efficaciam Sacramenti aduerte, atque ideo magna cum fiducia ad illud accedas; nec deſperes tam grauia peccata ſunt, quæ nõ hic remitti poſſint, nullum adeo cœlum occludit, quin Eccleſiæ clauib⁹ recludi queat.De hoc idem Petrus Damiani alibi hiſtoriam refert, de quodam monacho admirabilem, in monaſterio S. Sylueſtri prope Vrbinum Italiæ vrbem defuncto, qui diu peccatũ carnale poſt profeſſionẽ commiſſum reticuerat. Cantabatur ſacrum funebre in Eccleſia, ad quã illius cadauer delatum erat, & ecce cùm cantaretur, *Agnus Dei*, reuixit mortuus, & loqui exorſus eſt,blaſphemans Deum,eiuſque matrem ſanctiſſimã, & crucem ad oſculandũ datã conſpuens dicensque: *Quare pro me Deum oratis? quare ſacrificium miſſæ offertis? In igne enim infernali fui, vbi mihi magiſter meus & Dominus Lucifer, perpetuam ſtationem aßignauit: ſuamq; coronam æternam ardentem capiti meo impoſuit, & candens pallium ſuum mihi circumdedit ad talos vſq; me tõtegens*,adeo accenſum, vt liquefieri videretur, & igneas à ſe ſcintillas diffundere. Et quantumuis bonis verbis admoneretur non tamen illis obſequi voluit, ſed blaſphemijs & maledictis Confeſſionem, omniaque ſalutis noſtræ remedia inſectabatur. Videntes vero fratres ſe verbis nihil proficere, grauiſſima

Lib. 5. Strom.

In geſtis S. Romoaldi.

Epiſt. 5. cap. 4.

pœnitentiæ opera susceperunt: Virgis enim corpora sua flagellarunt, manibus contriuerunt pectora, & cum lachrymis diuinam misericordiam implorarunt. Ad extremum exaudiuit eos Deus, & indurati peccatoris illius cor emolliuit: qui dein magno cum dolore confessus est peccata sua, quoad sequenti die cum quiete conscientiæ spiritum Deo reddidit. Quare nunquam despera, etsi nullam putes sperãdi causam, & inferni os coram te diductum videas: quamdiu enim in corpore anima est, poterunt claues Ecclesiæ aperire cœlum & claudere infernum.

Cur tã difficili medio peccata remittãtur. Nota *decimo*, causam, propter quam hoc tribunal Christus in Ecclesia sua relinquere voluerit: quandoquidem minore labore peccata demittere potuisset, siue per solam fidem (vt hæretici obstrepunt) siue per aliam aliquam cæremoniam, vt in Baptismo remittuntur. Confiteri namque peccata, hominique illa aperire res difficilis est, pudoris cõtemptusque plena, non sine infamiæ (vt videtur) periculo, videntur Israelitæ nobis fuisse feliciores qui sine cõfessione peccatorum remissionem obtinebant. Quamobrem sciendum *primo*, nos multo feliciores esse, quam olim Iudæos sine cõfessione: eo quod maiorem certitudinẽ remissorũ peccatorum Sacramenti beneficio habemus, quod nõ modo fidẽ deuotionemque excitet, vt illorũ sacrificia ac cæremoniæ: sed etiam veraciter peccata remittat, etsi perfectissimum dolorem nõ habeas quem *contritionem* vocamus, qui ad salutem semper fuit necessarius, sed etiam imperfectum, *attritionem* videlicet. Et sic plures homines remissionem consequuntur. *Secundo*, quia multæ causæ sunt euidentes, quamobrem Deus remissionem peccatorum

Prima causa. hoc Sacramento cõcludere voluerit. *Primo*, vt doceret, Ecclesiam non esse inordinatam hominũ multitudinem; sed ordi-

Cant. 6. 3. natam, eruditamque Rempublicam, de qua Sapiens ait; *quod terribilis sit, vt castrorum acies ordinata*. In omni bene ordinata Rep. & communitate, iudicia sunt ad scelerum pœnã instituta, tam in regnis quã in scholis puerorum: nonne ergo in Ecclesia, quæ omnium nobilissima Resp. est, & maxima eadem

2. esse oportuit. *Secundo*, vt ingentem amorem, & misericordiam ostẽderet, qui omnia debita in peccatorũ manib⁹ constituat.

Si

Si quis esset, qui debitores suos ad vnum ablegaret, illi absoluendi potestatē conferens, non modo à debito, sed etiam à malitia, immo ab iniustitia & blasphemijs ab illis acceptis, nullam eum curam honoris sui gerere diceremus, præsertim si hic arbiter vnus quoque debitorum & peccatorum esset. Tanta est Dei bonitas ac clementia, vt iniurias omnes, ac debita, conseruis & condebitoribus nostris commendet. *Tertio,* 3.
vt suam quoque iustitiam demonstraret, quæ peccata impunita esse non velit, nam in hoc iudicio duplici modo peccata punit. *Primo*, per pudorem, quem in confessione contrahimus, qui pœnalis est, & ad vnam partem remissionis peccatorum in primis facit, vt quidam testatur. Tantus quippe esse potest & ex tali amore tolerari, vt peccatorem publico pudore liberet, in extremo iudicio, etsi enim illic omnia peccata spectanda sint: nihilominus, quæ his per Confessionem eluta sunt, nuda ibi non videbuntur, sed diuinæ gratiæ ornamento cōtecta; vt picta effigies crystallino vitro cooperta, pulchrior apparet. *Secundo,* per pœnitentiam quam Sacerdos imponit, quamque leuem esse non oportet, sed peccato proportionatam, vt olim in Cōncilio Constantinopolitano, & Tridentino præceptum fuit. *Quarto*, vt tota Ecclesiæ communitas maiore cum suauitate regeretur, & citra simulationem, munda à peccatis seruaretur. Nam exteriores castigationes per pœnas, 4.
aut mortem illatæ, quibus exterior illa iustitia vtitur, à publicis quidem peccatis timore ipso hominem cohibent, non tamen voluntatem immutant: quæ per Confessionem conuertitur, vt homo non simulate, sed verè & diligenter peccata vitet, & iniusta bona restituat. *Quinto*, ob commoda peccatoribus obuenientia: consequuntur enim non solum remissionem peccatorum, sed etiam *primo*: Leuamen conscientiæ, vt apostema apertum, ab omni dolore soluit. *Secundo,* sequitur hinc æterna tranquillitas. Quemadmodum enim homo ab angustijs constitutus liberatur, quādo eas illis aperit, à quibus auxilium expectabat; sic Deus peculiarem peccatori confert tranquillitatem, & gaudium, vbi se à peccatis expediuerit, tam per consolationem Sacerdotis, quam per gratiam diuinam, eiusmodi gaudium generantem. *Tertio*, Peculiariter instruun-

Author lib. de vera & falsa pœnit. cap. 10.

In Trull. cap. 120. Sess. 14. c. 8. & 9.

5. Confessionis commoda. 1. 2.

instruuntur: tum, vt remedia peccatorum consequantur, & documenta, mediaque frangendis affectionib⁹ vtilia, ex quibus peccata omnia manant, licet enim in concionibus multa audiant: nihilominus admonitio in confessionibus multo est vtilior: vbi non omnibus generalia media præscribuntur, sic peccatori pro condicione cordis, & statu proprio loquimur (vt Deus dicit: *Loquere Ierusalem ad cor*) & quod in concione in communi dicimus, idipsum hic naturæ ipsius, & affectui contemperatur. *Quarto*, à peccatis continentur, partim metu pœnæ castigationisque repetendæ, si in eadem relabuntur, partim pudore.

Isai. 40. 2.

4.

Consectaria aliquot. *Hom. 2. in Leuit.*

Hinc sequitur *primo*, Laudabile non esse mutare confessarium, sed hic consilium Origenis tenendum, vt diligẽter confessarium perspicias, videlicet pium, discretum, qui prudentiam, experientiam, voluntatemque iuuandi habeat. Quòd si talem inueneris, apud talem mane, eique cor tuum aperi: & cogita tanto te feliciorem, quanto ille nõ modo interna peccata, sed etiam cogitationes, inspirationes, & id genus alias cõmotiones pias melius nouerit. Quemadmodùm ægrotus melius ab experto, & erudito medico, eius complexionẽ longa experientia cognoscente, iuuatur. *Secundo*, Confessarium duo in hoc Sacramento officia habere. *Primum*: Iudicis, cuius est arguere peccata, eaque siue remittere, siue retinere. Et sic superior peccatoris est, qui coram eo genua flectere debeat, velut coram Iudice reus: neque in malam partem accipere, etsi ab illo castigetur verbis, & corrigatur: nec silere illud (quantum ad peccatum spectat) quod rogatur. Nam Sacerdos scientiæ *clauem* habet, & auctoritatem rogandi ea, quæ conscientiam tuam concernunt. *Secundum* est medici: quia medicina ad sanandum infirmitatem tuam, & vulnera est necessaria. Quare non modo peccata tua scire sacerdos desiderat, vt illa puniat, quemadmodũ seculares principes inquirũnt in reorũ vitam, & damna illata, vt eos morte mulctent: Sed tibi auxilio esse conatur, vt à morte animæ te liberet, & perfectæ sanitati te restituat. Pro ratione horum duorum officiorum sacerdotem seuerum, mitemque esse oportet. Vt D. Gregorius docet, *& miscenda lenitas cum seueritate est, faciendumq; aliquod*

Duo officia Cõfessarij.

1.

2.

Luc. 10. 34.

11. Moral. cap. 4.

aliquod ex vtraq; temperamentum, vt neq; multa asperitate exulcerentur subditorum animi, neq; nimia benignitate soluantur. Vt enim in Moysis arca manna cum virga fuit: sic quoque in Sacerdote sit virga seueritatis & manna dulcedinis. *Tertio*, Quã fructuosum sit, sæpius, ad minimum singulis septimanis sua peccata confiteri. Nam *primo*, liberamur à peccatis. *Secundo*, Nouam gratiam ad deserenda peccata accipimus. *Tertio*, Bonæ instructiones audiuntur. *Quarto*: Dantur nobis consilia salutaria, vt omnes occupationes nostras ad honorem Dei exequamur. Quare vt Principes semper medicum, præsertim accubantes, penes se habent, ne quidquam noxij comedant, sic quoque nihil noui suscipi expedit, de quo dubiũ esse queat, sine cõfessarij cõsilio, cui cõscientiam tuam credis: Vt Dauid cum Propheta Nathan agebat de templo, quod ad gloriam Dei ædificare cogitabat. *Quarto*, Hinc disces: Sacerdotem nõ velut hominem audire, sed vt Deum per os sacerdotis loquentem: admonitiones ipsius non vt hominum verba, sed vt Dei accipe. Nec sacerdos de peccatis tuis, vt homo extra confessionem loqui debet, quia ea vt homo non excepit. Quamobrem diuino præcepto ad reticendum ea obligatur: si enim peccatum aliquod, quod ex sola confessione scit, aperiat quamuis exiguum, non modo magnum mortale peccatum contrahit, sed etiam in iure Canonico grauissimè punitur, de quo sic ibidem ex S. Gregorio Papa habemus. *Sacerdos ante omnia caueat, ne de ijs, qui confitentur peccata sua, alicui recitet, quod ea confessus est: non propinquis, non amicis, non extraneis, neq; quod absit pro aliquo scandalo. Quod si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ, ignominiosus peregrinando pergat.* In magno quoque Concilio Lateranensi sic scriptum est: Si sacerdos sigillum confessionis violauerit, deponatur, & ad perpetuam pœnitentiam in arcto monasterio peragendum cõcludatur. *Quorũ retinueritis peccata, retenta sunt ijs.* Retinere peccata aliud nihil est, quã ea nõ remittere: non propter peccatorũ magnitudinem, quia nullum adeo magnũ est, quod in confessione remitti nõ queat, sed propter peccatoris indispositionem, aliquid eorũ, quæ illi facienda incumbunt, omittentis. Non remisso à sacerdote peccato, neq; Deus illud remittit: quæ ingẽs

Frequentis confessionis vtilitas.

2. Reg. 7.

De pænit. d. 7. cap. Sacerdos.

Dei punitio est, eo quod ad suum tribunal multo terribilius ea iudicaturus sit, & puniturus, quam in iudicio Ecclesiæ iudicanda, & punienda fuissent. Septem verò modis peccata non remittuntur. *Primo*, Quando confessioni ea non subijcimus, differendo cõfessionem, sine qua peccata nõ remittuntur. *Secundo*, Quando in confessione tacentur: quippe quod nõ manifestatur non demittitur. *Tertio*, Quando ea illi confitemur, qui potestatẽ nullã in nos, & in peccata nostra habet. Confessio siquidem laico facto, nullius valoris est. Sacerdos qui tuus superior non est, nec Episcopus tuus, nec Pastor, neque ab illo, nec à Pontifice commissionẽ habens nõ potest te absoluere. *Quarto*, Quando sine vllo dolore confitemur, ex nuda consuetudine, pręteritorũ peccatorum adhuc affectum retinentes. *Quinto*, Quandoquidem cum dolore aliquo confitemur, sed nihilominus propositũ idem faciendi retinetur, occasione denuo oblata, vt si quis cõcubinam relinquere nõ vellet, &c. *Sexto*, Quando quis manifesta pericula euitare nõ vult, tametsi clarè videat, se in peccata lapsurum. Cõfessiones istis modis factæ, syncerræ non sunt, atque vt peccatorũ remissionẽ cõsequamur, repeti debent. *Septimo*, Quando Sacerdos absolutionẽ suspendit, vt magis idoneum pœnitentẽ faciat.

Peccata nõ remitti sit 7. modis.

☞ Hic NOTA plures male confiteri, atque ideo immundos, immo immundiores à sacerdote abire, quam accesserint. Doctores sedecim cõditiones bonæ cõfessionis esse tradunt, quarum quædam necessariæ, quædam verò vtiles sunt.

Conditiones confessionis.

Prima, vt SIMPLEX sit, nõ duplex, aut obscura: vt Sacerdos clarè sciat, num mortalia peccata sint, an solũ venialia. Quare nõ sufficit dicere, malas cogitationes habui, nimis illis diu immoratus fui, in illis mihi complacui: quippe id ipsum tam in mortalibus, quam in venialibus vsu venire potest: sed addenda sunt ea quæ differentiam vtrorumque constituant, vt consensi in opus, aut in eius delectationem. Item satis nõ est, dicere, distractus fui in orationibus meis, sed addendũ, quod mortale faciat. Vt v. g. obligatus legere horas Canonicas, & in illis voluntariam distractionem passus fui aliud legens.

S. Thom. suple. quæst. 9. art. 4. Prima conditio.

2. *Secunda*; vt sit HVMILIS, humilitatem autem *Primo*, in corde fouere oportet; cogitãtes nos peccatores, à Deo reiectione digniſ-

dignissimos, licet Principes, Duces, Reges sumus. Deus enim magnitudinem tuam non respiciet (qui tam magni, quã parui creator est) nisi, vt seuerius illam castigat, eò quod magis obligatus fueris, & magis ad exequenda ea, quibus obligabaris inconsideratus, & negligens. *Potentes potenter tormenta patientur:* & ideò humiliandi magis, vtpote qui tormenta grauiora mereri, & timere habeant. Duplici de causa (inquit quidam) grauius homo peccat, tum propter peccati magnitudinem, tũ propter altitudinẽ dignitatis. *Secundo,* in exterioribus corporis motibus exhibenda etiam est. Nam primo vtrumque genu flectere debent ad instar noxiorum ac reorum sententiam præstolantium. secundo, manus plicare, tãquam gratiam implorantes. tertio, humi oculos cum Publicano defigant, quasi oculos ad cœlum tollere nõ auderent. Quare male *Primo* faciunt, qui sedentes aut scamno altariue incumbentes confitentur (vt sacerdotes aliqui faciunt) aut ambulantes, aut equitantes, aut stantes, extra necessitatem tamen vel infirmitatis vel periculi. *Secundo,* qui gladio accincti confitentur: quippe reo gladius relinqui non debet. *Tertio,* qui huc illucque ora conuertunt. *Quarto,* sacerdotes qui quasi ex humilitate detectis capitibus sunt, & vix considere audent: quippe in iudicium Christi ac tribunal eius iniusti sunt, in quo personam Christi referunt.

Sap. 6. 7. *Imperfectus hom. 40.* Deficiunt hic? 1. 2. 3. 4.

Tertia: vt sit PVRA; ab illis nimirum peccatis, quæ, in ea accidere possint: quando plus quam oportet loquuntur, proximi defectus repetunt, historias enarrant, aut aliud quippiam non necessarium, cauendum est, ne de proximi peccato loquamur ei, cui ille notus est. & si alij Confiteri non potes, tamdiu tacendum illud quoad inueniatur alius sacerdos, cui persona illa ignota sit. 3. Cõditio.

Quarta, vt sit FIDELIS, expers mendacij, non plus aut minus habens, quam quod sciamus. In qua nec affirmandum, de quo dubitamus, nec maior numerus, quàm constet nominandus. Grauius est in confessione mentiri, quam extra eam; propter sacramenti istius sanctitatem. Quare malè faciunt, *inprimis* illi qui ex libello confitentur, plurima 4. Deficiunt hic 1.

verbotenus, quæ nunquam perpetrarunt: nam libelli ideò tantum, vt ſciantur peccata, concinnati ſunt, vtque ex ijs deli-
2. gas illa, in quibus te reum noſti. *Secundo*; qui ſe de ſeptem peccatis capitalibus accuſant, ſcilicet ſuperbia, auaritia, luxuria, &c. & in decem præceptorum transgreſſione, non cogitantes quid dicant. Plerique illis peccata ſeptem operibus miſericordię, octo beatitudinibus, ſeptem Spiritus S. donis, quinque ſenſuum iuſtis officijs, animæque potentijs contraria attexunt: ex conſuetudine hæc omnia dicentes, nullatenus quieti, donec omnia ex ordine recitauerint, nec ſe in eo mentitos aduertunt.

5. *Quinta* eſt, vt ſit FREQVENS: quâ non ſignificatur, eadem peccata ſæpius confitenda, quod ſcrupuloſis valde noxium eſt; ſed ne longè differatur confeſſio: non ideò ſolum, ne diu in mortali peccato hæreatur, ſed magis vt melius peccata cognoſcantur. Vix poſſibile eſt, vt peccatorum memor ſit, qui annue ſemel duntaxat, aut bis confitetur. Saltem cõſcientiam ſuam adeò mundare non poteſt, ac ſi frequentius confiteretur. Idcirco vt materfamilias inculpabilem non dicet ancillam quæ cubiculum vix intra trimeſtre purgat, ſed exprobrabit quamobrem tam raro cubiculum verrat: ſic quoque apud Chriſtum inculpabilis ille non erit, qui rara in confeſſione id effecit, vt peccatorum ſuorum recordari non queat. Tametſi enim Eccleſia nos, nonniſi ad vnicam in anno confeſſionem obliget: nihilominus curam animæ ſuæ gerens, ea media vſurpare debes, quæ ad conſcientiæ emundationem inprimis faciunt.

6. *Sexta* eſt; vt ſit NVDA, id eſt, non tecta, nec obſcura: quo ſignificatur duo nos vitia declinare debere, quæ in Confeſſione accidunt. Nam *Primo* plerique extenuant peccata ap-
Deficiunt hic
1. pendicem aliquam aut circumſtantiam affigendo, ne tam enormia appareant, qualia reuera ſunt; quaſi non ex propoſito, aut praua voluntate, aut ex paſſione; ſed quaſi ludendo
2. ridendo, tentando, &c. facta eſſent. *Secundo*: Quidam confitentur eiuſmodi verbis peccata ſua, quæ peccatum non exprimant, verbi gratia, Deo non ſic ſeruiui vt potui: tot virtutum opera non præſtiti, tot eleemoſynas non erogaui, nec adeò

adeò feruenter oraui, non adeo bene ieiunaui, non adeo sobrius in comedendo fui, non adeo bonas cogitationes alui, non adeò bona proposita feci, non adeò benè linguam cohibui, oculos atque aures non adeò benè, ac possibile fuit cūstodiui. Hæc enim peccata non sunt, eò quod obligati non simus, omnia illa præstare, quæ possumus; alias quilibet statum perfectionis teneretur aggredi, & relinquendo omnia quæ possideret, in paupertate, castitate & obedientia in seuera aliqua religione viuere: illud quippe si velit, facere potest; nos verò ad ea, quæ præcipit Deus obligati sumus. *Vbi non est* Rom. 5. 15.
lex, ibi non est prauaricatio. Quare sic dices non adeo bene ieiunaui, nec tantum boni feci, quantum facere debui, & quantum obligabar.

Septima est, vt sit DISCRETA: quæ in his tribus obseruanda 7.
est. *Primo:* vt honestis verbis peccata enuncies; præsertim quæ Quid requirat.
ad luxuriam: nihilominus, vt dignosci queant. *Secundo*: ne 1. 2.
plures circumstantiæ appendantur peccatis, quam necessariæ sint. His dæmon perplures scrupulosas conscientias torquere solet, semper suggerendo illis, quod in impudicitiæ peccatis non omnes circumstantias dixerint: nescientes necessarium non esse, omnes & singulas confiteri, sed illas duntaxat, quæ peccatorum speciem immutent. His illos torturis exercet, tum vt inquietos reddat, tum vt eorum cogitationes continuò istis fœditatibus distineat. *Tertio*, Ne peccata multis 3.
modis narremus quæ vnico expedirè possunt, sicuti qui centies peiurauit, dicet vno verbo, centies peiuraui: non verò, vnum periurium in illa vrbe commisi, alterum coram tali plebe, &c. Item, qui quinquagies fornicatus est, simpliciter non dicet vbi, aut quot cum fœminis id fecerit, ni fortè circumstantiæ speciem mutarent, verbi gratia, cum coniugata, cognata, religiosa, &c. in Ecclesia, aut alijs in locis sacris, &c.

Octaua est; vt sit LIBENS, ac VOLVNTARIA, ne 8.
coactè confiteamur, nec propter aliud, quam diuinæ voluntatis & amoris intuitu, vt nos in statum gratiæ reponat, & remissionem peccatorum consequamur. Hic aliqui quærunt, num bona sit Confessio, quæ ex timore fit, Quæstio.

aut

Responsio. aut pudore, aut alicuius commodi spe? Quibus respondetur tribus modis posse aliquem ex timore aut pudore confiteri. *Primo*: ex simulatione, vt bonus videatur, qualis non est, vt in Catholicis vrbibus occulti hæretici se pro Catholicis gerunt, & quotannis semel aut sæpius confitentur, vt tales habeantur, cùm tamen in sua perfidia & infidelitate perseuerent. Hæc confessio inualida est. *Secundo*, quando principalis causa confessionis non est doler de peccatis, sed solum timor quidam, aut spes: vt non confessionem sed temporale commodum respiciam; Etsi nihil in cõfessione sileam: vti qui solum sacro interest propter lucrum, & chorum dũtaxat reddituum intuitu frequentat. Hi bonum opus male perficiunt, & de talibus dicunt Canonistæ, quod interiorem Simoniam cõmittant, quam timeantur confiteri. *Tertio*; quando occasio confessionis timor est, aut cõmodum: sed causa amor Dei. Discrimen magnum est inter occasionem, & principalem causam: nam principalis causa est illa, propter quam facimus; occasio verò sese habet, quasi quæ excitet nos ad faciendum: verbi gratia, exire debeo, vt debitorem de reddendo debito conueniam; verum illud hodie facere non cogitabam; nihilominus accedit vnus, qui me hodie euocet; ego occasionem illam nactus, vado exactũ: principalis causa egressus mei est, exactio: verùm occasio est, conuenire amicum, citra quã hodie debitum non exegisset. Item Canonicus nõ cogitabat herì ire ad Ecclesiam: verum audiens distributionem magnam futuram, vt nunc eat excitatur: causa ingressus est, Deo seruire, cæterum occasionem distributio subministrat. Sic quoque non confiterer ego, nisi aliquam inde vtilitatem cognoscerẽ: quæ vt nunc confitear, monet hic timor aut spes, mala non sunt, quia hominem ad bonum impellunt.

Glos. in 6. tit. de Cleri. non residenti.

Finis & motiuũ differunt.

9. Conditio. *Lib. de vera & falsa pœn. c. 10.*

Nona, vt VERECVNDA sit, de qua sic perantiquus quidam Doctor scribit. *Quem igitur pœnitet omnino pœniteat, & dolorem lachrymis ostendat, repræsentet vitam suam Deo per sacerdotem, præueniat iudicium Dei per confeßionem: & qui per vos peccastis, vt etiam per vos erubescatis. Erubescentia enim ipsa partem habet remißionis. Ex misericordia enim hoc præcepit Dominus, vt neminem pœniteret in occulto. in hoc enim quod per se ipsum dicit sacerdoti, & erubes-*

rubescentiam vincit, timore offensi fit venia criminis: fit enim per confessionem veniale, id est, remissibile, quod criminale erat, per operationem. Quare non confitentur rectè, qui peccata sua vt historias quasdam enarrant, & subinde ridendo, aut commendando se, sine vlla interiore verecundiæ excitatione: signum namque est, illos peccata sua paruifacere, & malitiam suam non animaduertere. Deficiunt hic

Decima; vt sit INTEGRA; nimirum, vt omnia mortalia peccata, quæ occurrant, dicamus, posteaquam diligenter conscientiam discusserimus. Portò, quæ nam hic diligentia necessaria sit, ab ipsa ratione edocemur. Nam cum remissio peccatorum vnum præcipuorum operum sit, quæ nobis in hac vita eueniunt, conueniens vtique erit, non minorem nos ad hoc industriam conferre, quam ad aliud opus quod ad vitam nostram pertineat. Quare quidam pererudite peccatorem ait in examine conscientiæ suæ, œconomum seueri & tenacis Domini imitari debere, cui à longo tempore rationes nullas reddidisset. Hic enim sensus omnes ad rationum æqualitatem transfert, nihilque omittet. Cæterum examen hoc non necessariò circa venialia, vt superius dictum; sed tantum circa mortalia instituendum est, circumstantijs speciem illorum immutantibus adiectis. De quo Concilium Tridentinum. *Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus, omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiam si occultissima illa sint, & tantum aduersus duo vltima decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animam grauius sauciant, & periculosiora sunt ijs, quæ in manifesto admittuntur. Nam venialia quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam rectè, & vtiliter citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum vsus demonstrat: tacere tamen citra culpam, multisque alijs remedijs expiari possunt. Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant: quod sine illis peccata ipsa, neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innotescant.* Hinc disces, confessionem rem exigui momenti non esse, nec ad eam sine præparatione accurrendum. Frequen-

10.

Maior 4. d. 27. q. 3.

Sess. 14. ca. 5.

quenter tamen confitentibus adeò magna industria necessaria non est; illico quippe si Deum grauius offendant, sentiunt.

11. Secretum cōfessionis. *Vndecima*; vt sit SECRETA: quia quicquid in Confessione fit, admodum secretum esse debet. Quare *Primo*: sacerdoti ex præcepto Dei silentium imponitur: Etsi iuramento quoque ad aliquid euulgandum adigeretur, iurare potest se nihil scire; quippe qui tanquam homo nihil sciat.

2. *Secundo*: ab omnibus ijs secretum quoque seruari debet, qui alium quippiam confitentem audiunt: vt sunt qui confessionali assident, aut qui sacerdoti aliorum peccata vernacula lingua interpretantur, aut qui confessionis in morem quippiam excipiunt, vt sunt, qui in confessionali aliquando sedent, siue laici illi, siue sacerdotes sint, nec confessiones velint audire aut possint, quos tamen ignorantes adeunt interdum, illisque peccata sua explicant.

3. *Tertio*: pœnitenti peccata sua confitenti incumbit, etiam secretè ea dicere, adeo vt nemo præterquam sacerdos intelligat.

Sess. 14. ca. 5. De quo Concilium Tridentinum. *Cæterùm quoad modum confitendi secretò, apud solum sacerdotem; quamuis Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit: non est tamen hoc diuino præcepto mandatum, ne satis consultè diuina aliqua lege præciperetur, vt delicta præsertim secreta publica essent confessione aperienda.* Muti, & officio linguæ destituti, signis confiteri; aut per Scripturam scribere peccata possunt. Qui sui idiomatis presbytero caret, interprete vti potest, qui sacerdoti sua verba exponat. Non tamen ad hoc obligatur, & sine Confessione perdurare potest (non transgrediendo præceptum Ecclesiæ, annuè semel ad minimum confitendum esse) quoad confessarium sui idiomatis peritum inueniat. Eiusmodi hominibus consultius est, maiore diligentia peccata vitare: vera namque contritio, rarò sine iusta confessione habetur, quæ peccata remittat. Vnde disces in absentia confitendum non esse, per nuncium, scripturam, procuratorem, nec eo modo absolutionem

lutionem dandam. omnia enim Sacramenta, præsens opus ab ipso suscipiente requirunt, solo matrimonio excepto, quod inter absentes quoque per commissarios contrahi potest. *Quarto*, pœnitens & si obligatus non sit, ea quæ in 4.
confessione audiuit à Sacerdote subticere, immo possit interdum ad ædificationem aliorum documenta bona in Confessione accepta, euulgare; nihilominus bene præuidendum est, ne super Confessario tamen queratur, quod nimium seuerus sit, & nimis magnam pœnitentiam imponat. Apud maleuolos enim traducitur Sacerdos, qui sui defensionem instituere nequit, propter secretum, necessario illi obseruandum: & apud pios prudentesque homines seipsum pœnitens infamat, qui probabiliter tale quid à sacerdote non sine graui causa propter ingens aliquod illius delictum factũ esse, conijciunt.

Duodecima est; vt sit LACHRYMABILIS; quæ peccatorum 12.
omnium, propter peccata cuiuslibet propria esse debet: vnius quidem maior, alterius minor; pro peccatorum aut magnitudine, aut multitudine. Quantum verò ad mortalia spectat, debet mœror ille seu lachrymabilitas hæc tria habere. *Primo*: vt non modo omnibus in communi, sed etiam de singulis 1.
in particulari si fieri posset habeatur. vti enim dictum superius, numerus mortalium dicendus est, & sic numerata mortalia singula certo mœrore sunt prosequenda, non vt scrupulosè quædam in particulari duntaxat expendantur, sed vt vniuersa iusto fletu lauentur. *Secundo*: vt ad singula firmum 2.
propositum ea deinceps relinquendi fiat. *Tertio*: vt hic do- 3.
lor magnus sit, firmumque propositum; sic quidem, vt quodlibet potius malum tolerare, quam peccato deinceps vllo modo consensum præbere conueniat, vt Diuus Augustinus docet. Cum enim Deus summum bonum sit, vtique bonum illud perdere, summè dolorosum esse debet, omniumque potius rerum iacturam, quam illius facere oportet. Quo maius bonum est, eo ægrius eo priuamur, & ad illud seruandum aut recuperandum maiorem laborem impendimus, & plus expendimus: quemadmodum pro sanitatis custodia, quali-

Conditio hæc requirit.

18. de Ciuit. c. 18.

quælibet bona profundimus,& pro vitæ conseruatione,quorumlibet membrorum,manuum, pedum, brachij sectiones libenter offerimus. Deus summum bonum nostrum est,quare omnia potius perdere siue illa fortunæ bona sint,siue suauitas,siue ipsa vita consultius est, & potius mors, quam illius priuatio deligenda. Vno mortali peccato bonum illud amittimus: & ideo dolor de mortalibus adeo magnus, propositumq; adeò firmum esse debet, vt quiduis potius sustinere, quàm vno mortali illius offensam incurere, deliberatum sit. Dolor de venialibus non requiritur tantus, quandoquidem ea Deum nobis non auferant, nec eiusdem gratia destituant. Quare sufficit in primis generaliter de omnibus dolorẽ concipere, aut minimum ardentem amoris actum, dolorem illum in se complectentem ad Deum dirigere. Secundo propositum facere,non omnia venialia peccata relinquendi(hoc enim nobis in hac vita impossibile) sed vnum quodque in particulari. Nullum namque veniale est, quod euitare non possimus, licet non omnia simul. Nunc ergo considera, quam malè facias, cum sine dolore confessionem instituere conaris.

13. *Decimatertia* est; vt ACCELERATA sit; videlicet, ne multum differatur confessio; præsertim, quando in mortale peccatum lapsi sumus. Nam valde periculosum est, dimidia hora in statu peccati mortalis degere, quanto magis noctu & interdiu. *Primo*; propter incertitudinem horæ mortis,quæ nobis multò proximior,quam existimemus

Periculum in peccato mortali.

1. est;tum, quia nescimus, quo pacto corpore dispositi simus, forsan catarrhi dependent,qui in pectus defluant, & cor obruant; tum, quia diabolus omnia media ad nos occidendos conquirit: tum denique quia creaturæ omnes aduersus peccatorem insurgere, & probrum ac ignominiam per

Sapient. 5. 21. peccatum Deo illatam, vindicare contendunt: vt Sapiens

2. ait, *pugnabit orbis terrarum contra insensatos. Secundo,* propter ingentem peccati malitiam, quæ creaturam à Creatore suo alienet, & illius iram iugiter foueat. Indignum prorsus facinus, & intolerabile foret, si vnus ex præcipuis Regis ministris ei diceret: Te Regem meum non agnoscam amplius,

sed

ſed hoſti tuo adhærebo,& aduerſus te bellũ mouebo. Quiſquis verò tale ex impotentia animi dixit, iuſto timore percelli poteſt,& continuo aut gratiam eius implorare, aut prouincia eius & regno excedere deberet. Non minus peccator facit, qui in Dei manibus eſt, nec elabi poteſt; Quemadmodum in noſtris manibus eſt vitrum vini, quod ſi cadit in multas vtique partes frangitur, & vinum effunditur. Nihil melius quàm peccata ſtatim relinquere, & confiteri, ne ſubtrahat manum Deus, & peccator cadat, qui peruerſa ſua voluntate ac pertinace ſemetipſum indignum vt à Deo conſeruetur, efficit. Admirandum eſt quomodo audeant peccatores nocte vna citra timorem in peccatis obdormire: immò quod pluribus peccatis obnoxij quietiores ſint, & de confeſſione minimè cogitent. Excæcat intellectum eorum diabolus, & laqueis peccatorum eos ſecundum voluntatem ſuam conſtrictos tenet. O peccator nota hoc, nec contemne, quo laqueum diaboli effugias. 2.Tim.2.26.

Quartadecima eſt; vt FORTIS ſit,& conſtanti animo peragatur; ne nimirum peccator ab vllo pudore, aut timore ſe vinci patiatur. *Primo*, quidem ante confeſſionem à ſecularibus hominibus à quibus ludificari, aut pro ſanctis haberi metuimus, ſtolidum eſt Chriſtianos qui diabolo & vniuerſis pompis eius in baptiſmo renuntiarunt; & tota vitæ ſuæ decurſu Deo adhærere promiſerunt, pro vanitatis amatoribus, laruis, puppis, & miſerabilibus mundi calonibus ſe gerere, ſcelerumque mancipijs, nec tamen vt pro talibus habeantur quibus iam olim renunciarunt, erubeſcere. *Secundo*: in confeſſione, vbi peccata coram homine aperire erubeſcit peccator. Diabolus enim hic reſtitutionem ſui furti facit: qui pudorem, timoremque ſuſtulit peccanti; confitenti vero reddit vtrumque. *Primo*, itaque conſidera facilius eſſe dicere, quam facere. *Secundo*: ſacerdotem vnum duntaxat hominem, etiam peccatis obnoxium qui ſilere debeat, & ne externam quidem ſpeciem tuorum peccatorum manifeſtare alijs: immo, vt dicunt eruditi, ſi ſuperior tuus ſit, ſecundum ea, quæ in confeſſione accipit, te regere non poteſt. *Tertio*: quòd cœlitibus omnibus tua confeſſione mirum gaudium adferas; vt Chriſtus

Margin notes: 14. Fortitudo vbi? — 1. — 2. — Remedia timoris. 1. 2. 3.

Luc. 15. 10. ait: *Gaudium erit in cœlo, super vno peccatore pœnitentiam agente.*

4. *Quarto*; pudorem non aliunde, quam ex fœditate qua maculatus es, nasci: qui si tantus est, vt coram homine verearis pudefieri, ab eo te liberare cupiente, quantus in conspectu totius mundi futurus est, qui in iudicio illo, non tantum peccata tua auditurus est, sed te cum indignitate aspiciet, irridebit, contemnet? Si medico vulnera tua erubescis ostendere, quo suffunderis pudore, quando illa coram vniuerso mundo detegentur; non curanda sed castiganda.

15. *Decimaquinta*; vt sit ACCVSANS; nimirum vt peccator fateatur culpam suam sibiq; illam adscribat.

Deficiunt hic.

1. Quare *Primo*: non rectè confitentur illi, qui sic dicunt, Fateor culpam meam, & doleo iurauerim, mentitus fuerim, & furatus. Illos enim facti propriè non pœnitet, sed conditionem, num forte hoc fecerint adijciunt.

2. *Secundo*: qui magis alios, quam seipsos accusant: cùm tamen peccata non nisi in prauam voluntatem sint referenda, secundum doctrinam D. Ambrosij. *Multi* cum Eua diabolum accusant dicentes, diabolus seduxit me, & tentauit; quorum tamen esset cogitare, non omnia peccata à diabolo proficisci, sed à nobismetipsis quam plurima: & diabolum aduersarium nostrum esse, quem oppugnare debemus; & si non debellauerimus, vtique exprobrabitur nobis. *Alij* proximos accusant, dicendo; ita me vexarunt, vt ad iram compulsus fuerim: adeò obsecrarunt me, vt non auderem negare; multa mihi promiserunt, aut multis sunt minati mihi. Has excusationes sæpè miseræ puellæ, ab aliquo scurra violatæ deceptæq; prætendunt, nimirum promittebat, quod vellet me ducere; minabatur quod vellet me confundere; aut sibi ipsi cor transfodere, &cæt. Adamus in Euam culpam exonerabat; at nihil profecit. *Tertij* adhuc peius illis agunt, qui culpam in Deum reijciunt: interdum clarè, vt cum dicunt, hâc mihi naturam Deus dedit, quam coercere, nequeo, sed supra modum mihi rebellis est. Sic Adam dicebat, *Mulier quam dedisti mihi, ipsa decepit me*, ac si diceret: Tua culpa est, quare mihi hanc mulierem dedisti? interdum vero tectè, & implicitè, cùm culpam peccatorum infirmitati naturæ tribuimus,

Lib. 1. de Iacob & vita beata c. 3.
Gen. 3.
Tria horũ genera.
1.
2.
3.
Gen. 3. 12.

mus; vt cùm dicimus: Ego sum tam imperfectus tàm infirmus, ex infirmitate peccaui. Sanctus Petrus propter infirmitatem non excusatur, cur ergo tu excusareris? Deus aduersus illam satis efficacia remedia reliquit, modum orandi, bonorumque operum docuit, vt eorum præsidio confirmareris. *Tertio*, male confitentur; qui excusando se peccata minuunt. *Primo:* necessitate, vt non poteram hoc effugere, pauper eram, ideoque furari compulsus. *Secundo*: ignorantia, vescebar carnibus, at feriam sextam esse ignorabam. Item nesciui, osculari & amplexari, saltare, garrire, detrahere, pecuniam mutuam ad vsuram dare, peccata esse. Nam Christiani omnes hæc scire tenentur, & in concionibus hæc possunt addiscere. *Tertio*: iratus fui, & iuraui, at illico ira subsedit: consensi in actum impudicum, sed continuò de eo dolui: non enim ideo desinit esse mortale peccatum, quia non diu durauit. Qui præcipiti animo aliquem occidit, homicida esse non desinit: quemadmodum mortuus ideò non reuiuiscit, quia tibi homicidium dolori est. Subitaneus ille dolor, ex mala voluntate tua non procedit peccatum admittente, sed ex passione subitò te relinquente consurgit. Deficiunt tertio:

Decimasexta est; vt sit PARATA PARERE; id est, obedire, & exequi illud, quod Confessarius imponit. Vbi omnia peccata tua recensueris, cùm omni diligentia & reuerentia humiliter illa excipies, quæ dicere tibi sacerdos volet? & verba ipsius non vt hominis sed vt Dei loquentis cuius ipse vicarium agit, audies. 16.

Duplex hic officium Christi ille sustinet, iudicis nimirum & medici, itaque ratione vtriusque te alloqui debet. *Primo*, vt Iudex quidem accuratius interrogando: cùm enim scientiæ clauem teneat, de qua Christus loquitur: ideò auctoritatem habet examinandi tuam conscientiam, & tu ad veritatem ei aperiendam obligaris. *Secundo*: increpando, & corripiendo te, prout peccata mereri videbuntur, & exigua ab illo in te notata contritio id reposcere. *Tertio*, restitutionem iniustorum bonorum imponet, siue ea per vsuram, aut simoniam, siue per rapinam, aliaque furti genera acquisiueris. Sacerdotis officiũ ergà confitentẽ. 1. *Luc. 11. 52.* 2. 3.

4. *Quarto*, famam iubebit reddere aut integrare illis, quibus
5. aut abstulisti aut certè obscurasti. *Quinto*, occasiones peccatorum te declinare faciet, concubinam abijcere, domos occasionum harum fontes fugere, itē à locis ac conuersatione inæ-
6. qualium personarum abstinere. *Sexto:* pro iudicio suo pœnitentiam; vt aliquo modo, aut plenè pro peccatis confessis satisfacias, imponet. Quæ pœnitentia quo maior est, hoc gratior esse debet; vtpotè quæ pœnam purgantis ignis aut adempura sit, aut extenuatura. Vt medicus vero *primo* te consolabitur. *Secundo*, remedia ad fugienda peccata suppeditabit, & ad deponendas prauas inclinationes. *Tertio*, modum bene confitendi, orandi, conscientiam indies discutiendi, & sanctissimam Eucharistiam dignè suscipiendi docebit. *Quarto*, quo pacto te in negotiatione, opificio alijsque gerere debeas, quomodo subditis attendere, pro quibus rationem in extremo iudicij die redditurus sis. *Quinto:* Consilium dabit quomodo te in temporalibus difficultatibus, simultatibus, alijsq; tribulationibus habere oporteat. Hæc enim omnia ad bonum animarum medicum pertinent, cui Christo vt saucias oues suas obligaret, sanaret, iuuaret, mandauit. *Sexto:* in temporalibus quoq; assistere poterit, tanto promptius, quanto magis te Deum super omnia quærere aduerterit. Quare admodum prudenter faciunt, qui in temporalibus suorum Confessariorum consilio stant, instar boni illius Regis Iosaphat; male autem illi, qui cum impio Achab illud contemnunt, magis suggestiones auidorum aduocatorum, & procuratorum sua lucra captantium, omniaque æqua iniqua facientium, quam Spiritualis sui Patris consilium illorum animas noscentis & curantis; Quemadmodum illi, qui circumforaneis chirurgis, & anicularum fabulis potius, quam peritis medicis, complectionemque eorum dignoscentibus obsequuntur. Dicere enim temporalia illos non intelligere, (quorum tamen officium est, vt de iustitia & iniustitia, de malis bonisque contractibus, & de omnibus peccatis, dolis malis & iniquitatibus, quotidie secundum dictamen suæ conscientiæ, Deiq; voluntatem iudicent) nihil aliud est, quam aspernari illos, propriaque desideria praua perficere. Hoc filij Israel fecêre,

Margin notes: Sacerdotis vt medici partes. 1. 2. 3. 4. 5. 6. — 3.Reg.22.

qui

qui aduersus voluntatem Dei in Ægyptum ibant, consilio Ieremiæ Prophetæ refractarij, de quibus scribit, *quod os Domini non interrogauerint*. Hi plerumq; aduersum successum experiuntur, quia voluntatem Dei quærere recusant, & nosse, tanquam suæ contrariam. *Hier. 43. 2.* *Isai. 30. 2.*

XII. *Thomas autem vnus de duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus.* Lucas scribit, Christum discipulis *aperuisse sensum, vt intelligerent scripturas:* quod sic intelligendum non est, quasi solum illis scripturas aliquas Christus protulerit, de Resurrectione sua, vt duobus discipulis in Emaus euntibus; sed quod illis per Spiritum S. aperuerit intellectum & illuminauerit vt scripturas omnes intelligerent. Verum perfectè illis hoc in die Pentecostes dictum, cùm perfectè Spiritum S. acciperent, qui omnem illos veritatem doceret (secundum Christi promissum) hic initium huius doni adepti sunt, vt vtilius scripturas legerent, & sibimetipsis inde solatium mutuarentur. Sic videmus S. Petrum post Christi ascensionem ante diem Pentecostes scripturam intellexisse, & ex illis ostendisse alium Apostolum in Iudæ locum surrogandum. Et S. Ioannes ait, Apostolos hæc verba: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, non nisi post Christi resurrectionem intellexisse. *Luc. 24. 45.* *Ioan. 16. 13.* *Ioan. 2. 19.*

Quare discas hic. *Primo*, scripturas non adeo claras, vt quilibet illas siue doctus siue indoctus, intelligat. Si enim Apostoli illas non intellexerunt, antequam Christus illis sensum aperiret; quantò minus ab imperitis opificibus intelligi poterunt? D. Petrus ait, in S. Pauli epistolis, *multa esse difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant*. Inter quæ D. Augustinus recenset locum illum ad Corinthios, vbi de fundamento, quod Christus est, agitur, *cui aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, diuersi superædificant*. Quibus ex eadem epistola adde illud, *qui baptizantur pro mortuis*, item multa alia ex epistola ad Romanos, de qua D. Hieronym. scribit, quod *plena obscuritatis* sit. Idem iudicium de epistolis ad Galatas, & ad Hebræos, ferre poteris, vbi de sublimibus rebus disserit, & grauissima mysteria persequitur. *Scripturæ obscuritas.* *2. Pet. 3. 16.* *De fide & operib. ca. 14. 15 16.* *1. Cor. 3. 12.* *1. Cor. 15. 29.* *Epist. ad Algasiam.*

Quid illud quod de Antichristo scribit? *Operatur mysterium* *2. Thess. 2. 7.*

iniquitatis : tantum vt qui tenet nunc teneat , donec de medio fiat? 1.Pet.3.19. Quid D. Petrus his verbis de CHRISTO vult dicere ? *In quo & his, qui in carcere erant in ſpiritu veniens, prædicauit : qui increduli erant aliquando ; quando expectauit* DEI *patientiam in diebus Noe, cùm fabricaretur arca, in qua pauci , id eſt, octo animæ ſaluæ* 1.Pet.4.6. *factæ ſunt per aquam?* Item *propter hoc enim & mortuis euangelizatum eſt, vt iudicentur quidem ſecundum homines in carne; viuant autem ſecundum* DEUM *in ſpiritu?* Prima ſpecies verborum videtur oſtendere, Chriſtum in inferno incredulos Euangelium docuiſſe, illoſque ibidem conuertiſſe: vt plerique apud Clementem Alexandrinum id explicant. (*Lib.6 ſtrom.*) S. Ioannes inquit. (*1.Ioan 5.16.*) *Si quis habet peccatum ad mortem non dico pro illo roget quis.* Ergone pro peccato mortali obnoxijs non orabimus? Nã de mortalibus illum locum [a]Hieronym. [b]Beda, [c]Bernardus, & plures alij accipiunt. Si adeò clara ſcriptura eſt, quare tot & tantos libros ad earum explicationem hæretici componunt? quare nõ omnes eodem modo illas interpretantur? Quare Lutherani cum Caluiniſtis non in omnibus conſentiũt, quoniam idcirco ſe inuicem tot maledictis proſcindunt, quod cõtrario modo ſcripturas interpretentur? Verba illa Chriſti, *hoc eſt corpus meum,* ducentis modis explicantur vt plerique numerarunt. Vnde autem hęc omnia, ſi ſcriptura clara eſt.

a *Lib.2.contra Iouin.* b *In Commenta.* c *Gradu 12. humilitatis.*

Quædam in ea ſunt clara.

Diſce *Secundo*; Non omnia obſcura in ſcripturis: nam *Primo* (1.) multæ hiſtoriæ claræ ſatis ſunt, tã in nouo, quã in veteri teſtamẽto. *Secundo*: (2.) illa, quæ ſcire expreſſe tenemur ante baptiſmũ, ſatis perſpicuè quoq; ſcripta ſunt: vt tres eſſe perſonas in Deitate: paſſio & mors Chriſti; & ea quæ de S. Eccleſia ſunt, de remiſſione peccatorum, carnis Reſurrectione, & de vita æterna: præſertim ſi illis duodecim Symboli articulos, quos Apoſtoli docuerunt, adiunxeris. (3.) *Tertio*: præclara bene viuendi etiam in illis præcepta ſunt, tam quæ Chriſtus in Euangelio quàm quæ Apoſtoli in Epiſtolis ſuis nobis tradidêre; quibus inprimis Salomonis libri pleni ſunt.

Obſcuritatis 5. cauſſę.

Diſce *Tertio*, obſcuritatem ſcripturarum ex quintuplici cauſa proficiſci. (1.) *Primo* : ex ſublimitate materiæ, quàm modò non capimus, ſed difficulter apprehendimus, & intelligimus; vt myſterium Trinitatis, de quo frequenter Chriſtus

Christus in sermone post cœnam loquitur: gratia Christi, illiusque Incarnatio, de qua frequenter D. Paulus disputat: prędestinatio Sanctorum & similia. SECVNDO; Ex prophetijs nondum consummatis, quibus Apocalypsis Sancti Ioannis plena est. Idcirco nullus perfectè intelligit, quæ Christus & S. Paulus de nouissimis temporibus tradiderunt; nec quæ de illis Daniel prophetauit. *Tertio*, Ex olim Apostolorum tempore vsitatis, & modo obsoletis; vt v.g. quod solerent Christiani simul in Ecclesia collecti, diuersis ignotisque linguis enunciare mysteria, quæ ipsimet non intelligebant, sed ab alijs accipiebat interpretationem. Vnde obscurũ est, quod D. Paulus ad Corinthios super his linguis scribit. QVARTO; Ex proprietatibus linguarum, quibus scripturę scriptæ sunt, vt vel maximè Hebraica in veteri Testamento est, & Gręca in nouo. Nam Græca, (cùm ab Apostolis & discipulis, qui oẽs Iudæi erãt, magisq; in Hebraicis quã Græcis versati, scripta sit) proprietates & phrases Hebraicæ linguæ plus, quam Græcæ retinet, ideoq; obscurior est. QVINTO. Ex multis figuris, similitudinibus, & parabolis quæ explicatæ non sunt.

Ioann. 14. 15. 16. 17. *Matt. 24.* *Luc. 21.* *1. Cor. 15.* *1. Thess. 4.* *2. Thess. 2.* 2. *Dan 11. et 12* 3. *1. Cor. 14.* 4. 5.

Disce *Quarto*, Deũ ob peculiares rationes hanc obscuritatẽ in scripturis reliquisse: quarum multas SS. Patres, & pręsertim has septem, numerãt. *Primo*: vt Deũ pro explicatione precaremur; inquit Origen. ideo SS. Doctores priusquã explicationẽ scripturarũ ordirentur, Deum inuocabant. *Secundo*: vt superbiã frangeremus, inquit D. Augustin. stupiditatem namq; nostrã aduertimus, qui omnia consecuturos nos putamus, & sensum scripturarum, aut mysteria non capimus. Ideo ad Nicodemũ legis Doctorem ait Christus: *Tu es magister in Israel & hac ignoras? scientia* mundi *inflat*, inquit D. Paulus: at scientia Dei humiliat. *Tertio*: ne aspernaremur illam, sed magnifaceremus; inquit D. Augustinus ibidem. Vt enim non magnopere laboramus de re, quæ haberi potest facile, & quæ vulgaris est; sed quæ maiori labore, & pecunia comparatur propter raritatem, (quemadmodum nunc Hiacynthos propter raritatem nouitatemq; pluris ipsis rosis fieri videmus, quę tamen inprimis fragrant, sed communiores sunt) sic quoque pluris facimus quod cum labore intelleximus.

Rationes obscuritatis. 1. *Hom 12. in Exod.* 2. *2. de Doct. Christ. c. 6.* *Ioan. 3. 10.* *1. Cor. 8. 1.* 3.

4. *Quarto,* Vt subtiliorem intellectum nostrum, latioremq; reddamus; vt docet D. Gregor. ad res diuinas, Deiq; voluntatem complectendam, vt enim temporalibus se distinens, magis ad ea facienda habilitatur: sic diuinis se occupans, facilius eas complectitur. *Quinto,* Ne otiosi simus sed semper operemur, scrutemurq; scripturas; inquit Clemens Alexandrinus. Nam vt Deus in veteri testamento externa sacrificia, à filijs Israel requisiuit, quo eos ab idolorum cultu auocaret: sic in scripturis sedulos nos esse vult, vt fabulas poëtarum eriperet. *Sexto,* Vt non modò intellectu essemus instructiores, & doctiores; sed etiam meliores & sanctiores. Nam vt gallina (inquit idem Clemens) scalpendo, & laborando sibi escam quærens, facilius carnosa redditur: sic qui studendo & laborando sensum scripturarum scrutatur, non modo per laborum merita melior redditur, sed & per spiritualem occupationem, quæ illi esse quoddam spirituale communicat (vti molitor à farina, quam tractat) albescit. *Septimo:* Ne quiuis ex triuio scripturam intelligeret, vt idem docet Clemens. Non cuilibet enim conducit, eius mysteria intelligere, qui plus incommodi quam commodi facturus esset, ad carnalia desideria sua ea abutens. Quare dicit Christus; *quæ in aure auditis prædicate super tecta.* Nõ vt abscondita publicentur, sed vt sublimia mysteria sic explicentur vt accepta sunt. Hi sunt thesauri illi absconditi, quos per Isaiam Prophetam promisit Deus inquiens. *Et dabo tibi thesauros absconditos & arcana secretorum:* quæ non deerunt & difficilia satis intellectu erunt. De hac item Propheta Dauid: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris, præ fulgore in conspectu eius nubes trãsierunt,* id est, verbum Dei coram plebe est obscurum, & extincti carbones, qui non ardent, aut lucent, nisi accendantur; Verum sapientibus apertum est, vt lumen quod à Deo deorsum mittitur. Non sine causa scriptura dicit: *si quis cisternam aperuerit, cecideritq; bos aut asinus in eam, reddet* DOMINUS *cisternæ pretium iumentorum:* eò quod spiritualis mortis proximi causa sit, adeò apertas sibi scripturas facientis, vt per eas in errorem labatur. Hucusque Clementis Alexandrini non tam verba, quam sensum secuti sumus. Quare pessime agunt, qui quemlibet scripturæ interpretem faciunt, & intellectus iudicem, non

Ho. 6. in Eze.

5. Lib. 6. stromatum.

6.

7.

Matt 10. 27.

Isai. 45. 3.

Psalm. 17. 13.

Exod. 21. 34.

non obstante, quod omnes veteres docti, & sancti Doctores alium sensum ex Apostolorum traditione nos docuerint.

Disce *Quinto*, scripturarum sensum non ex beneplacito hominum pendere, sed ex Spiritu S. quem hic Apostol. suis inflauit Christus, sensumq; scripturarum aperuit. Quare quemadmodum nemo linguam Græcam intelligit, nisi eam didicerit. & nemo Poetarum versus melius explicat, nisi qui ipse poeta sit: sic debet scriptura diuino spiritu facta, eodem spiritu explicari. *Propheta* (inquit D. Petrus) *propria interpretatione sit*, id est, Concionatores verbi Dei, non debent ad suum libitum scripturas interpretari. *Non enim voluntate humana allata est aliquando scriptura: sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines*. Præcepta Dei Spiritu Dei intelligi debent, & iuxta mensuram fidei. Quare malè à seculi Spiritu aut hæreticis, qui fidem non nisi in ore habent, explicantur.

Scripturę sensus vnde peti debeat?

2. Petr. 1. 20.

1. Corin. 2.

Disce *Sexto*, Nemini firmiter in scripturarum explicatione credendum, præterquam illi, de quo non dubitamus, quod Spiritũ Dei habeat. Quorum duo sunt genera. *Primo*: S. Ecclesia, in qua citra omne dubium Spirit. S. est, & ad finem mundi vsque mansurus, secundum Christi promissionem in matrem nobis data est, & custodem diuinorum dogmatum, columna ac firmamentum veritatis, quã si quis non audierit, *sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. *Secundo*: Viri sancti & docti, quorum nota eruditio est, & sanctitas testimonijs Dei confirmata. Hi quippe aliud docturi non sunt, quam quod à matre sua acceperunt, & in doctis literarum monumentis inuenerunt. Nam Spiritum Sanctum & syncera dogmata ex matris vberibus, nimirum Ecclesiæ suxerunt. Hæretici vero ceu inflati superbia æstimandi non sunt: quia nullum in illis Spiritum Sanctum inuenimus.

Ioann. 14.
Gala. 4.
1. Timo. 3.
Matth. 18.

Quantum ad S. Apostolum Thomam attinet, Nota *Primo* D. Ioannem illi aliud nomen tribuere, nimirum *Didymi*, quod non est aliud, quam prioris nominis explicatio. Nam *Thomas* tantundem in Hebræo sonat, quantum *Didymus* in græco, id est, *geminus*. Ab Hebræis *Thomas* vocatur, quia à parentibus sic nuncupatus fuit: at Græci illum *Didymum* vocarunt, quia reuera talis fuit, vti Iacob & Esau. Theophylactus ait, ideò

Euangelistam eum Didymum vocasse, quia Thomas interius quoq; Didymus id est, geminus erat, scil. non simplex sed dubius aut duplex: de quo D. Iacob. ait, *quod vir duplex animo inconstans est in omnibus vijs suis.* Quare bonum non est, dubium in re quod fidei aut officij admittere.

Iacob. 1. 8.

NOTA *Secundo*; Apostolum hunc cùm reliquis fuisse quando duo illi discipuli Emaunte ad vrbem redierũt. S. Luc. enim scribit, eos *vndecim* collectos inuenisse. Probabile Sanct. Thomam, cùm eos narrantes audita, & visa audiret, egressum (vt D. Augustinus ait) fortè quia nimis prolixa videbatur oratio de eo, quod ipse falsum iudicabat. Et sic præsentia CHRISTI priuari meruit; quia stomachabundus, & incredulus ab alijs profugerat. Disce bona consortia non declinare; CHRISTVS extra congregationem Apostolorum non inuenitur, vbi ignis magnus est, calefis, & foris in vento & frigore frigefies.

Luc. 24. 33.

NOTA *Tertio*, Christum Thomam suis donis non priuasse, tametsi alijs Apostolis coniunctus non fuerit. Dubitandum namq; non est, Christum eandem illi gratiam, & potestatem contulisse, quam alijs Apostolis tradiderat, nimirum vt Euãgelium per totum mũdum prædicaret, peccata remitteret, & scripturas intelligeret: quippe nõ minus ille, quam alij decem ad Apostolatum vocatus erat. Pleriq; quærunt, quando Deus illi hanc potestatem contulerit? D. Cyrillus ait: ipso die Paschatis, quando alijs Apostolis eam impartitus est. Tametsi enim absens fuerit, nihilomin. illi Christus hanc conferre poterat: quemadmodũ cũ septuaginta duos seniores ex filijs Israel illos in magnum Cõcilium assumpsit, quod postmodũ Sanedrim appellarunt, quibus Eldad & Medad non aderant, sic nihilomin. in tabernaculis suis prophetabant, cum alij 70. ad Tabernaculum Domini Spiritum Dei acciperent. Sic Christus potestatem in dona sua ostendit, quę dare potest, cui vult & quomodo. Alij secus opinantur, & octauo die Christum D. Thomæ hanc potestatem dedisse tenent, posteaquam resipuit. Quia in infidelitate sua non erat aptus, vt Spiritum Sanctum acciperet: qui non modo Apostolis, præfata dona conferebat, sed etiam illos amicos Dei, remittendo peccata, constitue-

Quæstio. Respons. 1. 12. in Io. c. 56. Num. 11. 17. Resp. 2.

ſtituebat. Hic diuinitatem Chriſti aduerte, non modo peccatores in gratiam recipientem, ſed etiam in ampliorem dignitatis locum, quam ante fuerint, transferentem. Dauid adulterium & homicidium commiſerat, nihilominus permanſit Rex. Omnes Apoſtoli ſcandalizati fuerant in Chriſto, & Petrus ter eum negauerat, & nihilominus orbis Principes conſtituuntur, Petrus omnium ſupremus & Vniuerſalis caput Eccleſiæ. D. Paulus, & Magdalena magis eleuati poſt conuerſionem ſunt, quàm multi, qui nunquam peccato mortali ſe contaminarunt. Licet plenus mortalibus ſis, nihilominus ad Deum conuertere, dum viuis, hic enim miſericors eſt, tempus miſericordiæ reuera eſt, Conterere de peccatis tuis, & cõfitere, & pœnitentiam age, nunquam ea tibi Chriſtus exprobrabit: immo ampliorem mercedem, quam antea meruiſſes largietur.

XIII. *Dixerunt ergo ei diſcipuli, vidimus Dominum.* NOTA *primò* magnum illud gaudium, quo Apoſtoli redundabant; ita vt in ſe non poſſunt illud concludere. Non dicebant, quod apud Iſaiam legimus; *ſecretum meum mihi, ſecretum meum mihi*, ſed condiſcipulos eiuſdem participes reddere cupiebant. Cum Chriſto enim iam reſurgebant, & ad perfectionem, quæ in eo, vt alios nobis ſimiles faciamus, ſita eſt, pertingebant. Vt enim perfectus homo eſt, qui alios homines generat, ita perfectus Chriſtianus eſt, qui alios Chriſto lucratur, perfectus religioſus qui alios tales facit, qualis ipſe eſt. Quamobrem in hoc maxime enitere vt alios lucreris. Videmus quotidie quantũ laborent hæretici vt alios peruertant, quo pacto ſumptibus nullis in alimoniã ſuorum Prædicantiũ parcant, & in ſuſtentationẽ pauperum; immo armata manu integras prouincias ad ſuam inſaniam traducant. Si ergo illi tantum faciunt (quò enim maior labor eſt, pro hoc grauior erit pœna) quantum ergo nos catholicos laborem ſuſcipere oportet, vt infideles ad fidem, malos ad vitæ integritatem reducamus? (quo namque labor difficilior eſt, & ex maiore amore proficiſcitur, hoc merces quoque grandior eſt futura.) Non faciunt hoc illi, qui vita ſua contenti non aliud cogitant, quam quo pacto pacatè ſeruire Deo queant, nihil de ſalute proximi ſoliciti.

Iſa. 24. 16.

Melius

Melius illi, qui gustauerunt suauitatem Dei, faciunt, & ad eandem alios quoque traducere elaborant. Sic S. Ioannes
Apo.22.17. scribit: *Spiritus, & sponsa dicunt, veni, & qui audit, dicat, veni*; id est, vbi Spiritus Dei est, ibi desiderium alios Christo lucrifaciendi viget. Hoc sponsa Christi facit, nimirum Ecclesia, & nos, si illum vti sponsum ex animo diligamus. Quare si illum quis sibi loquentem audiat, & suauitatem sentiat, alium eodem quoque traducat. Mirum profecto, tot catholicos altaris Sacramento frui, immo sacerdotes indies in sacrificio Missæ communicare, & proximos eodem vix impellere; imo quod maius est, plerosque illorum frequentationem hanc vituperare.

Signum est, Dei Spiritum qui dicat VENI in illis non esse. Et deplorandum, in monasterijs tanta nunc difficultate suscipi illos, qui Dei Spiritu ad ea inquirenda aguntur: Religiosi primitus mundanos homines ad conuersionem trahebant; quia Deum sciebant, qui prius instituisset monasteria, eoque homines per Spiritum Sanctum traxisset, non permissurum, vt perirent illa, quoad regulæ vigor, ac disciplina seruaretur. Hic temporalis necessitatis amor, signum est refrigescentis diuini spiritus, & deficientis; proficientis verò spiritus mundani, item negligentis obseruantiæ regularum, & exigui desiderij perfectionem proferendi. Disces itaque hic, non malè, sed bene agere, immo diuinè; qui proximum ad perfectiorem statum, aut virginitatem consilio
22.q.189.a.9. ducunt, Vt D. Thomas docet: illi enim mercedem illam ac-
Dan.12.3. cepturi sunt, qui apud Danielem Prophetam multis promittitur, alios *ad iustitiam* erudientibus. Seculares nuptias suadēt, & nullus eos coarguit: quare igitur pij Spiritu Dei non suaderent fugam mundi.

NOTA *Secundo*, Apostolos ex vnica Christi visione, & allocutione, tantum gaudium concepisse: quanto igitur magis nos Christianos gaudere oportet, qui non modo eum indies in sacrificio Missæ videmus, sed etiam frequenter suscipimus? Quod si non eueniat, culpa Christi non est, qui ignis est omnia calefacere cupiens; sed nostra, qui nos inidoneos facimus. Idem vinum sanos recreat, & febrientibus nocet.

Aposto-

Apostoli, naturam mollem ceræ instar habuêre, quare continuo liquefacti sunt, etsi ante per infidelitatem indurati. Nos natura duri sumus, veluti lutum, etsi interdum videamur molles, & resignati, quamdiu nihil aliud nobis, quam quod desideramus, proponitur: at si quid ex verbo Dei, quod displiceat audimus, ad naturalem nobis duritiem redimus. Diues ille iuuenis ad Christum consilij caussa venit, *Matt.19.22.* promptus facere, quæ auditurus esset. Christus vt omnia, quæ possideret, venderet, suasit & pauperibus largiretur. Ille induratus, *tristis abijt*. Sæpius ad concionem, confessionem, aut Sacramenta bono cum proposito adimus: Vbi si quid nobis à Sacerdote dicitur, aut à Deo suggeritur, vt quid deponamus, aut relinquamus, aut quod sensualitati contrarium est, faciamus; ostendimus, nos lutum duntaxat esse, qui non mollescamus à sole, sed induremur.

NOTA *Tertio*. Non dixisse illos; vidimus *Iesum*, vt gentiles, qui ad Philippum veniebant dicentes, *volumus Iesum videre*: sed dicunt, *vidimus Dominum*, vt nos docerent. *Primo*: Christum per Sanctam Passionem & mortem suam, cœli terræq; imperium emisse. *Secundo*: perfecto nos gaudio fruituros, si Christus nobis sit Dominus, illiq; soli obediamus. Qui dupliciter nobis aliquid præcipit. *Primo*: tectè, per inspirationes. *Secundo*: aperte; per superiores. Mundo, vel affectu, non vtitur: quin si cum Apostolis Christum videre velis, his renuntia: Christo in Superioribus obediens. *Ioan.12.21.*

XIV. *Ille autem dixit: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Prolixa hæc infidelitatis S. Thomæ descriptio, non ad eius accusationem; sed *Primo*: ad confirmandam Christi resurrectionem adhibetur: ne dicamur *leues corde*, aut cito credidisse, tam efficaciter in Thoma conuicti. *Secundo*: Benignitatem Christi docet. habet Thomas in obstinatione sua sex peccata, quæ tamen promte Christus remisit. *Primo*: Infidelitatem. quia non credebat Christum Deū, alioqui etiam facile credidisset eius corpus non visurum *corruptionem*, nec putrefuturum. *Secundo*: Superbiam. alios enim Apostolos leuitatis notat, quasi nimis cito crediderint. fatebatur

Quot peccata habeat hic S. Thomas?

Psal.15.

tur quidem vidisse eos Christum, sed negabant fuisse corpus eius verum, ideoq; se ait tactu veritatem exploraturum. *Tertio:* Arrogãtiam. dum se dignũ censet scrutatione corporis Christi. *Quarto:* Pertinaciam. dum neq; mulieribus, neque duobus Discipulis, neq; B. Petro, neq; decem Apostolis, quorum etiã
1. Ioan. 1. 1. *manus*, vt Ioannes testatur, *contrectauerant de verbo vita*, credit. *Quinto:* Proximi contemtum. dum se solum sapere, alios vel desipere putat, vel saltem nimis simplices. *Sexto:* Leuissimum delectum credendorum. nam cum cruci nõ adfuerit, de vul-
Hom 16. in Hierem. nere lateris, vt Chrysostom. notat, nihil sciuit; nisi ex aliorum relatione; & tamen eisdem de resurrectione non credit. Porrò peccata hæc non erant animi mali, sed tristitia absorpti: tristabatur enim Thomas; tum, quod Christus obijsset; tum, quod necdum sibi apparuisset, vnde ne tristitia hinc augere-
Lib 12. in Ioan. c. 57. tur, ait Cyrillus, potius alijs apparuisse negat.

Disce *Primo:* Incredulis non sufficere si fidem audiant, palpare præterea volunt. sic in Eucharistia, quia panẽ palpare se
Hebr. 11. 1. putãt, non carnẽ; hanc negant. & nesciunt, *fidem esse non apparẽtium.* *Secundo:* Compati proximo non indignantur Apostoli, etsi contẽnat eos Thomas; tum, quia sciebãt se vidisse Dominum, & pacem sentiebant; tum, vt ipsum iuuarent. Monet A-
Gala. 6. 1. postolus vt qui *spirituales sunt alios instruant.* Plus enim blanda correctio, quam vehemens animi passio mouet. Iuuat huc, si
Ho. 26. ex 50. quisque se fragilem cogitet, & cum Augustino nullum omnino esse peccatum sentiat, quod ipse committere non possit. *Tertio:* Non sine caussa electorum lapsus permitti à Deo nem-
Genes. 50. 20. pe; ad peccantium vtilitatem. filij Iacob dum Ioseph vendũt,
2. Reg. 16. 10. totam familiam seruant. Semei Dauidis probauit patientiam; trina negatio Petrum docuit humilitatem; & hæc Thomę incredulitas, fidem nostram confirmat. *Quarto:* Rudes, quorum Thomas typum gerit, non verbis solum, sed & rebus instruẽdos. vt non audiant solum, sed & videant. vnde quoties aliquem à peccato reuocas, exemplo ad virtutem præi: neque enim humilitatem superbus, aut castitatem docere potest impudicus: cum Christum promittant verba, sed diabolum ex-
Luc. 4. 35. hibeant eius opera. Noluit à diabolo laudari Christus; sed, *obmutesce*, ait, *& exi.* similiter & Paulus, à pythonissa laudatus; *præ-*

cipio

cipio tibi, ait, *in nomine Domini Iesu Christi exire ab ea*. Expelle & tu diabolum à moribus tuis, & vita. vetat enim Christus diabolo credi. *Act. 16.18.*

Et post dies octo, iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Non temere Thomam Christus reliquit in dubio, vt Chrysostomus notat: sed vt doceat. *Primo*: Homines ab hominibus erudiendos, non à Deo, vel Angelo: idque tum, vt humilietur; tum, vt Dei vicarios honoret. Extraordinaria est Angelorum instructio, & de extraordinarijs: vt sunt, futura contingentia, vel status defunctorum, de quibus Saulem docuit Samuel. similiter abstrusas quæstiones orantibus aliquando soluit Deus, non quas ab alijs possint discere. Multa per orationem didicit B. Thomas, sed dum aliquando Neapoli in Ecclesia sui Ordinis oraret, apparuit ei Romanus, quem sibi Parisijs successorem reliquerat, iam tunc defunctus. Quærit de multis Sanct. Thomas, ille vero defunctum se respondet: & quantum, ait, ad te attinet, progredere eo modo quo hactenus, quia opera tua accepta sunt Deo: quantum vero ad me, dies 15. in purgatorio fui, ob negligentem testamenti à Priore mihi commissi executionem, nunc autem in cœlis sum. XV. *Hom. 85. in Ioan.* *1. Reg. 28. 19.* *Tom. 2. Sur. 7. Martij.*

Cùm dein quæreret S. Thomas. *Primo*, an habitus scientiarum hic acquisiti maneant in patria? *Secundo*, an ibidem Deus videatur per speciem, an immediatè in se ipso? respondit Romanus. *Sicut audiuimus, sic vidimus*: nec plura sciscitare. Alias eidem defuncta soror apparuit, ex qua de fratrum Germanorum Landulphi, & Reinaldi statu quærebat; illa vero breuiter, priorem dixit in Purgatorio, posteriorem in cœlo: dein pro se orari petijt; quod cum B. Thomas perfecisset, postmodum visa est cœlos introire. Ita ex Antonio posteriores alij. *Psalm. 47. 9.*

Noli reuelationibus facile fidere, dedit enim Deus Ecclesiæ Doctores sufficientes. *Secundo*: Naturam hæresis disce, quæ intellectum obscurat, voluntatē indurat. Thomæ dubitatio hæresi similis est, elegit enim vt vnum crederet, & non aliud. latus vulneratum, vt ex Chrysostomo ostendi, credidit; carnem resurrexisse negauit: etsi citra dubium, Apostoli totis *3. Part hist. c. 23. c. 7. et d. 7. Sur. 7. Mart.*

ostē

octo diebus multis, quas à Christo audierant, scripturis eum conuincerent. Caue ergo ab hæresi, ne Deus te despiciat. Fides magnum Dei beneficium est, nec datur contemnenti. *Tertio,* Vide peccati malitiam; adeò excœcat, vt pericula non videas. Dauid 9. menses in homicidio mansit, & adulterio; alios sex in peccato numerati populi. Petrus tres horas in negatione, Thomas octo dies in incredulitate. Discute ne malum in te ignotum lateat; possumus omnes orare Dauidicum illud: *ab occultis meis munda me.* Nam si Apostolus se negat, *in hoc iustificatum, quia nihil erat sibi conscius?* quanto magis timebimus nos.

Ephes. 2. *2. Reg. 11.* *2 Reg. 14.* *Marc. 14.* *Psal. 18. 13.* *1. Cor. 4. 4.*

Nota *Secundo*: Christum post 8. dies, nempe ipsa Paschæ octaua, apparuisse in domo eadem, in qua cœnam celebrarat. Probabile est eum ipso Paschæ die monuisse Apostolos, de Sabbathi mutatione in dominicam, ad resurrectionis honorem, vt propterea illi conuenerint. Audi de his Cyrillum. *Iure igitur sanctæ congregationes die octauo in Ecclesiis fiunt, & foribus sublimiore modo clausis, visibiliter simul, atque inuisibiliter Christus omnibus apparet: inuisibiliter quidem, vt Deus; visibiliter autem, in corpore. Præbet enim nobis carnem suam tangendam vt firmiter credamus, quia templum verè suum suscitauit. Quod autem mystica benedictionis communio, resurrectionis Christi quædam confessio est, verbis ipsius probatur, Hoc est corpus meum, &c.*

Lib. 12. in Ioan. c. 58.

Docet, ita nos debere congregari in Ecclesia dominicis, Diuinitatis contemplationem, & sensuum ianuas claudere, atq; Eucharistiam suscipere. Tabernas, ludos, & loca alia, quæ vanitatis fora sint, diebus istis frequentari indecens omnino. Deus in Ecclesia quæri debet.

Nota *Tertio*. Thomam nunc cum alijs præsentem. sensetat enim caussam damni, absentiam fuisse; vnde rectè Bernardus. *Falleris Thoma Sancte, falleris, si videre Dominum speras ab Apostolorum collegio segregatus: non amat veritas angulos, non ei diuersoria placent. In medio stat, id est, disciplina communi; communi vita, communibus studijs delectare.* Apostolis & tu inhære, Ecclesiam obserua; si in communitate es, regulam sequere, ne singularitas superbiam, & hæc hæresin pariat.

Serm. 6. de Ascen. Dom.

Venit

XVI.

Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio eorum, & dixit: Pax vobis. Cum obstinationem Thomæ, & periculum vidit Christus, ipse eum accedit. vt & nos errantibus omnibus Dei gratiam, qua hæretici peculiariter egent, imploremus. Vide simul Christi bonitatem, qui tantundem hic vni Thomę, quãtum antè alijs decem, præstat. docens *primo*: quantum amet singulas animas. *Secundo*: vt Thomam sanet; qui negarat se alio modo crediturum, nisi Christum tangeret. *Tertio*: vt ostendat, sæpe conuertendi peccatoris caussa plus præstandum, quã pro iustis. Christus enim pro peccatoribus mortuus est. Tria igitur hic pręstat CHRISTVS. *Primo*, docet nihil à se absconditum eorum quæ dixerat, vel fecerat Thomas. Peccabãt olim occulte seniores Iuda, quasi non videret Deus sed non vidit tantum, verum etiam Prophetæ apud Babylonem agenti, ea ostendit. Vide ergo quid agas, obseruat omnia Deus, etiam cordis arcana. *Secundo*, Resurrectionem docet, & corporis gloriosi dotes, dum ianuis clausis accedit; vt proin non præsumat Thomas irreuerentem illius cõtactum. soluit olim calceamenta Moyses, & post eum Iosue, ob Angeli præsentiam: quanto magis ergo, si præsens sit ipse Christus, in quo & *plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat*, & summa est corporis gloria? quoties Eucharistiam suscipis, reuerentiam interiorem adhibe, & exteriorem. *Secundo*, Stetit *in medio* eorum. *Primo*: vt viderent omnes. *Secundo*: vt se eundem doceret, qui dixerat: *vbi duò vel tres sunt congregati in nomine meò, ibi sum in medio eorum.* & gratam ostenderet hanc Apostolorum collectionem, etsi vnus interesset incredulus. *Tertio*: vt hæretici discant, Christum semper esse in medio Ecclesiæ. Cor vitæ animalis principium, in medio corporis est, seq; ad membra diffundit: Christus Ecclesiæ cor membra eius fide vnit, spe erigit, charitate viuificat. Caue ne ab hoc corpore separeris. *Tertio*: pacem precatur. quia non est hæc inter dissentientes. dissensio dissidia, & pugnas genuit; fides concordiã. vnde prędixit de Christo Dauid: *Orietur in diebus eius abundantia pacis.* Largitur hanc pacẽ hic Christus, dum Thomã conuertit, & alios confirmat, ac simul viam docet ineundæ cum hæreticis concordiæ; non si illi sibi permittantur, vt quidã putant; sed si sa-

Exod. 3. 5.
Iosue 5. 15.
Act 7. 33.
Collo. 2. 9.

Secundum quod fecit Christus.
Matt. 18. 20.

Psal. 71. 7.

nentur, Fides additamenta nescit, vel incisiones. Concilium Nicænum, nec literæ incrementum admisit, vt qui est Patri ὁμοούσιος diceretur ὁμοιούσιος, ne concedendo similem, negaret eundem. indulgentia non sanat hæreticos, sed eleuat; quasi iam rationum vi, aliquid ab Ecclesia expugnassent. Hæresis
Apoc. 6. 4. dæmon est, qui sedet super equum rufum, & *datum est illi pacē*
Apoc. 9. 11. *sumere de terra, & vocatur exterminans*. Pax ergo cum eo coalescere non potest, quamdiu illius, vel vngula superest. fœtent etiam stercoris reliquiæ, & parum veneni occidit, sic hæresis minima rixas parit. fides horologium est, & articulos habet quasi rotularum dentes. vnum si tollas, machina tota fallit.
Eph. 4. 3. 2. Cor. 13. 11. Ora Deum vt Ecclesię pacē seruet: quia *Deus pacis est, & charita-*
Gen. 6. *tis*. Vide etiam vt cum te ipso, & proximo pacem habeas. Noe imitare, è cuius arca internæ aberant dissensiones, nec aquæ
12. cōtra Faustum Manichæum c. 14. eam extrinsecus penetrabant. quia ligna dedolabat, *secundo*: arcam bitumine intrinsecus, & extrinsecus linebat. *tertio*: eam
Orig. hom. 2. in Gene. superne claudebat. *quarto*: animalibus mansiunculas parabat. *quinto*: inundationis metus omnes continebat. similiter dedolandæ sunt ad malum inclinationes, fomenta litium. *secundo*: charitas quæ bitumine significatur, iuxta August. omnesq; virtutes, iuxta Originem, adhibendæ. *tertio*: claudendi sensus; visa .n. & dicta, cōtentiones generant. *quarto*: mansiunculę officia sūt: si ergo statu tuo cōtentus, nemini vel inuides, vel detrahis, neq; lucrum tibi quæris, pacē seruas. *quinto*: Tribulationes time, & mortē. quisquis nouissima timet, hoc est, iudicij rigorē & præmiorum inæqualitatē, caussam habet cur æternam pacem quærat, detesteturque locum *vbi nullus ordo*.

XVII. *Deinde dicit Thomæ; infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & adfer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus,*
Ioan. 17. 12. *sed fidelis*. Noluit Christus sui caussa Apostolorum quenquā, vt dixerat, perdi: ideoque periclitantem Thomam accedit. Nota *primo*: Non vocatum à Christo Thomam: *Veni huc*. quia sic se composuerat, vt Thomæ staret proximus; in spem peccatorum, vt Christum paratum sibi cogitent. *Secundo*: Non dicit *adfer*, sed *infer*. videtur enim manus ad Thomam vsque extendisse, vt & sic paratum peccatoribus auxilium, & extensa brachia doceret. *Tertio*: perpende verba illa *infer digitum tuum*:

tuum: & ex eis vulnerum magnitudinem æstima. Ex Ioanne liquet, Thomam fuisse piscatorem, vnde consequens eum, pro opificum consuetudine, digitos habuisse, & membra crassa, adeoque crassos fuisse Domini clauos; quorum vnus qui Treuiris asseruatur, crassitiem digiti exprimit. Cogita quanti ab eis Saluatoris dolores, dum læsis venis, ac neruis, corpus viuum tres horas ex eis pependit. *Quarto*: Illud, *vide manus*: tantundem est, quantum si dicat; explora, scrutare, indaga, vt libet, ne decipi te putes. *Videre* enim pro omnium sensuum exercitio frequenter poni, obseruauit Sanctus Augustinus. *Quinto*: illa, *adfer manum*, dixit Christus post iam explorata manuum vulnera & monet Thomam, vt etiam vlterius indaget. *Sexto*, Si potuit manus integra vulneri inseri, latum sine dubio fuit, & profundum. Romæ in basilica S. Petri, cum panno Veronica, asseruatur simul & lancea, quæ habet latitudinem virilis manus, potuitque ipsum Domini cor penetrare. Et licet vulnus hoc Domino iam mortuo inflictum sit, amorem tamen spirat, quia cordis sanguinem profundit. *Septimo*: illa *noli esse incredulus, sed fidelis*. Summam CHRISTI in peccatores benignitatem exprimunt; non conuitiatur, neque improperat, sed peccati detestationem suadet, & virtutes. vt proin exprobratio, quam Marcus ipso Paschalis die ponit, austera non fuerit, aut mordax; sed ardens charitate, & efficax. Porro verba illa, *noli esse*: multum dulcedinis habent: significant enim superesse resipiscendi diem. erit cum non iam illa, sed maledictionem æternam obdurati audient. *Octauo*: significant verba illa; & vitia, & virtutem, res esse nostri arbitrij, hoc enim importat illud *noli*: etsi enim ex nobis nihil possimus, ne quidem dicere, *Dominus Iesus*: possumus tamen per gratiam. *Nono*: in eisdem verbis antithesin obserua, cum verbis Thomæ. dixerat ille, *nisi mittā*, &c. *non credam*. Christus vero *mitte*, ait &c. dein subdit, *noli esse incredulus*. quasi dicat, feci quod meum erat, dum palpandum, & videndum exhibui, fac iam tu, ꝙ quasi sub conditione spopondisti. Monet simul vt ad Dei dona attendamus; præstat .n. ꝙ pro salute petimus. ideo cōueniens omnino, vt & nos eidē respōdeamus. *Decimo*:

Ioan. 11.

Tract. 121. in Ioan.

1. Cor 12. 3.
Phil 4 13.

Hominem se docet Christus, dum vulnera ostendit, Deum, dum Thomæ incredulitatem sibi notam aperit, & verba quę habuerat cum Apostolis, vt tanto efficacius eum ad fidem permoueret. Nota *secundo:* Thomam prius inuitari, vt corpus Domini tangat, quam vt credat, ad manifestandam diuini corporis virtutem. Similiter & tu in Eucharistia non tam imbecillitate deterrere, quam fructibus allicere: Thomæ, contactus Christi & lucem dedit, & amorem: dabit eadem tibi. operatur enim corpus Christi, & efficit propria vi. interim para te primum, & peccatis exue, quæ si absint, energiam senties, quam experti olim etiã infantes. Notant quidam; Thomam ad tactum inuitari, Magdalenam prohiberi: quo & nos mulierum tactus declinemus. Carnem namque si carni affrices, incalescet vtraq;, etiamsi ante frixerit. Cum ex costa formaretur Eua, Deus costæ carnem substituit, vt viros doceret à fœminis mollescere, cuius rei testes, Sampson, & Dauid; qui exemplo viuo illud Sapientis optime explicant; *Melior est iniquitas viri quam mulier benefaciens,* quia melior est, & vtilior iniusta viri oppugnatio, quam fraudulentæ mulierum blanditiæ; quæ vel ad peccatum, vel ad infortunium ducunt. Sampson, & Dauid, inexpugnati ambo, quamdiu à fœminis intacti: postea hic peccauit, & regno ad tempus abijt, ille excœcatus, factus est in derisum Philistæis. Nota *tertio:* Dubitare multos an Christi vulnera Thomas tetigerit, quia nec Euangelista id dicit, neque Christus indicat, ait enim *quia vidisti me,* non *quia tetigisti.* interim oppositum est inter PP. communius. Quærit Sanctus Gregorius, quomodo corpus gloriosum palpari possit? nam tactus non fit sine 4. primis qualitatibus, quæ tamen, quia contrariæ sunt, pugnant, adeoque corpus in quo sunt corrumpunt. Nota ergo tria esse corporum genera. *Primo:* sunt cœli, qui qualitatibus istis carent, adeoque incorruptibiles sunt, & tanguntur sola resistentia, quia non admittunt aliud corpus. *Secundo,* sunt elementa pura; terra, aqua, aer, & ignis, quæ habent singula duas qualitates, se mutuo compatientes, quæ in se inuicem non agunt; vt ignis siccitatem, & calorem, &c. vnde & ipsa essent perpetua, si non accederet agens extrinsecum, & quod pereant, est ab

Euag. 4. Histor. c. 35.
Ioan. 20. 17.
Gen 2. 21.
Eccle. 42. 14.
Euthy. hoc loco.
Quæstio. *Hom. 26. in Euang.*
Respon. Tria corporũ genera.

ab actiuitate qualitatum alterius elementi. *Tertio:* sunt corpora ex dictis 4. elementis mixta: & hæc, ob interiorem pugnam, ab intrinseco sunt corruptibila, tardius, vel citius, pro diuersitate mixtionis, aut conseruationis. Oritur enim maior durabilitas partim ex mixtione; vnde lapis, & ferrum est durabilius ligno; partim ab alia caussa cōseruante: quemadmodum arbor viua est durabilior quam mortua, & homo viuus est durabilior cadauere, propter vitam quæ conseruat. Porro corruptibilia hæc Deus tribus modis à corruptione vindicat. *Primo:* præseruando ab extrinseco, & interiorem dispositionem renouando: sic in paradiso fuisset homo, ab esu ligni vitæ, immortalis. *Secundo:* Animam in corpore seruando, vt expelli non possit. sic damnati erunt immortales. *Tertio:* Per gloriam, quæ corpus non immortale solum, sed & impassibile reddit. sic corpus CHRISTI immortale est, eruntque immortalia corpora beatorum, etsi retineant 4. elementa. Deus enim hoc priuilegium eis superaddit. Disce hinc *Primo:* Terrenorum omnium contemtum, quia caduca sunt. *Secundo:* Vitæ incertitudinem, ob 4. humorum, & qualitatum pugnam. *Tertio:* Cœli amorem, quia nulla ibi pugna, aut corruptio. Omnia huc transmitte, priusquam ea vermes arrodant, aut ærugo. si enim per manus pauperum eo transferantur, incorruptibilitatem induent.

Corruptibilia tribus modis à corruptione seruantur.

Documenta tria.

XVIII. *Respondit Thomas, & dixit: Dominus meus & Deus meus.* Post contactum credit Thomas, & *Primo:* Dominum proclamat, nempe quem video, & *Deum*, qui me videt, & de peccato arguit. In græcis sunt articuli, qui emphasim habent: sicut si germanus dicat, **mein Herr vnnd mein Gott:** neque enim abiectum hoc sonat, aut quid vulgare, sed quasi arbitrum omnium & potentem. Domini nomen omnibus S. Trinitatis Personis ob creationem nostri, & conseruationem, attribuimus: appropriatur autem Christo, ob redemptionem. atque hoc intendit B. Thomas; nempe, *Dominus meus* es, à quo ego redemptus, & in quem omnes meæ diriguntur actiones; *Deus* quoque es, non vt creaturæ quales *sunt dij multi, & domini multi*; per participationem, sed per essentiam. *Secundo:* illud *Meus* emphasim habet, & affectum S. Thomæ exprimit;

1. Cor. 8. 5.

quo & nos Christo seruiamus, non tantum vt Domino omnium, sed vt peculiariter *nostro*. dicentes Apostolicum illud *dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. neque enim credimus CHRISTVM solum pro omnibus satisfecisse, sed & pro singulis: vt fide hac excitati, per Sacramenta, satisfactionem eius nobis applicemus. quomodo si nosocomio alicui data sit certa medicina, quotquot illic infirmi sunt, ius habet eam vsurpandi. Monet Bernardus, quam necessarium sit, vt experiatur homo, Christum esse *suum*: vt testimonium *habeat conscientiæ, quod simus filij Dei*, iustificati à peccato, & à Deo dilecti. facit enim hoc ad spei robur, & charitatis ardorem. *si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*, (inquit B. Ioannes) *& quidquid petierimus, accipiemus ab eo*.

Gal. 2. 20. Serm. 1. de Annunt. B. Virgini. Rom. 8. 1. Ioan 3. Ibid. 21.

Vide ergo, vt per pœnitentiam, & bona opera, testimonium hoc consequaris, vt idem Bernardus monet. laborum societas familiaritatem parit, sic qui pro Deo laborauit, fiduciam habet. *Tertio*: Verba iam dicta ad Christum Thomas, non ad Patrem cœlestem referebat; vt hæretici olim blasphemarunt: indignati, quod Christus *Deus* diceretur, ac *Dominus*, sed ex contextu liquet, Christum hic adorari, & inuocari à Thoma, vt Christianum decebat.

Serm. 4. de modis orandi. 5. Syno. Gen. c. 12.

Nota *secundo*: Miram, & subitam Thomæ tam duri conuersionem, ac disce *Primo*: de nullo desperandum: vincit minima gratiæ scintilla omnem humani cordis duritiam. vna Christi vox Saulum strauit, spirantem minas, & anhelantem. *Secundo* Nullius sanctitati nimium inniti. *omnis* enim *homo mendax*, & instabilis. Dauidem, ac Salomonẽ, triumphauit fœmina. Origenes quasi martyrio desponsus, hæresiarcha factus est, *qui stat, videat ne cadat*: spes inexpugnata, solus Dominus.

Act. 9. 1. 1. Cor. 10. 12.

Nota *Tertio*: cum Bernardo beneficium hoc Thomæ ex vulnerum Christi contactu profluxisse. nulla certior ad salutem via, quam passionis frequens meditatio. *In illa*, ait ille, *sapientia est, in illa iustificationis nostræ perfectio, in illa scientiæ plenitudo, in illa salutis diuitiæ, in illa abundantia meritorum*. Noli eam cursim inspicere, sed explora, & disquire cum Thoma, vt inflammeris, & sapientiam Apostoli consequaris *qui non iudicauit se aliquid scire, nisi Iesum, & hunc crucifixum*, hanc qui habet, omnia habet.

Serm 61. in Cant. Serm. 48. ibi. 1. Cor. 2. 2.

haber. hæc vulnerauit Franciſcum, coronauit Catharinam Senenſem, & ſapientia Diuina impleuit. Optima autem meditatio, eſt compaſſio, vt ſcilicet experimento noſtro diſcamus quid ſit paſſio.

Ieſus ait, quia vidiſti me Thoma credidiſti. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Verba hæc ſententiam Chriſti de Thoma continent, qui ante incredulus, nunc (vt alias S. Petrus) verba fidei plena exclamat. fatetur enim Chriſtum mundi D*ominum*, ac D*eum* verum: adeoq́ue damnum incredulitatis reſarcit Chriſtus tamen non laudat, ſed potius arguit, quia ſero, & non niſi conuictus tactu, ita loquitur. Petrum vero laudauerat, quia cito, & paucis ductus argumentis, Diuinitatem teſtabatur. Nota *primo*: illud, *Vidiſti.* Accipi pro exercitio cuiuslibet ſenſus, adeoq́ue pro tactu: ſic dixit Dauid. *guſtate, & videte, quoniã ſuauis eſt* D*ominus*, & Moyſes: *omnis populus vidit voces*: deniq; Pilatus. *Vide*, ait, *in quantis te accuſant*. Credidit ergo Thomas, quia palpauit. vtinam & nobis contingeret, res Diuinas non obiter videre, & examinare, & palpare. XIX. *Matt 16. 17.* *Pſalm. 33 9.* *Exod 20 18.* *Mar. 15. 4.*

Nota *ſecundo*: dupliciter verba Chriſti intelligi poſſe. *Primo* de fide Catholica, & tunc quæſtio S. Gregorij locum habet, quomodo credidit Thomas, quia vidit? cum fides Apoſtolo ſit *non apparentium*. Reſpondet idem. Thomam non credidiſſe idem, quod vidit. viuentem vidit, quod autem idem Deus eſſet, ſeq́ue tanquam Deus reſuſcitaſſet à mortuis, & quod mundi Dominus eſſet, credidit. Magnaq; erat hæc fides, ſed quia tarda, & cõuicta, minus meriti habuit. Nota itaq;. *Primo*: Fidẽ tanto maiorẽ, quanto eius obiectũ eſt dignius, tantoq́ue plus habere meriti, quãto minus argumẽti. ſic Cẽturionis fidẽ plus cõmendat Chriſtus, quã Reguli: quia ille etiã abſentis virtutẽ fatebatur, hic vero præſentẽ requirebat. ſimiliter admodũ laudabilis eſt fides latronis, qui Deũ credidit; cũ nulla vix argumenta id, nõ dico perſuaderẽt, ſed ſuaderẽt. Nota *ſecundo*: fidẽ nõ eſſe de euidẽtibus, quæ ſenſus videt, vel intellectus: eſt enim *non apparentiũ*. quæ ideo ſolum creduntur, quia reuelata ſunt. Vnde *Primo*: Apoſtoli non crediderunt Chriſtum viuere, aut reſurrexiſſe; ſed videbant. *Secundo*: Diuinitatem eius, quodque propria virtute reſurrexerit, credebant. *Hom. 26. in Euang.* *Hebr. 11. 1.* *Matth. 8. 10* *Ioan. 4. 48.* *Luc. 23. 42* *Sup.*

neutrum enim necessario ex visis inferebatur: quia multi à mortuis surrexerunt, alieno beneficio. *Tertio:* Aliorum Apostolorum fides plus habuit meriti, quam S. Thomæ, qui magis conuictus credidit. nam præter sufficientia motiua, habuit & hoc quod Apostoli Christo locuti essent, & cum eo comedissent. Interim & aliorum Apostolorum merito hoc deerat, quod non ex auditu, ex quo est fides; sed ex visu moti essent. *Quarto:* In hoc Apostolis nos præstamus, ꝙ resurrectionem purè ex auditu credimus. non tamẽ ideo beatiores, tum quia maximum habemus motiuum, consensum dico totius orbis per 1600. annos, cui *quisquis se opponit* Augustino *monstrum est*, tum quia Apostolorum fides erat feruentior. nam quemadmodum quando peccatores duo cõuertuntur, quorum alter conuertitur difficilius, sed tamen intentius, hic habet majus meritum, quam alter: sic est in Apostolorum, & nostra conuersione; nascimur quasi fideles, & tota ætate tepemus. Porro ex dictis constat, quare fidem Christianam non habeãt dæmones, etsi plura fidei mysteria norint, quam nos. Nam quia euidenter videbant Christum facientem 7. miracula, nec tamen vt magum ope diabolica; euidenter quoque conuincebantur Deum attestari doctrinæ eius, eamque probare, euidentia autem, vt dixi, meritum fidei tollit. noli ergo tristari, quia rationes credibilitatis non capis.

Rom. 10. 17.

22. de Ciuit. c. 5.

Alter explicandi modus est, vt *credidisti*, non significet fidem Diuinam, sed assensum, seu confessionem quamlibet: vt sensus sit, *quia vidisti me Thoma*, confiteris me resurrexisse. Atque ita idem videbat Thomas, quod credebat, quomodo & nos credimus, seu confitemur, quæ videmus: sed qui Christum non viderunt, magis meritoriè eum confitentur.

Nota *Tertio:* Primis verbis Christi nõ exprimi nomẽ Thomæ, vt posterioribus, quia Deus peccatores nõ nouit, ob maculatã Dei imaginem, quæ quia cõuersione purgatur, notitia redit. Nouerat Lazarũ Deus, eiusq; nomẽ Lucas expressit; epulonẽ vero nõ nouerat, licet mundo notũ. Vide vt scribatur nomẽ tuũ in libro vitæ, ac scriptũ ibi permaneat, Deo, & beatis omnib⁹ notũ. peccati tenebras ab anima eijce, vt corã Deo lucidus appareas; vt B. Mater Christi cuius, *nardus dedit odorem suaui-*

Luc. 16. 20.

suauitatis, *dum esset Rex in accubitu suo*: de cœlo enim humilitatem eius respexit, & ad eam in terras descendit. Cant. 1. 12. Luc. 1. 48.

Nota *Quarto*, Vltima illa *Beati*, &c. etsi preteriti temporis sunt, nos tamen concernere: quia *apud Deum futura*, ait Augustinus, *vt præterita sunt*. Gaude ergo de felicitate tua, & in Apostolorum fide perseuera. Fide inquam, cum operibus, nam beati hic Apostolorum imitatores dicti, Apostoli autem pręter fidem opera habuerunt. Dein Scripturę phrasis est, vt cũ beatos vocat, alias virtutes non excludat, sed includat potius: hic enim Christus, *Beatos* dixit *pauperes spiritu*, & Dauid, *Beatum qui timet Dominum*, non quia hi sine fide beati, sed quia virtutibus illis beatitudinẽ acquirent, nisi alterius defectu excludantur. Sic fides, si alia non desint, meretur cælum, nã sicut non saluatur ebrius, qui tamen alias virtutes, exercet, sic nec saluatur fidelis, qui operibus caret. Caue hic hæreticorũ fraudes, sed potius Augustinum, imò Euangelium audi; iudicij regula erunt, opera nostra: quæ si cui desint maledicto subiacebit. Audi denique Ioannem: *Filioli mei nemo vos seducat, qui facit iustitiam, iustus est, sicut & Christus iustus est.* Tract. 121. in Ioan. Luc. 6. 20. Math. 5. 3. Psalm. 111. v. De fide & operibus c. 15. Matt. 25. 35. 1. Ioan. 3. 7.

XX. *Multa quidem & alia signa fecit Iesus, in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.* Addidit hæc verba S. Ioannes, *Primo*: vt commendet duas Christi apparitiones, quæ persuadendæ diuitati, & resurrectioni Christi sufficiant, cum etiam obstinatissimum Thomæ animum expugnarint. Etsi interim Christus frequentius multo apparuerit, ita vt nullus Euãgelista, ob apparitionum frequentiam, eas describat. *Secundo*: vt motiuum aperiat, ob quod ipse scripserit Euangelium: nempe, vt Cerinthum, & Ebionem, recentes tunc hæresiarchas diuinitatem Christi negantes refutaret: vt refert Hieronymus. Ait ergo, se non omnia Christi miracula conscribere velle, sed quædam tantum, quæ adstruendæ eius diuinitati sufficerent. Scribebat enim, cum, iam post mortem aliorum Apostolorum, hæretici Scripturas deprauare incepissent, ipse que superstes magnæ esset apud fideles authoritatis. Conscius itaque fraudis hæreticorum, contra eam fideles armat, certus hoc hæreticis omnibus fore solenne. *Primo*, Vt verbum Dei negent, quicquid expresse scriptum non est: De Scriptor. Eccles.

De præscript. Hæretic. vt obseruat quoque Tertullianus. *Secundo*, vt Scripturas reijciant, mutent, vel corrumpant, de quo iam olim S.Petrus querebatur. Contra priores Euangelium scripsit iam nonagenarius, ait Epiphanius, & postquam illud in Pathmo prædicasset, ait Athanasius, multis annis post alios Euangelistas, significans ab his multa intermissa, ad Christianę fidei probationē necessaria, quorum aliqua ipse collegit; vt sunt, baptismi necessitas, vtilitas, & fructus Eucharistiæ, collatio potestatis remittendi peccata, & potestas S. Petro collata in omnes Christi agnos, & oues, cuius promissionem descripsit Matthæus. Denique nemo tam exacte diuinitatem Christi adstruit. Interim ne quis cauilaretur Ioannem omnia, quę alijs deerant, suppleuisse: testatur hic, multo plura scribi potuisse, imo cap. seq. ait, nec *mundum capere posse eos qui scribendi essent libros*. Contra posteriores vero, posuit clausulam Apocalypseos: *si quis apposuerit ad hac: apponet super illum Deus plagas scriptas in libro hoc: & si quis diminuerit de verbis Prophetia huius, auferet Deus partem huius de libro vita.*

Hære. 51. In Synopsi. Ioan. 6. 20. 21. Matt. 16. 17. Ioan. 21. 25. Apoc. 22. 18.

Scripturam minuunt, & augent hæretici omnes, cum sensum verum tollunt, & falsum affingunt. Nam *Dei verbum*, ait Hilarius, *non faciunt litera sed sensus*. litera vagina est, sensus gladius. Prȩterea minuunt Scripturam, quia libros sibi aduersos reijciunt, augent vero, quia quod scriptum non est quasi scriptum sit obtrudunt v.g. negant credendum, quod nusquam habetur scriptum & tamē hoc ipsum nusquam est scriptum: vnde merito S. Ioannis maledictionem incurrunt.

Nota *primo*, Sicut Christus fecit plura signa, quam scripta sunt, sic & tradidit plura dogmata: plus enim loquebatur, quam operabatur. *Secundo*: Multa plura fecit, & quidem *alia*, id est, alterius conditionis, quæ non tantum miracula essent, sed & Sacramenta, gratiæ interioris, qualis fuit insufflatio de qua in præsenti Euangelio, significabat enim Spiritum S. Apostolis dari. *Tertio*, Signa hęc non facta coram omnibus, sed coram Apostolis: *primo*, Vt discamus ea non fuisse vana, sed vtilia conuersioni hominum, per Apostolos faciendæ. *Secundo*, Vt discamus ea non omnibus promissa, sed his qui conuertendis hominibus laborāt. Scribit de his multa Dionysius

De Hierarch. Eccl. c. 2.

nysius ad Timotheum, B. Pauli discipulum, vt ea *sanctis* solũ *& idoneis* communicet. *Quarto* Nota: quod ex his Apostoli maximam cæremoniarum partem sumpserunt, & tradiderunt quas in sacris quotidie adhuc adhibemus, v. g. signum crucis, quod fecit Christus, quando ascendens in cælũ *eleuatis manibus* Apostolis benedixit, item Chrisma, quod post lotos Apostolis pedes in cœna, vt S. Fabianus testatur, instituit. item omnia Sacramenta, quorum institutio Christo propria est, & essentiales ritus. *Quinto*, Periculosum valde illud hæreticorum axioma: *Nihil credendum extra Scripturam*, nã vt rectę Basilius, *hinc toti Scripturæ periculum nascitur.* vbi enim scriptũ est, quatuor tantum esse Euangelia? Euangelia quæ habemus esse verbum Dei? Biblia nostra esse vera & authentica Biblia? &c. Imo hinc Suuenckfeldij hæresis primum exorta est. Dein multis porrigitur ansa multa negandi, Trinitatem, & ὁμοούσιον, Arriani, Puerorum baptisationes, Anabaptistę, B. Mariæ perpetuam virginitatem Heluidius, & Iouinianus reiecerũt, quia de his nihil in Scriptura. Alij fors mulieribus negabunt Eucharistiam, quia nec eius in Scripturis mentio. Alij suffocata prohibebunt, & sanguinem, quia prohibuerũt Apostoli, nec reuocarunt, alij exemplo Christi Eucharistiam vespere sument in cęna, alij sabbathum seruabunt, &c. Demum aperitur omnibus facultas exponendi Scripturas pro arbitrio, nunquam enim Scripturam quis ita explicabit, vt aliter explicari non possit. Melius ergo cum Ecclesia sentimus, *primo*; nusquam præcepisse Christum, vt Apostoli omnia dogmata necessaria scriberent. *secundo*, Plura Christum & docuisse, & fecisse, quam scripta sint. *Tertio*, Scripturam viuam esse in corde Ecclesiæ, digito Spiritus S. scriptam, quæ omnia fidei dogmata comprehendit, scriptisque literis antiquior est, nec mutari potest, aut corrumpi.

Epist. 2. ad orient. episc.

De Spiritu S. c. 27.

Act. 15. 20

XXI. *Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus filij Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.*

Nihil præter Dei gloriam, & hominum salutem, spectarunt in scriptis suis Apostoli: illa Dei cognitione crescit, cognitus enim non laudari non potest. Salus quoque eadem cognitione augetur, quia viam salutis & modum ostendit. Porro

S. Ioan-

S. Ioannes hic docet; quid explicite credere debeant, qui in Ecclesiam per baptismum admitti volunt, nempe, quod IESVS sit Christus, filius Dei, in cuius nomine æterna vita obtineri debet. Quod Apostoli latius explicuerãt in Symbolo. Nam *primo*, credere debent IESVM Marię filium esse verum Christum, & Messiam, de quo scripserunt Prophetæ. *Secundo* Eundem non esse solum hominem & habere naturam communem cum matre, sed esse præterea verum Deum, & habere naturam eandem cum Patre, est enim cum Patre quoad naturam idem, cum matre verò naturam similem habet tantum, non eandem. *Tertio*: Hunc passione sua, & morte, nos ex diaboli seruitute redemisse, pro peccatis nostris satisfecisse, & in Ecclesia nobis reliquisse Sacramenta salutis. *Quarto*, Superesse aliam vitam quæ sit æterna. *Quinto*, Hanc fide obtineri, & in nomine eius. Fides autem ab hæresibus pura esse debet, nomen vero eius, merita illius significat, sine quibus opera hominum nulla sunt, illorum enim intuitu datur nobis gratia, remissio peccatorum, & meritum. Porro post baptismum plura discenda sunt, quæ dein in concionibus, & quotidiano Ecclesiæ vsu proponuntur.

Quæ credenda venienti ad Ecclesiam?

Ex his disce *Primo*: in Scriptura non quærendam libertatẽ carnis, sed humilem imitationem Christi, cuius vitam, & passionem iugiter meditari debemus. *Secundo*, Quomodo miracula Christi seruiant ad probationem fidei. *Tertio*: Vt Sacramentis omnem reuerentiam exhibeamus, nam vt miracula signant fidem, ita Sacramenta gratiam. *Quarto*: Ne in studijs, scriptis, sermonibus, aliud quam Dei gloriam, animarumque salutem quęramus. Nam vti Deus ad hæc duo omnia creauit, sic eadem nos eodem referre debemus.

ORATIO.

DOmine Iesu Christe, Dominus noster & Deus noster, Mediator Dei & hominum, peccatorum remissio, & conscientiarum trãquillitas, qui post resurrectionem tuam ad discipulos tuos ingressus es, & Maiestatem gloriosi corporis tui ijs ostendisti, quando illud per clausas ianuas intulisti: item veritatem naturæ tuæ humanæ, quando vulnera

tua

tua illis spectanda tractandaque præbuisti: & diuinitatem tuam, quando Spiritũ S. illis infudisti, ac potestatem remittendi peccata contulisti: obtestamur in medium nostri progredere, & nobiscum mane, vt promisisti; ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Da nobis pacem tuam quam mundus dare non potest, Christianos coadiuua principes: omniaq; dissidia ab Ecclesia S, profliga. In omnibus eis necessitatibus assiste, & eorum pedibus omnes inimicos tibi, eique refractarios subijce: omnibus hæreticis, Turcis, & infidelibus potentiam adime, ne fideles in cultu diuino impediant. Et nobis sanctos, probos, industrios, sapientes, discretosque presbyteros largire, qui nihil præter gloriæ tuæ incrementum, animarum salutem quærant, & per doctrinã & exemplum sanctæ vitæ homines ad tui cultum perducant. Infunde omnibus S. Spiritum qui vera contritione corda emolliat, perfecta confessione à peccatis expiet, & pœnitentiæ operibus omne debitum deponat. Tribue eis feruens desiderium tibi placendi, & conscientiam ab omni peccato, & praua voluntate immunem semper iuuandi, quamprimum remorsum aliquem senserint presbytero se sistendi, duoque Sacramenta pœnitentiæ, & Altaris frequenter suscipiendi: vt in hac vita tranquillè viuant, & postea æternâ in cœlis fruantur. Per te Iesu Christe fili Dei, qui cum Patre & Spiritu S. viuis & regnas Deus in secula seculorum, Amen.

DOMI-


DOMINICA II.
POST PASCHA.

Euangelium Ioannis X.



N illo tempore, dixit Iesus Pharisæis: Ego sum Pastor bonus: bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, vidit lupum venientem, & dimittit oues, & fugit; & lupus rapit & dispergit oues: mercenarius autem fugit quia mercenarius est, & non pertinet ad eum cura de ouibus. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me pater, & ego cognosco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.

Breuis Euangelij Exegesis.



Ost restitutũ cęco visum, Pharisæi Christum quasi malefactorẽ Synagoga eiecerunt. Christus ergo hic se non Pseudoprophetam, sed Pastorẽ docet, à Deo
Ezech 43.23. promissum: nempe, apud Ezechielem: *Suscitabo super eos Pastorem vnum, qui pascet eos*, & apud Zacha-
Zach.13.7. riam: *Percutiam Pastorem, & despergentur oues*, ait ergo

go, *Ego sum Pastor bonus*, vel vt Græca habẽt: *Ego sum ille Pastor ille bonus*: nempe, quem promisit Deus; & cuius diuinitatẽ Prophetæ testantur, non sum mercenarius quia, vitam meam pono pro ouibus meis, & quod veri pastoris est, lupum videns spreto periculo me illi obijcio: sicut fecit olim Dauid, qui leonẽ videns, vel vrsum, tollentem arietem de grege, persequebatur eos, eruitq; de ore eorum, & leonẽ, ac vrsum interfecit. Mercenarius si lupum videt, relictis ouibus fugit, easq; lupo permittit diripiendas: quia cum nihil preter mercedem diligat, ouiũ salutem negligit. Repetit dein Christus. *Ego sum Pastor bonus*; nõ mercenarius, imo nec pastor vulgaris, sed à Deo speciatim promissus. Atq; istud nouẽ rationibus probat. *Primo*: Quia oẽs & singulas oues cognosco, aliter quam mercenarius, vel Pastor vulgaris: hi enim externa solum dignoscunt, ego autem etiam illas, quæ necdum signum meum habent, sed in aliena manu sunt: *nouit* enim *Dominus qui sunt eius*. *Secundo*: Meæ me cognoscunt. Ad salutem nullius hominis notitia necessaria est, nisi solius Christi. *Tertia* & *quarta* ratio, ex modo nascendi sumitur, *Sicut nouit me Pater & agnosco Patrem*, sic oues meas cognosco, & ab eisdem cognoscor. Christũ Pater cognouit, dando virtutes omnes; sic & Christus suis ouibus virtutes, vt sol radios transmittit. Christus Patrem nouit, honorem ei, & obedientiam deferẽdo, sic Christi honorem oues eius præ omnib. quęrunt. *Quinto*: Pono vitam meam pro ouibus meis: idque aliter, quam amicus pro amico, multi pro patria, multi pro fide, multi pro aliorũ cõuersione passi: sed nemo vt Christus. illorũ mors neminẽ à pec-

1. Reg. 17. 34.

2. Tim. 2. 19.

catis

catis liberauit, Christus omnes: illi tãdem mori debebant, ob peccati pœnam, Christum pœna hæc nõ tangebat, illi morte sua plus sibi perpererũnt, quã alijs; nempe, peccatorum remissionem, qua Christus non eguit: gratiam, & gloriam, quibus ex vi vnionis hypostaticę Christus nunquam caruit: illi denique diu sibi vixerant, Christus semper nobis. *Sexto:* Quia ex Patris mãdato, per Apostolos meos, oues adhuc dispersas ad vnum ouile colligam. *Septimo.* Illæ vocem meam audient. *Octauo:* Ex duobus populis fiet vnum ouile. *Nono:* Illis dabo vnum Pastorem, nempe, Vicarium meum, qui eas meo nomine gubernet.

Documenta Sermonis noni.

I. D*Ixit Iesus Pharisæis.* Proponitur hoc Euangeliũ, *primo*, vt caussam discamus Dominicæ mortis, & resurrectionis: mortuus. n. est, vt nos viueremus, & resurrexit vt nos Christ⁹ quasi Dominus possideret, vnũq; ouile erigeret. *Secundo*: quia dieb. his 40. cum Apost. de regno Dei, seu Ecclesiæ cõstitutione, egit. Ecclesia nos eiusdem admonet, Superiores docens, quomodo alios pascant, subditos vero, quos pro Pastoribus veris admittant; Christum scilicet, & ab eo missos. *Tertio*: Vt memores beneficiorum Christi ad maiorem eius amorem rapiamur, qui enim pro nobis mortuus est, & resurrexit, continuata pietate iam nos regit crucis suæ meritis pascit. *Quarto*: Impleuit Dominus Testamenti veteris figuras, murmurabãt illic alij contra Aaronis summum sacerdotium, sed iudicauit pro eo Deus, miraculo virgæ frondẽtis, & Amygdalę germinantis, murmurant hic contra Christum Pharisæi, & quasi aruit ille in passione sua, sed tertia die germinat, datus nobis Pastor; *qui virgâ sua ac baculo nos consoletur*: baculo nempe arcẽs lupos, & virgâ ad virtutes promouens. Aaron primus fuit Israelitarum Pontifex, Christus & primus, & vnicus: *omnes enim qui venerunt, fures sunt, & latrones*, nempe qui venerunt à se ipsis

Aarõ typus Christi. *Num. 17. 2.* *Psal. 22. 4.* *Ioan. 10. 8.*

se ipsis. Prophetas enim, quos oues audierunt, Deus præmisit, viam Pastori huic paraturos. Alij vero vt Gentilium philosophi, & Pharisæi, qui oues non ad Christum, sed ad se trahebant, fures erant, vt post Clementem testis Augustinus. Lib. 10. Stro. tract. 45. in Ioan.

II. *Ego sum Pastor bonus.* Notanda hic singula verba. *Primum*: *Ego* personam significat diuinã, cui in Scriptura nomina multa, nullum tamen adęquatum: quia infinitus est. Lex vetus, *Dominum* vocat *iudicem, fortem potentem, &c.* quæ nomina timorem, quo Iudæi contineri debebant, important: nunc autem quia trahit *in vinculis charitatis*, nominibus suis quasi blanditur, vocatur enim *Aqua viua*, *Panis vitæ, Lux mundi, Pater, Magister, Frater, Seruus*, vt discamus eius conditiones, reficit, cibat, illuminat, curat vt Pater & amat, docet, cohæreditatem diuidit, ac laborem nobis supra quam retribuere possumus impendit. Hic Pastorem se vocat, talem enim se in vtraque natura præstat. *Secundum* est. *Pastor*: quia vt Deus, *dat escam omni carni, aperitque manum & implet omne animal*: vt homo, *magnus Pastor*, B. Paulo, & *Princeps Pastorum* B. Petro vocatur. *primo*: quia præter corpus, animam pascit. Nempe in deserto populum bis, & nos quotidie in Eucharistia. Errat quisquis ab alio quicquã petit: dat ille spiritalia, & corporea. Ab illo *panem quotidianum* pete, non à diabolo, aut mundo, id est, mitte peccata, & cole iustitiam. *Secundo*: quia curat nos, & tuetur, magno nostro solatio. Defendimur enim ab eo, de quo Apostolus, *Si Deus pro nobis quis contra nos*? & Christus ipse: *nemo eripiet eos de manu mea*, & Dauid toto Psalmo nono. imo apud Zachariam, promittit se futurum nobis, *tanquam murum ignis in circuitu*, quem nemo penetret. *Tertio*: Nostri caussa grauissimos labores sustinuit, de quibus Iacob: *nocte & die æstu vrebar, & gelu, & fugiebat somnus ab oculis meis*. Interdiu pertransibat Christus benefaciens, noctu erat in oratione Dei, frigore vstus est in cruce, quando patenti & hiulco vulneribus corpore, ventos excepit, petit ergo, ne & nos nobis parcamus. Audi Apostolum. *Emti estis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Dein vt peccati grauitatem, vnde prima mali omnis origo, expendamus. Libenter quidem, tamen non sine labore, ouem perditam baiulabat. Iacob

Christi nomina duplicia.

Christus Pastor.

I. Psal. 135. 25. Psal 144. 16. Heb. 13 20. 1. Pet. 5. 4. Matt. 14. 19. & 15. 36.

2. Rom. 8. 31.

Zach. 2. 5.

3. Gen. 31. 40.

1. Cor. 6. 20.

Luc. 15. 6.

4. cob annos 20. Christus pene 34. numerat. *Quarto*, Vt discamus infirmitatem nostram, quia, ceu oues, toti à Pastore dependemus, agamusque Deo gratias, quod de tam bono Pastore prouiderit nobis, qui omnem à nobis curam in se transfert.
5. *Quinto*: Vt discant Pręfecti officium suum, agantque cũ subditis, non vt Domini, quod Petrus vetat, quasi proprij lucri causa, sed cum humilitate quęrant vtilitatem ouium, idque sedulo, tanquam Principi Pastorum reddituri rationem: huius enim sunt oues propriæ, non illorum. Debet ergo superior omnis subdito esse prudẽtior, & cum ouis Pastorem, filius parentem, vxor maritum, seruus Dominum, secularis instruit Religiosum, ordo præposterus est, imo *corrumpit* teste Hieronymo *Ecclesiam, quando seculares melius Ecclesiasticis viuunt*. Tertium est, *Bonus* pro quo græca habent, *ille bonus*: quo significatur. *Primo*, Esse pastores multos, qui boni non sunt.

1. Petr. 5. 3.

In c. 2. ad Titum.

Bonus quomodo dicatur de Christo?

1. *Secundo*: Christum esse per excellentiam bonum. Nam *primo*, secundum diuinitatem, est essentialiter ipsa bonitas, quo sensu dixit olim: *nemo bonus nisi solus Deus*: nempe essentialiter. Alioqui *& omnia quæ fecit Deus erant valde bona*. sic etsi Angeli quoque immortales sint, Apostolus tamen *Regem seculorum*, dicit *solum immortalem*.

Marc. 10. 18. Gen. 1. 31. 1. Tim. 1. 17.

2. *Secundo*, Quia in humanitate Christi bonitas est citra minimum vitium imo est ibi tota diuinitas.
3. *Tertio*, Propter specialem curam ouium. Pastoris boni officiũ 6. membris descripsit S. Iacob. Primo: *Oues tuæ & capræ steriles nunquam fuerunt*. Secundo, *Arietes gregis tui non comedi*. Tertio, *Nec captum à bestia ostendi tibi*. Quarto, *Diu noctuq; æstu vrebar & gelu*. Quinto, *somnus fugiebat ab oculis meis*. Sexto, *Quicquid furto peribat à me exigebas*. Significant hæc, boni Pastoris esse,

Officium boni Pastoris. Gen. 31. 36.

1. Offic. *Primo*: vt fuget sterilitatem, & otium, multo vero magis vitia, & defectũ ab ouibus suis.
2. *Secundo*, Ne minis opprimat, & exactionibus, vnde est illa apud Ezechielem Domini querela: *Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, & gregem meum non pascebatis*. Decet quidem vt Pastor ab ouibus aliquid accipiat, sed *sine concussione*: aiunt Canones.

Ezech. 34. 3.

10. q. 3.

3. *Tertio*, vt oratione, & exhortatione omnes, quantum potest, in bono contineat.
4. *Quarto*: Nulli labori parcat.
5. *Quinto*, vt semper pro ouibus curam gerat, nihil nisi earum salutem quærat.

quærat. *Sexto*, Vt damnum ouium putet suum & pro earum peccatis, ipse pœniteat, ac satisfaciat: instar B. Iob, qui pro filijs suis sacrificabat, & B. Pauli, qui salutis alienæ caussa, multa pertulit. Habet enim Pastor, cur peccata timeat ex negligentia sua contigisse, eorumque rationem sibi reddendam coram Deo. nam vt Leo: *Subditorum peccata Superiorum negligentiæ sunt adscribenda*, & Ioannes 8. *Facientis culpam procul dubio habet, qui quod potest corrigere negligit emendare.* 6. *Iob. 1.18.* *Collo. 1.17.* *Epist 84.* *distinct. 86.* *facientis.*

Porro præter hæc sex, alia tria sibi propria habet Christus. *Primo*: Vitam dedit pro ouibus. *Secundo*, Pascit eas non tantum pascuis externis, vt pastores, aut corporali cibo, vt patres, aut lacte, vt matres, sed carne sua, & sanguine: vt Chrysostomus notat, nosque, ceu mater infantem, ad vbera plena inuitat. Accede ergo, & alimentum cum ardore animi accipe. *Tertio*, Ex his omnibus Christus sibi nihil quæsiuit. Vestiemus quidem nos illum in cœlis, & cingemus multo melius, quam olim Luciferum nouem Angelorum chori, de quibus Cyrillus, Gregorius, & alij PP. exponunt nouem lapides pretiosos Ezechielis: sed quicquid inde Christo gloriæ, vel iucunditatis est, primo nostrum est. omnis autem ipsius gloria, à diuinitate vnita est. Fuissetque minima eius passio, ob Personæ infinitatem dignissima ad omne gloriæ meritum. *Quartum* est *SVM*. Quo bonitatis Christi significatur perpetuitas, nam & nunc nobis bonus est, eritque idem, quamdiu erunt oues. Ex quo sequitur, eum etiã nunc ouibus suis, hic de Rectoribus prouidere, adeoq; errare hæreticos omnes, dum aliquid noui obtrudunt Ecclesiæ, quasi ante Ecclesia errasset. Arius diuinitatem Christi negauit, quasi idololatrę fuissent priores Christiani, qui eum vt Deum coluerunt. Similiter hæretici nostri dum nos idololatriæ accusant, Christũ accusant, quasi per 1600. annos Pastor bonus nõ fuerit, imo non oues, sed lupos & hircos pauerit. Fatemur nos impleße eum, & implere adhuc, quod promisit: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*: nunquam sancti defuêre, nec docti, qui Ecclesiam & verbo pauerunt, & facto. *Christo quæ propria.* 1. 2. *Hom. 6. ad pop. Antioc.* 3. *Catech. 1. Illuminat.* *32. Mor. c. 24. & 25.* *Ezech. 28. 13.* *Matt. 28. 20.*

III. *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Vt Christi bonitatem sciremus, pręcipua hic boni Pastoris conditio exprimitur: nempe, vt vitam ponat pro ouibus, Dauidis instar, vt & hinc Pastores alij officia sua discant. Quia vero parabola hęc à pastoribus ouium sumitur, quęri posset, quomodo hęc vera sint, cum oues iugulentur à pastoribus: neque laudabile sit, hominem pro bruto mori? Respondeo *primo*: Animã ponere, non semper idẽ esse, quod mori: aliquando enim idem est, ꝙ periculis obijcere, sic de Paulo, & Barnaba legim⁹, *quod tradiderint animas suas pro nomine Domini*, & Dauid de seipso: *anima mea*, inquit, *in manibus meis semper*, id est quotidie in periculis sum. *secundo*, Parabola hęc non explicat scopum pastoris, sed modum pascendi: nempe, quod oues defendat, etiam cum proprio periculo. *Tertio*: Commendatur fidelitas pastoris erga oues, neq; quæritur an ea bona, an mala sit: potest.n. per res malas, etiam bonũ significari; sic Christus laudat villicũ iniquitatis, & Lazarus, quem Christus diligebat, typus est peccatoris, vt August. docet, quẽ Deus odit. *Quarto*: etiã aliquando cũ laude vitã pro tẽporalibus profundimus. Faciunt hoc mercatores sæpe, & milites pene quotidie. Tẽporalia.n. ad laudatũ finẽ, cũ laude quęrimus, & defendimus. Porro vt ad spiritualia redeamus, Pastores sunt superiores, vt Episcopi, & Prælati, itẽ parentes; præsertim quãdiu filij necdum sunt emancipati. Principes quoq;, ac Dominos tẽporales Scriptura Pastores vocat. *Vidi Israel*, ait Propheta, *sicut oues sine pastore*. Et Cyrum Deus *Pastorem suum* vocat. omnium Superiorum est curare animas, Ecclesiasticorum tamẽ pręcipue, quos Gregorius *Regum patres* vocat, ac *Magistros*; & Gelasius pro Regibus rationem reddituros dixit. Multa de his Paulus ad Timotheum, & Titum. Omnia hic Christus, sed paucis. nẽpe, *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis*. De quo Chrysost. *Res magni est momenti Ecclesiæ prælatum esse, & qui magna prudentia, & metu indigeat: nos enim nũquam oues nõstras deserere possumus, sed fortiter lupo debemus resistere.* & Gregorius: *Primum nobis est exteriora nostra misericorditer ouibus eius impendere, si necesse sit etiam mortem pro eisdem ouibus ministrare. A primo autem hoc minimo peruenitur ad postremum maius: sed cum incomparabiliter longe melior*

[Marginal notes: 1. Reg. 17. — Quæst. — Respon. 1. — Act. 15, 26. — Psal. 118. 109 — Respon. 2. — 3. — Luc. 16. 6. — Ioan. 11. 43. — 4. — Tract. 49. in Ioan. — 1. Reg. 22. 17. — Isa. 14. 11. — Lib. 13. epist. 21. — distin. 96. — 1. Tim 3. — Tit. 1. — Hom. 49. in Ioan. — Hom. 14. in Euang.]

lior sit anima, qua viuimus, quam terrena substantia, quam exterius possidemus, qui non dat pro ouibus substantiam suam, quando pro his, daturus est animam suam? Et S. Petrus Chrysologus Episcopus Rauenn. sic ait. *Pastor amorem suum morte ipsa demonstrat: videns enim oues suas periclitari, easque à se defendi non posse, eligit magis mori, quam minimum malum suarum ouium videre & experiri.* Obligatur ergo Superior, vt subditos, etiam cum vitæ suæ periculo, iuuet. Paulinus se ipsum vendidit, sed charitatis erat, hoc non necessitatis: nisi fors ex alterius seruitute, euidens illi periculum animæ oriretur. Augustinus negat Prælatos in periculis fugere posse, si necessarij sint. idemque Liberius, & Nicolaus Papæ docuerunt: dum negant Prælatis monasterij ingressum, caussa declinandi periculi.

Serm. 40.

Epist. 180. ad Honor.

7. q. 1. c. 46 & 47

Disce *primo* solicitus esse pro subditis: non tibi soli sed alijs Pastor constitueris. hoc qui non recogitat, errat. Heli quoad se bonum ait Hieronymus, cecidit tamen, quia liberos nō satis corripuit, imo Chrysostomus damnatum putat. Recte Ioannes Papa Octauus, *Nihil*, dixit prodesse, *Non puniri proprio, qui puniendus est alieno peccato.*

Lib. 3. in c. 6 ad Ephes.

Lib. 3. contra vitup. vitæ monast. & Hom 17. in Matt.

Ioan. Octau. dist. 86. c. 3.

Disce *secundo*, animæ propriæ curam, nam & huius Pastor es, pro ea ergo animam pone, & morere potius, quam vt ipsa peccato moriatur. *Tertio*, Disce: esse ouis, si Christum Pastorē vis, multi vt hirci peccatis fœtent, auari porcos, impudici vrsos, pigri asinos se faciunt, in Christum iniurij, quoties eum Pastorem suum vocant. Noluit Deus ex asino sacrificium, sed oue asinum iussit mutari. Suillam quoque hominibus olim vetuit, diabolis permisit. Pueros 42. vrsi deuorarūt, quia iuniores libido impetit. Inuidos & iracundos Scripturā *dracones* vocat & *lupos*, iuxta Propheticum illud: *Domus eorum draconibus replentur*. Item. *Principes eius in medio eius, quasi Leones rugientes, Iudices eius lupi, vespere non relinquebant in mane.* Horum nullos CHRISTVS pascit, sed quisquis pasci ab eo vult, ouis fiat.

Exo. 13. & 34

Leu. 11. 17.

Matt. 8. 12.

4. Reg. 2.

Isa. 13. 21.

Sophon. 3. 3.

IV.

Quinque genera non boni Pastoris.

Mercenarius autem & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ. Quinque hic signantur genera eorum, qui se pro Superioribus gerunt, & non sunt, nisi mercenarij. *Primi*: non vocati se per vim intrudunt, aut per pecuniam, & fauores insinuant,

I.

Heb. 5. 4. ſinuant, non per oſtium, *nemo enim ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo.* Tales ſunt Simoniaci, & qui iniuſte officia inuadunt: neque hi ſolum mercenarij, ſed & fures ſunt, atque ad fructuum reſtitutionem tenentur. Tales quoque ſunt hæreticorum cōcionatores, de quibus apud Prophetam Deus.

Hierem. 14. 23. 27. & 29. *ego nō mittebam eos, & ipſi currebant, prophetabant, & ego non loquebar ad eos, non præcepi eis loqui.* hi fures quoq;, quia populo verā

2. doctrinam, imo animas furantur. *Secundi.* Legitime quidem admiſſi fuêre, ſed degenerāt, & populi vtilitatem impediūt. cumque vitæ ſcandalo, uel doctrinæ veneno occidunt. Tales erant olim Macedonius, Dioſcorus, Arius, ad Epiſcopatus & Sacerdotium quidem vocati, ſed cōuerſi poſtea in latrones. Et noſtro ſeculo ſecundi ordinis fuerūt Lutherus, alijq; Monachi, & Sacerdotes apoſtatæ; primi verò ordinis, Caluinus fuit, & Beza, qui nulla Eccleſiæ ordinatione, ipſi ſe ad dicendum ingeſſerūt. Fures ſunt hi, quia furantur officia; latrones

Matth. 7. 15. quoque, quia animas occidunt, ideoque à Chriſto *lupi rapaces*

3. vocati. *Tertij*, Catholici quidem, & legitime vocati ſunt, ſua

Ezech. 34. 2. tamen quærunt, quibus Ezechiel: *Væ* dixit, *quia paſcebant ſemetipſos, nonne greges à Paſtoribus paſcuntur?* Tales fuêre olim

Matt. 23. 2. Phariſæi, de quibus Dominus: *Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergo quæcunque dixerint vobis facite, ſed ſecundum opera eorum nolite facere.* Et plus de fructuum temporaliū numero ſolliciti ſunt, quam de ſpiritualibus. Tales hodie,

Tract. 46 in Ioan. qui lucrum potius, aut honorem, quam animas quærunt, de quibus Auguſtinus: *Sunt quidam Eccleſiæ Præpoſiti, de quibus S.*

Phil. 2. 5. Serm. 49. de verbis Domini. Epiſt. 209. ad Titum. Matt. 6. 16. *Paulus dicit, ſua quærentes non quæ Ieſu Chriſti, id eſt, non gratis Chriſtum diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda ſectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes. Hæc quando amantur à præpoſito, & propter hæc ſeruitur Deo, mercenarius eſt, inter filios ſe non computet. De talibus enim & Dominus dicit: Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam.*

Promouent hi, & commendant ſe ipſos, ſed Auguſtinum

19. de Ciuit. c. 19. audiant. *Locus Superior ſine quo regi populus non poteſt, etſi ita teneatur, & adminiſtretur vt decet, tamen indecenter appetitur.*

Tria ponit S. Thomas in officijs Eccleſiaſticis. *Primum* eſt:

22. q. 185. a. 1. Ioan. 21. 24. Opus quo proximus iuuatur, de quo Chriſtus; *Paſce oues meas.*

meus. *Secundum* est: Dignitas; Pastor enim ouibus præeminet. Matt. 25.
Tertium est: quod hinc sequitur, honor, reuerentia, & temporalium sufficientia, de quo Apostolus: *qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni sunt*. Qui ex his secundum ambit, superbus est, qui pecunias, auarus, qui primum bene facit, sed audiat illud Apostoli: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*. Habet enim annexam curam, & cuius reddendæ rationis, cui nemo se facile sufficientem putet, quietius est opera eadem citrá obligationem præstare, vt Religiosi faciunt, & Sacerdotes multi, digna enim sunt quæ libenter impleantur, quia erant præcipua Apostolorum munia: nam & Apostolos Christus. *Euangelizare misit, non baptizare*. Sed quia pauci laborem, plures honorem quærunt, plures quoque mercenarios habemus, quam Pastores.

1. Tim. 5. 17.
1. Tim. 3. 1.
1. Cor. 1. 17.

Quarti. Temporalia quidem non quærunt, sunt tamen in officio suo negligentes, hos Zacharias *stultos* vocat, *& idola*. quia præter externam speciem, nihil, vel saltem sine fructu adferunt. Zacharias eos *vasis Pastoris stulti* comparat, quia vt pera fracta, cibum non continent; suntque pedum sine ferro, & fistula muta: videntur aliquid facere, sed non proficiunt, concionantur sine doctrina, & energia, confitentes non instruunt, ęgrotos visitant sed non solantur, sacrificant sed ex consuetudine, aut obligatione. Talis erat olim Heli, qui increpabat filios suos; sed non sufficienter, ratus se satisfecisse officio, si eos bis vel ter monuisset, imitantur eũ, quotquot subditos non satis arguunt, seque quasi officium præstiterint, excusant. Aliud Timotheo scripsit Apostolus, *Insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa*. impellendi sunt blanditijs vel minis. De Heli ait Chrysostomus, quod non solum monere, sed & castigare filios debuerit. Multi subditis parcunt, ne eos contristent, sed quam vtilis tristitia, quæ ab æterno luctu seruat, & æternum gaudium dat? Rectius Hormisda: *Dico vobis in veritate, accingite autoritatem iustitiæ, & sic erga supplices humanitate mellificemini, vt manentes in hæreticorum contaminatione vel eos qui innocentiam simulant, & cum nostris sola voce concordant ab istis secernetis, & pro quorum institutione, cura & prouidentia est ab Ecclesia*.

4. genus.
Zach. 11. 15.
1 Reg. 2.
2. Tim. 4. 2.
Epist ad Epiphanium Constantinop. quæ est 70. tom. 2. Concil edit. Biniana.

Neque enim erga istos expedit ecclesiasticam mitigare austeritatem, Non ergo erunt conferenda bona misericordiæ propter necessitatem prouidere debentium : si indistincta erunt communia bonis & malis &c. ideo namque Deus superiores, ne subditi in malis relinquãtur, constituit.

Quinti: Omnes neruos & vires subditorum vtilitati, intendunt, de quibus apud Hieremiam Deus: *Dabo vobis*, ait *Pastores iuxta cor meum, & pascent vos sapientia & doctrina.* Tales sunt sancti & veri Pastores, qui oues pascunt vt suas, sunt quidem eæ Christi, qui Petro non dixit, *Pasce oues tuas*, sed, *meas*. Verũ Christi filius legitimus Pastor est, Parentum autem bona filij vt sua custodiunt. Pastores hi pro diuersitate intentionis, duplices sunt, quosdam spes præmij trahit, qui cum Dauide, *inclamant cor ad faciendas iustificationes Dei propter retributionẽ*, & cũ operarijs vineæ intendunt denarium diurnum, nec male: Si tamen necdum habent plenam Pastoris conditionem, vnde & quodam sensu, *mercenarij* dicuntur, & notanter dixit Christus, *Mercenarius, & qui non est pastor*: quasi dicat, se non reprehendere mercenarios illos, qui simul pastores sunt, prædixitque de his Zacharias: *Qui offenderit ex eis in die illa erit quasi Dauid*, id est, Christiani imperfecti, quasi Dauid, seruient Deo, *propter retributionem*. Erit autem retributionis quantitas, pro quantitate diligentiæ, & laboris: vnde vnus potestatem habebit super decem; alius super quinque ciuitates, quę potestas fors curam significat, & præsidentiam, quam nunc habent Sancti in cælis, super ciuitates, & Prouincias quas rexerunt, vel docuerunt. Quomodo Turonensibus Martinus, Mechliniensibus Rumoldus, Romanis & toti orbi Petrus, ac Paulus præsunt. Vel significat hierarchiã inter ipsos beatos futurã, vt vnus alijs præsit, sicut est inter Angelos. Alios non spes acuit ad laborẽ, sed amor, neq; hi mercenarij sunt, etsi mercedem copiosissimã recepturi. Talis erat Apostol⁹, qui pro salute Iudęorũ, *Anathema* à Deo fieri optauit, id est, mercede carere: quia sicut Christus honorẽ Patris, sic ille honorẽ Christi quærebat. Atq; horũ merces aliquã cũ Christi mercedẽ habebit similitudinẽ, quia vt hic supra oẽs creaturas, sic & ipsi supra omnia Domini bona extollẽtur, vt super omnes

5. Hier. 3. 15.
Psal. 118. 80.
Matt. 20. 14.
Zach. 12. 8.
Luc. 19. 17.
Rom. 9. 3.
Matt. 24. 8.

omnes Ægypti prouincias Ioſeph, Pharaone *ſola ſede regni* pręcedente. Diſce ergo animarum zelum, earumque ſtatum tuum puta, & ſenti. Gen. 41. 24.

V. *Videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit*. De mercenario tria hic docet Chriſtus. *primo*: Videt lupum venientem. Quod intelligi poteſt dupliciter. *primo*: Vt *videt*, ſignificet imaginationem, qua ex metu perſuadet ſibi mercenarius lupum venire. quomodo apud Sapientem queruntur illi: *Leo eſt in via, in medio platearum occidendus ſum*. & Saul timebat Dauidem; quibus frequenter euenit illud Iob: *Qui timent pruinam, cadet ſuper eos nix*. diſplicet enim Deo nimia anxietas, qui docuit; *ſufficere diei malitiã ſuam*. *Secundo*, accipi poteſt in bonum, vt ſignificetur mercenarius non dormiuiſſe inſtar agricolæ, cuius agro zizania ſuperſeminantur; neque imprudens eſſe, vt à lupo decipiatur. ſed vigil, ſed cautus. in quo deficiunt Paſtores multi, dum titulo negotiationis, hæretici primum in vrbes admittuntur, qui dein alios ſeducunt. Scintilla parua fuit Arius, & tamen orbem vniuerſum incendit. Alij quia hęreticorum familiaritate vincuntur, & conuiuijs, nimium languent. ſicut & parentum nonnulli, quos liberorum malitia, poſtmodum affligit; vt Dauidi contigit ab Abſalone, & Heli à filijs ſuis.

Mercenarius dupiciter lupũ videt.
Prou. 22. 13.
Iob. 6. 16.
Matt. 6. ult.
Matt. 13. 14.
Matth. 7. 7.

Alterum eſt, *dimittit oues*. ſcilicet metu lupi. neque enim omnis abitus malus eſt. S. Rumoldus Dublinij in Hibernia Archiepiſcopus renuntiauit officio, iuitque Romam. S. Petrus Damiani Epiſcopatu, & Cardinalatu relicto, in eremum ſe abdidit. Idem fecit Papa Celeſtinus. Epiſcopi tamen Eccleſijs ſuis ſtrictius alligãtur, quã Paſtores inferiores: tum, ob peculiarem conſecrationem; tum, quia ſunt in ſtatu perfectionis, quam quia Religioſi non habent, ſed diſcunt; ideo non poteſt Epiſcopus ad Monaſticã vitam deſcendere. ſicut nec magiſter ad numerum, & ſtatum diſcipuli. Habet præterea Epiſcopus peculiarum vnionem cum Eccleſia ſua; deſpondetur enim hæc illi, ceu ſponſa; vnde & in conſecratione annulum accipit, adeoq; non poteſt ſine Papæ venia eam deſerere, neq; Papa miſſionem facile concedit, neq; debet Epiſcopus eam facili de cauſſa requirere, quamdiu prodeſſe poteſt.

De renuntiatione c. 10. test. Innocentius Tertius, sex habet missionis petendæ, & dandæ causas. *Prima* est: infirmitas corporis ex morbo, vel senio. *Secunda:* Crimen Episcopi; vt homicidium, simonia, &c. 1. Tim. 3. 2. Ad Tit. 1. 6. *Tertia:* Defectus scientiæ necessariæ. *Quarta:* Irregularitas ad Sacerdotium; vt si sit bigamus, inhabilitat enim hunc Apostolus. *Quinta:* Pertinacia subditorum tanta vt nulla sit con- Act. 18. 6. uersionis spes, sic reiectus Corinthi Apostolus, *Sanguis*, ait, *vester super caput vestrum: mundus ego ex hoc ad gentes vado.* sic et- Matt. 10. 14. iam Christus: *Quicunque non receperit vos, exeuntes foras excutite puluerem de pedibus vestris:* quasi & puluis immundus sit, ac relinquendus ibi, in testimonium nequitiæ in extremo die. *Sexta:* Scandalum vehemens, quod sola Episcopi renuntiatione componi potest. sic Nazianzenus Episcopatum Ionæ 1. 12. Constantinopolitanum reliquit, dicens cum Iona; *Si propter me excitata est hæc tempestas, proijcite me in mare.* si tamen scandalum hoc hæretici spargant, occasione violandæ fidei; vel alij, vt iustitiam liberius violent; stare magis, quam cedere Episcopi debent, exemplo Athanasij contra Arrianos, & Augustini contra Donatistas, item Stanislai contra Boleslaum Regem Poloniæ, & Thomæ Cantuariensis contra Henricum Regem Angliæ, ac Chrysostomi contra Eudoxiam Imperatricem. Hinc sequitur non posse Episcopum solo contemplationis amore discedere ab Ecclesia sua; melius enim est animas lucrari, & charitatem ad alios diffundere; sicuti maior est ignis, qui plures calefacit. Inferiores Prælati quia necdum statum perfectionis attigerunt, suntque, vt Ignatius Epist. 3. ait, *Episcoporum vicarij* tantum, ita vt sine illorum delegatione, vt idem ait, nec concionari possint, nec Sacramenta Epist. 7. ministrare, facilius Ecclesijs decedunt, ad scholas perfectionis, seu Religiones. Porro qui vrgente persecutione personali ad tempus discedit, modo Ecclesiæ de alijs personis prospiciat, nequaquam fugit: fecit enim hoc Athanasius, & Matt 10. 23. docuit CHRISTVS: *si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Cum Iudæi Christianos omnes Ierosolymis persequerentur, manserunt illic Apostoli: sed quando speciatim in Apostolos inquisitum, occiso Iacobo, & capto Petro, dispersi sunt in omnem terram, relicto illic Episcopo Iacobo

Iacobo minore, & alijs. Poteſt quoque Epiſcopus à Papa ad commune Eccleſiæ bonum alio legari, neque is tunc Eccleſiam relinquit, ſed ſummo Paſtori commendat cui illius cura incumbit.

Tertium eſt *fugit*: aliquando corporaliter, aliquando ſpiritualiter dum peccata ouium diſſimulat. *Fugiſti*, ait Auguſtinus, *quia tacuiſti: tacuiſti quia timuiſti. Fuga animi timor eſt, corpore ſtetiſti, ſpiritu fugiſti.* & Diuus Gregorius. *Vtrum Paſtor ſit, aut mercenarius veraciter ſciri non poteſt, ſi occaſio neceſſitatis deeſt. Fugit mercenarius non mutando locum, ſed ſubtrahendo ſolatium. Fugit quia iniuſtitiam vidit & tacuit. Fugit, quia ſe ſilentio abſcondit. Quibus bene per Prophetam dicitur: Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini: Aſcendere enim eſt quibuslibet poteſtatibus male agentibus, rationis libera voce contraire.* Et alibi, *Video alios quibus exhortandi officia ſunt commiſſa, qui vident aliquod illicitum committi, & dum potentum quorundam gratiam offendere metuunt, arguere non præſumunt. Quiſquis iſte eſt, quid facit aliud, niſi videt lupum venientem, & fugit?* Non accuſatur hic mercenarius furti ſed fugæ, ſilentij, & adulationis, quod vt eſt apud Ezechielem *cõſuerit puluinos ſub omni cubitu*, & *aures prurientes affricuerit*. Vide ergo ne peccata ſubditorum diſſimules, alioqui vt mercenarius nihil à DEO accipies niſi aliquid temporalis gaudij ex ſubditorum exteriori felicitate.

Tract. 46 in Ioann. *Hom. 14. in Euang.* *Ezech. 13. 14.* *29. Mor. c. 4.* *Ezech. 13. 18.* *2. Tim. 4. 3.*

VI. *Et lupus rapit, & diſpergit oues.* Per *lupum* Gregorius diabolum intelligit; quia etiam per alios ipſe rapit. Lupus natura ſua vt rationis, ita & commiſerationis expers eſt, & inimicus ouium: qui ſi ouile plenum ingrediatur, non vna ſatiatur, ſed omnes iugulat. Imperfectus addit lupi caput ſurſum, ouis vero deorſum ferri, ex quibus diaboli conditiones diſcimus. *Primo*: Bellua eſt; non quia ratione caret, ſed quia eam non ſequitur. *Secundo*: Nemini condolet, ſed omnibus inuidens nunquam ſatiatur, ſperatque ſe *Iordanem*, id eſt, authore Gregorio; Eccleſiam totam *abſorbere* poſſe, etſi maiorem ſibi damnationem acquirat. *Tertio*: Caput in cœlum extollit: quia Deum, & Sanctos omnes blaſphemat. De lupo tria hic Chriſtus inſinuat. *Primo*: *Venit*, non miſſus; & omnia

Lupus quid *Hom. 19.* Diaboli cõditiones. *Iob 40. 18.* *33. Moral. c. 2.* De lupo quid notãdum?

omnia perlustrat, ac naturam, & conditiones singulorum, vt sic eos ad peccata alliciat, contemplatur. nam vt Paterfamilias inter suos officia dispartitur, pro cuiusque industria; sic dæmon, quis ad hæresin, fraudes, ebrietatem aptior sit indagat, & tentat pro viribus. Vide ne eum aduoces. nam si sponte adest etiam inuitis, quid faciet volenti vocatus? *Secundo, Rapit*, dum vnguibus implexum trahit ad peccatum mortale. Vngues tentationes sunt, tam internæ, quam externæ. vnguis est mulier comta, & lasciua. Vnguis est aurum, & argentum auaro; honor superbo, voluptas, guloso; verba aspera, iracundo; prosperitas proximi, inuido, &c. hos si per oculos, vel aures iam læsas, ad cor vsque transuerberat, læsus es, & habêris. *Tertio: Dispergit*, Nempe; *Primo*: Gratiam, & virtutes ex anima. *Secũdo*, Cogitationes tempore orationis. *Tertio*, Inserit varias cogitationes auaritiæ, curiositatis, garrulitatis, detractionis, &c. *Quarto*, Trahit ad hæc peccata, ait Gregorius; & in diuersa à Deo de uia dispergit omnes. Caue ergo; & ouis instar, etiam lupi pellem time, quæ si hanc in ouili videat nec quiescit, nec comedit, donec efferatur. Pellis diaboli est, omne sub quo delitescit; ornatus corporis, saltationes, fabulæ, vt detractiones taceam, oscula, desideria inordinata, &c. hæc cui placent, ouis non est, sed lupi abortiuus: oues enim CHRISTI ab his, vt ab ipso lupo abhorrent, quia sub eis ille tegitur. Beatus Paulus per *lupos* intelligit pseudoprophetas, & hæreticos. *Ego scio quoniam post discessionem meam intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.* Imo CHRISTVS hoc modo lupos interpretatur. *Attendite vobis à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

Act. 20.29. Hæretici lupi.

Matth. 7.15.

In Hæreticis luporũ cõditiones.

Habent enim hæretici, positas super lupi conditiones: vt patet à Simone Mago ad nostra vsque secula decurrenti. *Primo*: Bestiæ sunt quia non rationem, sed concupiscentiam audiunt; de quibus dicas illud, quod ex Epimenide Apostolus allegat: *Semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* & illud Petri; *irrationabilia pecora, delitijs affluentes, & conuiuijs*

Tit. 1.12.
2. Pet. 2.12.

tiuijs suis luxuriantes. Idem de Manichæis scribit Augustinus, & de omnibus fere hæreticis Epiphanius. *Secundo*: Nemini compatiuntur, sed vt Apostolus ait, *blasphemi sunt, parentibus non obedientes, ingrati scelesti sine affectione, criminatores, incontinentes proditores, voluptatum magis amatores, quam* DEI. Ideoque nec iurati fidem merentur. De Constantini Magni Patre scribit post Eusebium Sozomenus, quod exploraturus aulicorum suorum fidem, omnes conuocarit dicens: *Video vestrum multos Christum colere, quisquis is est, ab aula recedat, mansurus si Dis immolet*. cumque statim in diuersa abirent, alij ad idola, mansuri in aula; alij ex aulâ, mansuri cum CHRISTO. ille prudenter sane reuocatis abeuntibus. *Vos volo*, ait, *qui* DEUM *præ me diligitis*. Cæteris dein perfidis: *Indignos vos meo seruitio censeo. quomodo enim fidem seruabit homini qui negat Deo?* atque ita his aula eiectis, illos sibi deuinxit. De Theodorico Arriano narrat Theodorus Lector, quod in Africa Diaconum, qui regiæ amicitiæ caussa religionem Catholicam deserebat, iusserit decollari: Recte Patres Concilij Toletani: *Non potest erga homines esse fidelis, qui Deo extiterit infidus*. & paulò infra: *Infirmari ergo oportet eorum testimonium, qui in fide falsi docentur. Nec ijs est credendum qui veritatis à se fidem abiecerunt*.

Lib. de moribus Manich. *In Panario.* *2. Tim. 3. 2.* *Lib. 1. de vita Constant. c. 11* *Sozomen. Li. 1. histor. c. 6.* *Lib. 2. Collect.* *Can. 63.*

Tertio: vt Apostolus docet. *Superbi sunt, elati, immites, seipsos amantes*. Nam, vt ait D. Augustinus. *Hæreticus est qui temporalis commodi, & gloriæ maximè principatusq; sui gratia falsas & nouas opiniones gignit, & sequitur*.

2. Tim. 3. 2. *Lib. de vtil. creden. c. 1.*

Vnde sequitur, *primo*: Semper ab hereticis reiectos PP. & contemptos, vt Lerinensis docet. Imo Irenæus testatur aliquos se Apostolis anteposuisse. & vt est apud Petrum, & Iudam: δόξας, id est, *maiestatem* etiam *Angelorum blasphemant*. Deum, CHRISTVM, eiusque Matrem, & Sanctos contemnunt; Ecclesiam, vt Gregorius ostendit, rident. Caput Ecclesiæ impugnant. Vide Simonem Magum, caussa fuit cædis S. Petri, teste S. Maximo. S. Cornelium fatigarunt Nouatiani, vt patet apud Cyprianum. Arriani conuitiati sunt S. Felicem, Dioscorus excommunicauit Sanctum Leonem, Berengarius Pontificem vocabat

Commo. c. 33. *Lib. 1. cap. 2.* *2. Pet. 2. 7.* *Iud. v. 8.* *20. Mora. c. 7* *Hom. 5 de Natiuitat. Petri & Pauli extat epist. eorum ad ipsum Act. 1. Conc. Calce.* *lib. 1 de corpore Christi.*

bat Pompificem, vt est apud Guitmundum. Nostris Antichristus vocatur, quem nesciunt tantum annos tres, & menses sex regnaturum, & hominem fore singularem, non tot hominum sibi mutuo succedentium seriem.

Secundo, Captatos ab eis Principum fauores. Constantium, & Valentem, peruerterunt Arriani. Alij ad eos ab Ecclesiæ tribunali appellant, imo Ecclesiæ tribunal negant; quod in Arrianis carpit Ambrosius, & in Donatistis Augustinus.

Epist. 32. ad valantem. Epist. 165. ad Generosum. Hæretici alias tres lupi conditiones habēt.

Tertio: Explicari ab eis Scripturam pro placito, & vsu. Possunt eisdem accommodari tria quæ hic de lupo ponit Christus. *Primo:* Veniunt non missi, & cum nihil præter Dei verbũ clament, tamen verbum Dei, quo mitti se probent, non ostendunt; neque miracula, neque testimonium ministrorum Dei. *Secundo:* Rapiunt. nec specificat Christus quid, quia omnia. Primo: Animas. *Penetrant*, ait Apostolus, *domos & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis.* & Christus, *Circuitis*, ait, *mare & aridam vt faciatis vnum proselytum*

2. Tim. 3. 6. Matth 23. 15.

Secundo: Corpora fidelium quos occidunt. vt patet in Arrianis, Circumcellionibus, Albigensibus, Hussitis, Iconoclastis. *Tertio:* Ecclesiam. De Donatistis queritur Optatus; quod ampulas Chrismatis per fenestras eiecerint, & Eucharistiam dederint canibus, qui tamen permittente Deo illos dilacerarunt. Initio Arrianismi ostentum vidit Antonius; mulos scilicet, calcibus altaria euertere, quo reuelabat Deus futuram Arrianorum impietatem. *Quarto:* Ecclesiæ bona *siue per dulces sermones*, vt ait Apostolus, siue per vim. *Quinto:* Scripturam; quam, vt Tertullianus ait, vel repudiant, vel deprauant. *Sexto:* Libros Patrum. Sic in septima synodo Iconoclastæ conuicti sunt falsasse Sanctum Epiphanium. De eisdem queruntur Monachi Palæstinæ, quod ad fraudem, & seductionem innocentum libris hęreticis nomina inscribant Sanctorum Patrum. sicut nostra ætate Lutherani commento suo nomen sancti Vdalrici Episcopi Augustani inscripserunt, contra castitatem Sacerdotum. *Tertio:* Dispergunt oues.

Lib. 2. Athan. in eius vita. Rom. 16. 18. Lib. de praescrip. Epist. ad Alcis. Niceph. l. 14. c. 35.

Primo: proprium eis est, ait Hieronymus, Ecclesiam scindere,

In Abd. 1.

dere. & sancto Petro Alexandrino CHRISTVS duodennis apparuit, in toga talari à summo deorsum vsque scissa, eique caussam quærenti, Arium id fecisse respondit, quia Ecclesiam sciderat, addidit que *vide ne ei communices*. *Secundo*, Quia scinduntur inter se. Quando ait Euagrius de fide quæritur, *& parentes à liberis, & liberi à parentibus, & vxor à marito suo, & maritus rursus ab vxore dissentit. quia quilibet suo beneplacito nititur*. & Imperfectus; *Omnes*, inquit, *infideles diabolo subiecti, vniti non sunt, nec vnum idemque sentiunt: sed per diuersas opiniones distracti sunt, & alius quidem hoc dicit, alius vero istud.* *In gestis eius 25. Decemb. ex translatione Athanasij Bibliothecarij.* *Euang. l. 4. hist. c. 10.* *Hom. 20.*

Permittit hoc Deus, vt dum illi se conficiunt, Ecclesiam labore liberent. *bellum enim hæreticorum pax est Ecclesiæ*: ait Hieronymus. item vt fideles difficilius Ecclesia exeãt; nescij quo eant, dum singuli apud se gloriantur omnia pura. Facit autem hoc diabolus, vt Ecclesiæ contemptum alijs pariat, quasi apud ipsam nihil solidum magis, quam olim apud Philosophos. Sunt qui putant hæreses non differre, quia in Ecclesiæ oppugnationem omnes conspirant, eiusque dogmata oppugnant: sic Lutherani, Caluinistæ, Anabaptistæ, tres famosiores sectæ huius æui; imagines, Missam, Pontificem, simul oppugnant. Sed etiam dæmones omnes in hominum perditionem conspirant, & tamen inter eos *nullus ordo*. Aliud ergo est, quod hæretici in nobis damnant, & reijciunt, aliud quod ipsi credunt: in illud consentiunt, in hoc vero, quod tamen fidem proprie concernit, pugnant. Rem hanc Augustinus per vulpes Sampsonis explicat, caudis alligatas, capite disiunctas: per vulpes enim tanquam subdolas, hæreticos recte significari, ait Bernardus. quia fraude simplices circumueniunt. Rupertus in illa B. Ioannis *commanducauerunt linguas suas. Quomodo*, ait, *commanducauerunt isti linguas suas? nimirum contra semetipsos sentiendo, contraria semetipsis dicendo, aduersus semetipsos sectarum contrarietatibus dimicando.* *In Psalm. 80. Iud. 15.* *Serm. 64. 65. & 66. in Cantica.* *Lib. 9. in Apoca. Apo. 16. 10.*

Nam contra Catholicam quidem Ecclesiam pari & quasi concordi malignatis spiritu depugnant, sed contra semetipsos discorditer confligendo, hæreses multifidas fecerunt, & ita suas quique partes defendendo, contendendo, atque rixando, linguas suas commanducant. Idem Isaias significat de decem tribubus loquens.

Vnus-

Isai.9.20. *Vnusquisque carnem brachij sui vorabit: Manasses Ephraim, & Ephraim Manassen, & simul ipsi contra Iudam*, id est, contra *Ecclesiam*.

Apoc.20.22. Scribit Ioannes, Gog, & Magog, seductos à dæmone venturos à quatuor Angulis terræ, contra Sanctam ciuitatem. nempe hæreticos ex omni parte contra Ecclesiam. *Tertio*: Disperguntur: quia idem à seipso dissentit, fidemque mutat. Notarunt hoc Patres in Arrianis, Ambrosius [a] in Nouatianis, Augustinus [b] in Pelagianis. S. Alexander [c] Patriarcha Alexandrinus hæreticos ideo chameleonti comparat, apud Nicephorum, quia fidem quasi colorem, statim pro circumstantijs variant, conuicti aliud sentiunt. De Lutheranis Wittenbergicis dicebat Dux Saxoniæ Georgius: *Scio quid nunc credant, quid sequenti anno credituri sint nouit nemo*. Puellas imitantur curiosiores, quæ annis singulis vestium figuram mutant. Ecclesia vna manet, nec vnguem à maiorum fide deflectit. Obijciunt quidem ei hæretici defectum à prima fide, sed si authorem, locum, tempus, materiam quæras, calumniam fuisse vides, ad palliandam nouitatem hæretici dogmatis. Vide ergo an ouis, an lupus sis. Oues Pastorem amant, & gregem. superbia, inuidia, iurgia luporum sunt, qui Deo rationem reddent: vult enim ille

a Lib.1.de Pœni.c.2.
b Hære.88.ad Quod vult Deum.
c Epist. ad omnes Catho. Lib.8.c.8.

Ioan.17.21. *vt sumus vnum*.

VII. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus*. Fugit etiam vt dixit Pastor aliquando, sed ad maiorem vtilitatem ouium, mercenarius autem se quærit.

Nota quoque non oues à mercenario, sed hunc ab illis fugere: quia etsi Pastor auarus Deo displiceat, non habent tamen subditi caussam deserendi eum, quamdiu nihil contra Deum docet, vel mandat. Vnde Nicolaus Papa. *Non ergo quales sint Sacerdotes Domini, sed quid de Domino loquantur est vobis magnoperè prauidendum. Neque enim illos inferiores dicetis Scribis & Pharisæis sedentibus super cathedram Moysi: de quibus Dominus præcepit dicens. Quæcunque dixerint vobis facite & obseruate: secundum opera verò eorum, nolite facere. Ergò Imperator considera, si illos dixit audiendos, qui super cathedram Moysi sedebant, quantò potius qui super cathe-*

Epist.8.ad Michaelem Imperatorem qua extat Tom.3.Conc. editi.Binian.

cathedram Petri resident, esse existimetis obediendum. Imò sedent in Cathedra Christi, cuius nomine & auctoritate dicũt. Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Causæ cur mercenarius fugiat, duæ sunt: *Prior:* Quia *mercenarius est*; hoc mercedem, & commodum suum quærit: quæ vbi maior, eo abit; vbi minor, inde recedit. *Posterior:* quia oues *non sunt eius*. ait ergo: quid ad me earum damnum, viuam ego sine illis. sed cogitent tales, rationem Deo reddendam; sicuti eam Labano reddidit Iacob. mercedem æternam perdit, qui temporalem primo quærit; & damnum ouium Deo debet, quicquid quisque sua negligentia nõ impedit. Disce *Primo*: Periculosam Pastorum ab ouibus absentiam. Damasus Papa tales fœminis comparat inhonestis, quæ liberos vix genitos alijs nutriendos tradunt. qui negligẽter Dei oues tam serio commendatas pascit, Deum se non diligere ostendit; nec eius se probat discipulum, cuius nõ sequitur exemplum. Rectè itaque Tridentinum, iuxta prioris Ecclesiæ decreta, & Episcopis, & Pastoribus omnibus, residentiam apud suos præcipit, & vt eosdem ipsi per se pascant, exemplo simul, & verbo: idque sub periculo peccati mortalis, & amissionis fructuum. Vnde pessime faciunt parentes, qui filijs ineptis beneficia curata procurant: nam vt Concilium addit; Pastor apud Deum excusatus non est, si ignorante illo ouem lupus rapit. Disce *Secundo*: Etiam mercenarios obligari, vt lupum arceant, & subditos ad bonum promoueant. nam etiam inter opifices mercedem iniuste accipit, qui quod debebat non facit, adeoque ad restitutionem tenetur. *Tertio*: Mercenarij sunt parentes illi, qui in filijs voluptatem magis, quam Dei gloriam quærunt, eosque ad pompas Deo etiam inuisas instruunt. merces eorum hic est voluptas breuis, quam æternus mœror consequitur, qui etiam sæpe hic inchoatur, dum à liberis contristantur. *Quarto:* Displicent Deo Superiores, qui cum subditis lites suscipiunt: præstat calamitatem pati, quam scandalum dare. non quod eos ius suum, vel Ecclesiæ, prosequi nolim; sed ne nimis facile sibi ius persuadeant. Iniuria personalis toleretur ad subditorum ædificationem, & meritum: nam vt nocent subditis peccata superiorum, quemadmodum in Dauide patuit: sic multum eos iuuant

Genes. 31. 39.

Epistol 4. ad Numidi. episcop.

Sess 6. c. 1. & 2. et sess. 23. c. 1

2. Reg. 1

horum virtutes. Auaritia omnibus fœda est, præcipuè tamen, ait Leo, Ecclesiasticis: vbi enim hæc, exiguus ibi vigor animi, & spiritus. Gregorius auaros arbori comparat, cuius truncus inferior crassus, rami superiores tenues sunt: nam eorum sensualitas, & cupiditas crassa est; pars vero superior virtute caret. Prælatis tria Petrus præscribit. *Pascite gregem, non coactè.* nempè à paupertate compulsi aut necessitate. *nec turpis lucri gratia*, sordide: sed; *spontaneè, & forma facti gregis ex animo.* Disce *Quinto*: Maiorem sæpe mercenariorum, quam Pastorum numerum: quia præsentibus plures mouentur, quam futuris. Exclamabat in necessitate sua prodigus ille: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus? ego autem hic fame pereo.* Quibus verbis tria insinuat. *Primo*, Mercenariorum frequentiam. & fortè tales sunt maior Ecclesiasticorum pars, quos beneficium ad tonsuram vocat. quam pauci gratis Deo seruiant deploratum iam olim à Deo: *Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra.* *Secundum* est. quod hi abundent panibus; quia beneficia habent opima. *Tertium*: ego. nempe, filius, Deo seruiturus fame pereo. deplorant hoc quotidie pij fere omnes, dum vident bona matris suæ à mercenarijs diripi, & inuehi abusus. *Primo*: Dum quidam plura beneficia, quæ pluribus abunde sufficerent, soli possident. *Secundo*. Ea per fraudem, vel simoniam inuadunt. *Tertio*: officia sua, horarum lectionem, pauperum curam, negligunt; & alios sibi iterum mercenarios substituunt. Multi filijs suis beneficia quærunt, vt studeant; quasi studium, vel ætas, ab horis legendis excuset, aut alium substituisse sufficiat. horarum lectio vnius personæ est, quæ sicut per se comedit, non per alium; & per se fructus recipit, ita & per se horas legere debet. Hi si beneficiorum finem inspicerent à pijs fundatoribus intentum, aliud agerent. Voluerunt illi, vt possessores Deo sine cura temporalium seruirent, & pauperes iuuarent. eleemosynæ sunt Deo, & Christo datæ, in pauperum vsus: ita vt Prosper eos peccare dicat, qui cum ex proprijs viuere possint, Ecclesiasticis

19. Mor. c. 25.
Prælatorũ officia tria.
2. Petr. 5. 2.
Luc. 15. 17.
Mala. 1. 10.
S. Vrbanus epist. 1.

ſiaſticis tamen viuunt. & Hieronymus: *Bona pauperum pauperibus non dare, ſacrilegium eſt.* Ac Bernardus Canonico cuidam ſcribit: *Quicquid tibi præter victum, & vilem amictum reſeruas, tuum non eſt; rapina eſt, ſacrilegium eſt.* Dolendum ergo, multos quo plura habent Eccleſiæ bona, ea minus Eccleſiæ prodeſſe; ſed ſæcularibus inhærere, cum non niſi mendici ſint, qui plures eleemoſynas, & maiori cum obligatione accipiunt, quam qui mendicant oſtiatim.

Lib. 2. de vita cōtem. c. 10. 1. q. 2. c. 10. Epiſt. 2. ad Falcon. in fin.

VIII. *Ego ſum paſtor bonus.* Repetit hæc Chriſtus, quinque de cauſis *Primo*: Quia Paſtor duplicis populi; item, corporis & animæ; huius tamen magis, quam illius: vnde & *Paſtor animarum*, dicitur. etſi nobis gratiores, qui corpus paſcunt, quam qui animam; quia carnales cum ſimus, cibum animi carni aduerſum non appetimus, & ſæpè faſtidimus. *Secundo:* Vt paſtoralem eius curam, quæ nobis magno ſolatio eſt, magis perpenderemus. *Tertio*: Vt perditionem quorundam diſceremus, non eſſe ex ipſius defectu, qui vt Paſtor bonus dixit, quod *nemo eas rapiet de manu ſua.* Si ergo peccas, & caperis à Diabolo, non Chriſti; ſed tuum vitium eſt. ſi data à Chriſto media adhibeas, facile diabolum ſuperabis; *neque enim ſinit nos tentari ſupra id quod poſſumus, imò cum tentatione dat prouentum*; id eſt, virtutem ſuperandi; ait Cyprianus. *Quarto:* Vt ſe ab alijs Paſtoribus diſtingueret. oſtendit enim ſe nec furem, nec latronem, nec mercenarium; nunc paſtorem bonum ſignificat, diuerſum ab alijs Paſtoribus bonis, qui & ipſi quodam ſenſu mercenarij ſunt, ſperant enim mercedem ab alio, cuius oues paſcunt; CHRISTVS autem pauit oues proprias, eſtque ille vnicus Paſtor tam ſingulariter promiſſus: *Suſcitabo*, ait per Ezechielem Deus, *Super eas paſtorem qui paſcat illas, ſeruum meum Dauid, ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & ſeruus meus Dauid princeps in medio eorum, ego Dominus locutus ſum.* Dauid vocatur Chriſtus, quia ex ſemine Dauid; ait Auguſtinus. vel quia *Dauid* idem eſt quod *dilectus*, de Chriſto autem dictum à

1. Petr. 2. 25. Ioan. 10. 28. 1. Cor. 10. Lib. 3. ad Quirin. Ezech. 34. 23. 18. de Ciuit. c. 34.

Matth.3.17. Patre: *Hic est filius meus dilectus.* Porrò Propheta hic Christum *Primo:* Pastorem vocat. *Secundo:* seruum Dei. *Tertio:* Principem in medio nostri. nam secundum humanitatem, *seruus*
Philip.2.7. est; accepit enim, vt Apostolus loquitur, *formam serui*; & pro Deo laborauit. Pastor quoque est; quia etiam hic cibat, & à lupis defendit, datque vt lanam, & lac, id est, virtutes alamus. in futuro autem sæculo Rex erit in medio. *Primo:* in die iudicij, medius inter bonos & malos; *Secundo:* in gloria, medius Sanctorum: nam etsi euectus sit supra omnes creaturas, est tamen in medio quoque, quia eos regit, & Reges facit. *Quinto:* Vt proprias sibi conditiones explicaret; habet enim multas præ alijs omnibus sibi peculiares, quæ quia nobis magno solatio sunt, accurate obseruari debent.

IX. *Et cognosco oues meas.* Prima proprietas est, quod oues omnes cognoscat: in quo superat cæteros Pastores. Cognoscit autem. *Primo:* numerum earum. *Secundo:* Singulas speciatim. *Tertio:* Singularum naturam; & ouem à lupo, porco, &c. distinguit. *Quarto:* Singularum voluntatem, & inclinationem. *Quinto:* Ordinem. nouit enim quis optimus, & quo loco quisque, vt patet ex filijs Isai. *Sexto:* Semper omnes & singulas vi-
1.Reg.16. det. *Septimo:* Quis iam lupus, postea ouis: vt in Paulo patuit. Atque hæc cognitio electos multum solatur, dum omnia sua Christo sciunt perspecta peccatores vero terret, dum se sciunt non posse latere, sed audituros timent: *Non omnis qui di-*
Matth.7.21. *cit mihi Domine, Domine.* supple, meus est: sed, *nouit Domi-*
2.Timot.2.4. *nus qui sint eius.* Quæres. Quæ sint notæ ouium? Respon-
Notæ ouiu. deo multas esse. *Primo:* Omni homini inest imago Trinitatis, dum in eadem anima est potentia operandi, intellectus, & voluntas. sicut in eadem essentia tres personæ. Sed nota hæc non discernit oues à lupis, cum in vtrisque reperiatur. *Secundo:* Tria sunt apud Christianos Sacramenta, quæ animabus notam imprimunt indelebilem, adeoque distinguunt ab alijs. Baptismus filios Dei facit, & domesticos; Confirmatio milites; Ordo ministros peculiares. sed quia hæc Sacramenta etiam reprobi suscipiunt, nota hæc ouium propria non est. *Tertio:* Habent iusti gratiam, qua ad

ad primæuam Dei similitudinem reparantur, cum dixit Deus: *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* hanc qui vident, vt Angeli, per eam iustos secernunt à peccatoribus. Dat enim illa animæ lucem, sicut peccatum tenebras. Vnde Apostolus, *Eratis aliquando tenebræ,* id est, obscuri, tenebrarum instar, *nunc autem lux in Domino.* Quia vero multi lucem hanc ita habent, vt eam rursus excludant, & sine ea moriantur; patet per eam non constitui oues, de quibus dixit Christus; *Do illis vitam æternam.* Sunt ergo tria ouium genera. *Primo:* boni, qui postea finaliter excidunt. *Secundo:* Boni, qui perseuerant. *Tertio*: Mali, sed conuertendi ante mortem, & in iustitia permansuri. *Primi*: fiunt lupi, & serui diaboli. *Secundi*: & *Tertij*, oues sunt, de quibus dictum: *Alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me huc adducere, & fiet vnum ouile, & vnus Pastor.* De his quæri potest, quomodo dignoscantur, quando adhuc hic viuunt? Apostolus ait, *Deum elegisse eos ante mundi costitutionem, & antequam quicquam boni vel mali fecissent*: quo signo ergo cognitæ? Respondeo: Signum non præfuisse in ouibus, sed amorem in Pastore. Vidit ille omnes lapsos, & misertus, remedia dedit, quibus saluari possent omnes, si vellent. sed quia nemo illud sine speciali auxilio accipit, quod ipse nulli debet; quosdam elegit, quibus illud dare voluit, eosque mouere, vt non tantum possent, quod est omnium; sed & facerent, quod solarum est ouium. atque hi sunt quos prædestinatos dicimus, quos hæc electio non cogit; peccare enim possunt, & in peccato mori (etsi Deo iuuante, id non fiet) sed libere omnia faciunt, & cum gustu. Alij saluari possunt, sed quia virtutem oderunt, nolunt. Qui vero, & cur hi præ alijs, prædestinati sint, nemo hic viuentium nouit. Caussas fuisse certum est, quæ nobis hic ignotæ sunt; nam vt Augustinus rectè, *per abditissimam iustitiam suam quibusdam non impertit gratiam.* & Diuus Paulus rem hanc non explicat, sed admirans veneratur. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* in futuro sæculo videbimus, & admirantes laudabimus: vt alibi Augustinus docet.

Genes 4. 26. *Ephes. 5. 8.* *Ioan. 10. 28.* Tria ouiũ genera. *Ephes. 1. 4.* *Rom 9. 11.* Vnde nota ouium? *Lib. 1. ad Simp. c. q. 2.* *Rom. 11. 33.* *C. 95. Enchr.*

Disce hinc *Primo*: Vocem hanc Atheorum esse, & pigrorum:

rum : *Saluabor si sim prædestinatus.* iuuat salutem Deus, sed neminem saluat sine se. collaborare oportet, & anniti. *Secundo*: Peccata nulla superare gratiæ abyssum, modo ad eam confugias, nec desperes. *Tertio* : Perditionem non esse ex Deo, sed vt Osee dixit; *ex te.* Deus neminem, nisi prius peccauerit, damnat. *Quarto*: Noli quærere, cur Deus vnum præ alio elegerit; sed potius, iuxta Augustinum, obstupesce peccatoris malitiam, quâ gratiam tam facilè reijcit & ora vt illam consequaris, ac per bona opera *certam facias vocationem* tuam, nihil de prædestinatione scrupulosus. *Quinto:* Primam Pastorum proprietatem esse; vt oues norint; præcipue quo ad animam. iuuat enim melior cognitio ad faciliorem sanationem; vt in morbis corporis patet.

Osee. 13. 9.

Epist. 105. ad Sixtum.

2. Pet. 1.

X. *Et cognoscunt me meæ.* Secunda proprietas. quod ab ouibus cognoscatur Christus; quia sine eo nullus saluator. Pastores alios norunt oues, vt eos honorent, & consulant. etsi vel ob absentiam, vel ob vitæ eorum scandala, id aliquando omittant. Christum nemo omittere potest, sed etiam in particulari eum nosse debet : nempe quod hic Iesus Mariæ filius, sit Christus. quem quisquis adhuc non nouit, si saluandus est, discet ante mortem. Examina, an tu ipsum noris. Pharao dicebat, *Non noui Dominum.* & Iudæi; *Hunc nescimus*; *Moysen nouimus* non Christum. Multi mundum norunt, sed de Christo dixit Apostolus: *qui ignorat, ignorabitur.* & Christus ipse: *Qui erubuerit me, hunc Filius hominis erubescet.* Ignorantia Christi ex defectu spiritus Christi oritur; nam vt *nemo nouit quid sit in homine, nisi spiritus eius qui in eo est*: Christum nemo nouit, nisi spiritus eius; & qui habet, vel accepit eum.

Exod. 5. 2.

Ioan. 9. 29.

1. Cor. 14. 38.

Luc. 9. 26.

1. Cor. 2. 11.

Vnde cognitio Dei.

Nota *Primo* : Nemini cognitum Christum, nisi qui cognitus est ab eo. ideoque præcessit, *ego cognosco oues meas*; dein sequitur, *& cognoscunt me meæ.* omnis enim cognitio à Deo est, vt visio à luce. Solem vides, quia te illuminat; & Deum, quia nos respicit, cognoscimus. negabat Christum Petrus, nec vidit, donec *conuersus Dominus* eum *respiceret.* si oculos mise-

Luc. 22. 61.

misericordiæ super te non aperiat Deus, nec ipsum, nec te cognoscis, nec mundum. Ille peccata ignorare videtur, aut non punire; tu immortalis, & mundus splendidus. Ora ergo vt te respiciat. *Secundo:* Cognosci Christum septem modis. *Primo:* Per experientiam; quomodo & diaboli cognoscunt. ait enim Iacobus: *Dæmones credere,* quia virtutem experiebantur. *Secundo:* Per lumen & viam naturalem; quomodo de Philosophis ait Apostolus; quod *sempiternam Dei virtutem agnouerint;* per quam Athanasius, Filium Dei intelligit. sed cognitione hac, illi ad superbiam abusi. *Tertio:* Hæretici Christum norunt per electionem; quia neque ratione, neque fide, incarnationem Christi cognoscunt, cum illa ratione ostendi non possit, & ipsi fide careant. assentiuntur ergo, quia sic placet; idque sibi, vt & alia quædam, pro dogmate statuunt. *Quarto:* Per fidem. qui modus Catholicis, etiam malis, conuenit. de quo Hieremias: *Omnes cognoscent me à minimo vsque ad maximum, & non amplius dicent ad inuicem, cognosce Dominum, quia omnes erunt docibiles Dei.* infundit enim Deus fidei donum omnibus, vt à parentibus, quasi cum lacte eam sugant. fit hoc in Ecclesia; vbi Catholici in dogmatibus ita instructi sunt, vt quod Ioannes scribit; *non habeant necesse vt quis eos doceat, quia vnctio eos docet:* ita vt etiam fœminæ, & pueri, cum offensione aduertant, si ex cathedra aliquid nouum, vel hæreticum doceatur. Cognitio hæc saluti necessaria est, non tamen sufficit. *Quinto* ergo, Christus cognoscitur, per gratiam; quæ animæ dat peculiarem cognitionis gustum; & quia hæc cognitio iustis propria est, dixit Ioannes: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non obseruat, mendax est, & veritas in eo non est.* *Sexto:* Cognoscitur interiori deuotione; quando in corde sentitur. cognitionem hanc sponsa quærebat, & tandem inuenit. de qua Bernardus frequenter, qui docet eam haberi in deuotione humili, & affluente, non in sicca, & sterili: ita vt amor veritatis odium generet vanitatis, & gaudium in obseruatione mandatorum Dei, ac promptitudinem in subigendis passionibus. deuotio enim non in sensus motione est,

Cognoscitur Christus 7. modis.
1.
2.
Rom. 1. 20.
Orat. 2. in Arian.
3.
4.
Ierem. 31. 34.
Isai. 54. 7.
Ioan. 6. 45.
1. Ioan. 2. 27.
5.
1. Ioan. 2. 4.
6.
Cant. 3. 1.
Serm. 69. & 74. in Cantic.
Serm. 4. de modis orandi.
Serm. de triplici Co. viue.

quam ebrij, & peccatores aliquando patiuntur, astutia dæmonis; sed in corde; intellectu dico & voluntate. Hanc cognitionem si quæris, conscientiam frequenter purga. Confitere, Eucharistiam sume, ad minimum in septimana semel. hinc lumen, solatium, pax, & gaudium animi. *Septimo*: Cognoscitur Christus in cœlo secundum vtramque naturam; in quo est beatitudo nostra, quam participabit perfectius, qui hic dilexit amplius: sicut maior est comedentis voluptas, si fuerit maior fames. Vide an noueris Christum, & quomodo. Sunt qui omnino eum ignorant, vt Politici, quibus non est Deus, alij eum non sentiunt. Deus solis instar, omnes aspicit: sed cæci non vident, omnesque instar pluuiæ rigat; sed saxa non fructificant. Cum verbum Dei audis, recogita illud, & cognosceris à Christo, eumque vicissim cognosces: contra si negligis illud, videt quidem te, sed non cognoscit; quia cor non ingreditur; neque cognoscitur, quia eum excludis. quæ animus recipit, cognoscit; mundum, vana, & inspirationes malas.

7.

XI. *Sicut nouit me Pater, & ego cognosco Patrem.* Duplex horum verborum sensus. Priorem dat Chrysostomus, & Theophylactus, vt verba hæc à superioribus non dependeant, sed potius opponantur: quia scilicet aliter Patrem cognoscit, quam nos. nos vt creaturas creator, Patrem vt Filius æqualis, nec imperfectius quam Pater, significans Diuinam essentiam & cognitionem in se infinitam, ait Athanasius; nam cum in Deo cognoscere, & esse, vnum sint: si cognoscit vt Pater, est quoque vt Pater. Posterior sensus, verba hæc superioribus coniungit: Sicut Pater nouit me, sic ego oues: & sicut ego Patrem, sic oues me, adeoque ponuntur hic, duæ aliæ Pastoris conditiones, propriæ Christo: quæ sunt nostra. *tertia & quarta. Tertia*, ergo Christi proprietas est; quod nouerit oues suas, non quomodo norunt eas homines, sed quomodo in Diuinis Pater Filium, qui dedit ei naturam Diuinam, quam infinite diligit, & humanam omni gratia & virtute miraculorum plenam. sic enim Christus nobis omnia bona dat, eaq; conseruat. Docet ergo *primo*: quid ab ipso tanquam Saluatore sperandũ. nempe hic assistentiã, in futuro lætitia: hic gratia, *per quam*

In disputat. cont. Arriũ.

quam reddimur consortes diuinæ naturæ, vt Petrus loquitur: in futuro gloria, qua velut filij Dei splendebimus. Hic dat carnem suam sub velamento, in futuro diuinitatem sine obscuro. *Secundo*, Quod non nouerit electos solum, vt reprobos; quibus dicet aliquando: *nescio vos*: sed charitate perpetua, vt Pat r. *Tertio*, Quod diligat cũ sollicitudine, & affectu iuuandi. *Quarto*, Quod non debeamus de tribulatione conqueri. Christum Pater etiam patientem dilexit. *Quinto*, Quomodo in Christo fuerit duplex amor: nam quod ait *cognosco oues meas*, amoris est hominum; quod autem subdit, *cognosco Patrem*, ad charitatem Dei spectat. Præcedit autem illud de ouibus; quia ab amore proximi, ad Dei amorem ascendimus: *Qui enim non diligit fratrem quem videt, quomodo Deum quem non videt potest diligere?* *Quarta*, Christi proprietas est; quod illũ cognoscant oues, vt ille Patrem. Nouit autem Patrem *primo*; vt Deus, diuinitatem ab ipso accipit, eumq́ue amat, nihil tamen accipit ab ipso Pater. *Secundo*, Vt homo, nouit eum. *Primo*, Quia diuinitatem eius semper videt. *Secundo*, Quia etiam in minimis voluntatẽ eius cognoscit. *Tertio*, Quia cum diligit, eius voluntatẽ in omnibus implet, gloriam propagat, nihil nisi ex obedientia facit, omnesq́ue ad Dei amorem rapit. Sic nõ quidem eadem perfectione, sed quisque pro modulo suo, plus, aut minus; cognoscunt Christum oues *Primo*, Per fidem. *Secundo*, Per dilectionem. *Tertio*, Obediunt ei. *Quarto*, Honorem eius propagant, & si id fiat gaudent. Est hoc Christianorum omnium, præcipue electorum; qui tamen per omnia hæc, nihil Christo dant: ita vt dicere verè possint: *Serui inutiles sumus*; quia magis sibi, quam Christo, qui *bonorum nostrorum non eget*, prosunt. Porro Sancti Christum perfectius cognoscunt. *Primo*, Quia semper eum præ oculis habent. *Prouidebam*, ait ille, *Dominum in conspectu meo semper*; *quoniam à dexteris est mihi, ne commouear*; seu peccem. *Secundo*, Quoties vacãt, semper de ipso meditantur: hoc enim est quod dixit ipse, & Apostolus eius: *sine intermissione orate*. & quod Dauid, *meditatio cordis mei in conspectu tuo semper*. Fecit hoc Bernardus, qui comedens, proficiscens, aut aliud quodlibet agens, semper erat abreptus: estq́ue perfectis proprium, qui terrena omnia ab animo excluserunt. *Tertio*,

1. Petr. 1. 4. *Matth. 7. 23.* *1. Ioan. 5. 20.* Christus cognoscit Patrem. Christum cognoscũt oues. *Luc. 17. 10.* *Psal. 15. 7.* *Psal. 15. 6.* *Luc. 18. 1.* *1. Thess. 5. 17.* *Psal. 18. 12.*

Deum eiusque perfectiones, in creatura etiam minima vident. Contrà, mali vident in omnibus diabolum, & peccati materiam; ex imaginibus libidinem; ex floribus voluptatem, ex cibis afficiunt gulam. *Quarto*, Statim inspirationes Dei discernunt, à tentationibus diaboli. Vnde ille: *Audiam*, ait, *quid in me loquatur Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem suam; & super Sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor.* Donum hoc Prophetis proprium est, illudque commendat B. Ioannes, cum ait; *Nolite omni spiritui credere, sed probate num ex Deo sint. Quinto*, Præsentiam Dei experiuntur. De Maria Oigniacense refert Vitriacus; quod cum in morbo cibos nullos admitteret, præter Eucharistiam, aliquando ei hostiam dederint non consecratam, aut frustulum panis, sed tantum inde dolorem sensit, vt moritura videretur; ex Eucharistia vero nihil. Idem de Senensi Catharina testatur B. Raymundus; gaudebat quoties Eucharistiam, imo Sacerdotem aspiceret, qui eo die celebrarat, vel Eucharistiam tractarat: nam vt canes Dominorum vestigia; sic perfecti in omnibus Christum sentiunt, & quid mirum? sentit illum diabolus, in reliquijs, aut vestibus sanctorum, vt ex Pauli sudarijs patet. Vide ergo tu, quomodo Christum noueris: ouis non es, si non nosti; sicut ille Patrem.

Psal. 84. 9. *1. Ioan. 4.* *Lib. 1. vitæ eius cap. 12.* *In eius vita.* *Actor. 19. 12.*

XI. *Et animam meam pono pro ouibus meis. Quinta*, hæc Christi proprietas eum non solum à furibus, latronibus, mercenarijs; sed & à veris Pastoribus alijs distinguit. *Primo*, Pauci vitam pro ouibus ponunt; quia persecutiones timent, neque audent omnes, præsertim Principes, redarguere. Quid fecerit Christus, testantur Pharisæi. *Scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, nec accipis personam hominum.* Paratus omnia pro ouibus pati. *Secundo*, Erat Christus summus Pastor, poteratque omnium perditionem permittere, quod alij non possunt: quia ipsorum oues non sunt, sed debent Christo rationem, & ouibus fidem. *Tertio*, Tanta erat Personæ Christi dignitas, vt non deceret eum pro ouibus mori. Alij vero puri homines sunt, nec quoad naturam ouibus præstant. *Quarto*, Cum ouis non esset, quasi ouis factus est, vt nos duceret, & ad sequendum inu-

Christus differt à bonis Pastoribus. 1. 2. 3. 4. *Matt. 22. 16.*

inuitaret; verbera nobis parata in se excepturus. Seruus si interiectu corporis sui à Domino vulnera arceat, amorem eius meretur; quanto igitur plus merebitur Christus, qui non vulnera solum, sed & mortem excepit: omniaque mala corporis, & damna honoris? *Quinto*, Cum potuisset nos alio modo, quam morte sua, liberare, hanc tamen vt conuenientissimam elegit. Nam *primo*, satisfactum iustitiæ, dum datum pretium: & misericordiæ, dum miseris hominibus parcitum. Atque ita vt pulchrè Bernardus: *Misericordia & veritas*, quæ est iustitia, *obuiauerunt sibi*. *Secundo*, Manifestata ineffabilis Dei charitas, qua & nos ad Dei amorem prouocamur. *Tertio*, Explicata peccati malitia, quæ tanto eguerit remedio. *Quarto*, Excitati nos ad charitatem, & patientiam. *Quinto*, Data nobis virtutum omnium exempla, humilitatis, in sui abiectione, liberalitatis, in omnium quæ habebat donatione, castitatis, in corporis cruciatibus, qui carnis titillationes extinguant, amoris, in oratione, & passione pro inimicis, patientiæ, in benignitate qua blasphemantibus respondit, sobrietatis, in fame, & siti, ac potu aceti, & fellis; sedulitatis, in parata membrorum exhibitione, ad tormenta, cum flagellaretur, clauis transfoderetur, &c. *Sexto*, Spem roborauit, quod non deseret nos, pro quibus *cum adhuc inimici essemus*, tãta passus est. *Sexto*, Redemptione nostri, quatuor præstitit beneficia, quæ nemo alius. *Primo*, Dedit lytrum. *Secundo*, Morti in se potestatem dedit, quam non habebat. *Tertio*, Nihil morte obtinuit, quod non alio titulo debebatur. *Quarto*, Nec momento quieuit, quin nobis aliquid meruerit.

[Margin: 5. Passio Christi cõuenientissimum medium redemptionis. 1. *Serm. 1 de Annunciat. B. Virg.* *Psal. 84. 11* 2. 3. 4. 5. 6. *Rom. 5. 10.* Sextum principale.]

Tria verba in superiori sententia, notãda sunt. *Primum* est, *Anima mea*, quod significat. *Primo*, Vitam Christi humanam, quam ideo sumpsit, vt semel poneret. *Secundo*, Omnia quæ ad vitã spectant, animi, & corporis bona, honorẽ, vestes, actiones, verba, &c. omnia hæc nobis data, vestes à crucifigẽtibus, honorem ab alijs, auferri passus, vt nudos nos vestiret, & inglorios eueheret. *Tertio*, Spiritũ, quẽ in manus Patris moriens cõmendauit. *Quarto*, Viuum corpus, ꝙ nobis totũ cũ vtraque natura dedit: *Paruulus enim natus* NOBIS vt homo. *Filius datus est* NOBIS vt Deus: atq; hoc corpus hodie adhuc nobis dat in cibum.

[Margin: Anima quid? *Luc. 23. 46.* *Isai. 9. 6.*]

Pono quid? cibum. *Secundum* est, *Pono*: Quo significatur, *Primo*, mortem Christi fuisse spontaneam, vt amorem eius, & merita videamus, sine libertate meritum non est; sed ex amoris, & passionis magnitudine crescit. *Secundo*, Vitam in passione diutius durasse, quam naturæ humanæ vires ferrent: cum prædixit se à Iudæis occidendum, significat vtique, talia se ab eis passu-
Ioan. 10. 18. rum, ex quibus mors nata erat sequi, cum ergo hic dicit, *Ego pono animam meam & nemo aufert illam*. Significat se pro arbitrio animam retenturum, vt diutius patiatur. Vide ergo amorem eius, qui & plus alijs, & diutius, quam natura ferebat,
1. Cor. 13. 10. passus est: & patere aliquid pro eo, qui nihil immittet supra, quam potes. *Tertio, pono*, dixit, non *ponam*, aut *posui*: quia adhuc quotidie eam ponit: *Primo*, in cœlis, offerens illam Pa-
Heb. 7. 25. tri, *semper viuens ad interpellandum pro nobis*; ait Apostolus. *Secundo*, In Ecclesia, ponit enim in sacrificio, vt offeratur, & sumatur; ponit extra sacrificium, vt honoretur, & nobiscum
Deut. 4. 7. pro necessitatum refugio, & portu maneat. Habuit Synagoga Propitiatorium, in quo sedebat Deus, ita vt non esset *gens quæ ita haberet Deos appropinquantes sibi*, & tamen erat nouerca Christi. Ecclesia vero eius sponsa est, ideoque habet illum multò perfectius, ita vt etiam à nobis sumi possit. Accede cum gratiarum actione, & sume; ora vt corpore suo viuo tuum viuificet, & anima sua tuam vegetet, eique vitam infundat. *Tertium* est; *pro ouibus meis*. In Græco est, *pro ouibus*: dedit enim se Christus, non pro electis tantum, sed & pro reprobis, ac hostibus: nam *primo*: Mors eius omnibus saluandis sufficit. *Secundo*, Sacramenta omnibus communia sunt, nemo à perceptione eorum reijcitur, aut fructu; modo dignus accedat. Interim nemo iuuatur, nisi per gratiam ouibus inseratur, quod aliquando fit per ipsa Sacramenta.

XIII. *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere*. Quinta Christi proprietas est, quod oues habet toto orbe dispersas, quas colliget. Pastores alij certis locis cir-
Psal. 44. 17. cumscribuntur, & parochijs. Erant quidem Apostoli, *Prin-*
Lib. 1. c. 15. *cipes super omnem terram*: Sed hanc teste Socrate diuiserunt sorte, neque eorum vnus omnia loca, omnesque oues accessit:

cessit: Petrus quoque & successores eius potestatem acceperunt per vniuersum orbem, sed hæc non egreditur Ecclesiam: *Quid mihi*, ait ille, *de his qui foris sunt iudicare?* At vero Christus etiam extra Ecclesiam oues habet, quas ad hanc vocat: est itaque non solum *bonus*, sed & *vnicus* omnium Pastor. Nota *primo:* Insinuari hic à Christo duo ouilia; cum ait, *non sunt ex hoc ouili:* Quasi dicat, sunt ex alio, nempe vnum erat Iudæorum, alterum Gentium; qui erant quadruplices. *Primo*, Magna pars idola colebat. *Secundo*, Magna pars naturali lumine, vt Apostolus docet, sciebant idolorum vanitatem; quidam tamen ea colebant, populo satisfacturi, vt Aristoteles, Cicero; quidam non, vt de Socrate proditum. *Tertio*, Erant quidam Athei, vt Protagoras, qui negabant esse vllum Deum. Omnes hi errabant, vel tantum habebant scientias naturales. *Quarto*, Ergo quidam habebant fidem, siue ex traditione parentum, vt Iob; siue ex familiaritate, cum Israelitis, qui veniebant Ierosolymam, orationis, & sacrificij causa, habebantque peculiarem sibi locum, talis fuit Eunuchus Candaces; Gentiles qui Christum videre cupiebant; Centurio qui Iudæis Synagogam erexerat; Cornelius, & alij, quos Lucas vocat *colentes Deum.* Nota *secundo.* Oues has ex gentibus, dupliciter exponi posse. *Primo*, De his qui actu erant oues: etsi enim inter gentes pauci Deum coluerint, vt propterea dictæ sint: *Infructuosæ, ac steriles, & terra deserta.* Erant tamen aliqui, quos cohabitantium Iudæorum pietas, & miracula inter Iudæos facta, ad fidem mouebant. Nabuchodonosor à Daniele conuersus est, & de Pharisæis testatur Christus, quod *circumeant mare, & aridam* vt ex gentibus aliquos conuerterent. *Secundo*, De his qui necdum erant oues, sed aliæ bestiæ; id est, peccatores: imo qui necdum nati, & tamen *oues* dicuntur, ob Dei præscientiam: sicut à S. Ioanne, eadem ex causa vocantur *filij Dei*; quo & nos peccatorem consideremus, non quatenus ipse se fecit malum, sed quatenus eum Deus creauit bonum. Porro horum numerus magnus, & vt Ioannes ait: *Quem dinumerare nemo potest.* Ora Deum, vt & tu in eo numereris. Nota *tertio*: Verbum *habeo*, signi-

1. Cor. 5. 12. — *Rom. 1. 21.* — *Actor. 8. 2.* — *Ioan. 12. 21.* — *Act. 10. 12.* — *Act. 16. 17. 18* — *Isai. 54. 7.* — *Isai 35. 4.* — *Dan. 4. 24.* — *Matth. 23. 15.* — *Apoc. 7. 1.*

ſignificat enim cuſtodiam Dei, & infallibilitatem qua tenet electos: alios videt quidem, & ſufficienter iuuat, ſed quia ipſi nolunt, tandem dimittit: monens interim, vt reſipiſcant; ſicut patet in Iuda. Cui dixit: *Vnus ex vobis diabolus eſt.* & : *Væ homini illi per quem Filius hominis tradetur, &c.* Item. *Tu dixiſti*, &, *quod facis fac citius.* Demum: *Iuda oſculo Filium hominis tradis?* Sufficiebant hæc ſingula vt reſipiſceret, modo ea expendiſſet. Similiter monet nos frequenter conſcientia, & poſſumus reſipiſcere, adeſt enim gratia, non facimus tamen, quia voluntati ineſt adhuc duritia: & relinquit nos Deus. Electos autem non derelinquet in finem, cadunt illi ad tempus, vt Dauidi, Petro, Paulo, Magdalenæ contigit, ſed accipiunt externa, internaque auxilia, quibus actu reſurgant. Quoties ergo vel conſcientiam, vel alios monentes audis, vide obedias, neque enim per gratiam ſtat, ſi reſpuis, ſed per malitiam tuam.

Ioan. 6. 70. *Matt. 26. 24.* *Ioan. 13. 27.* *Luc. 22. 48.*

Nota *quarto*: Ouile Iudæorum, ſeu Synagogam in multis diſcrepaſſe, ab ouili gentium etiam fidelium. Etſi enim hi in Deum crederent; quia *accedentem ad Deum oportet credere*: & ſacrificia, ac orationes offerrent, (vt patet in Iob, & eis qui aſcendebant Ieroſolyma, vt adorarent) & fide hac, ac præceptorum naturalium obſeruantia ſaluari poſſent: maior tamen erat horum omnium apud Iudæos perfectio. *Primo*, Gentiles credebant eſſe Deum, qui peccata remitteret, bona præmiaret, eoſque ſaluaret: Iudæi vero Saluatorem credebant ex ſemine Abraham naſciturum. *Secundo*, Habebant Iudæi multas cæremonias, quibus Gentes non aſtringebantur, ſeruiebant autem illæ ad religionis vnitatem ſeruandam, ac Chriſti myſteria figuranda. Quare *notus in Iudæa Deus*, ait Dauid, nempe ab omnibus, apud Gentes vero à paucis. Age Deo gratias, quod nunc tantam ſui notitiam nobis infuderit, cum oriundi ſimus parentibus infidelibus.

Hebr. 11. 6. *Pſal. 75. 1.*

Nota *quinto*: Particulam *&*, quæ ſignificat *primo*, ex Iudæis multos in Chriſtum credituros, etſi reijcerent eum Principes. *Secundo*, Chriſtum Phariſæorum opinione ditiorem, ait Rupertus: ſenſus enim eſt, quid mihi vobiſcum, qui tot habeo diſcipulos vobis meli-

meliores? Quia dixit de me Pater: *Parum est, vt sis mihi ser-uus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas: dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad vltimum terræ. Non est mihi voluntas in vobis, ab ortu solis vsq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus.* Disce Deum non egere nostri, & cum gratiam infundit, obserua eam, eaque cum gratiarum actione vtere. Nota *sexto*, Particulam *Ego*, quæ docet. *Primo*, Gentes non esse per Christum conuertendas, sed per Apostolos, eorumque successores. *Ipse enim non erat missus nisi ad oues domus Israel. Minister*, vt ait Apostolus, *circumcisionis ad confirmandas promissiones Patrum.* Quibus Deus eum spoponderat. *Secundo*, Gentes non ab alio, quam ministris eius, conuertendas: ideoque hæretici in quibus Christus non est, Gentes nullas conuerterunt. *Tertio*, Vt in Pastoribus nostris non videamus, quod hominis est, sed Christum: nam sicuti per Caipham & Balaam, sic & per malos Christianos, Deus loquitur. Aqua quæ per canales deriuatur in hortum, nihil ex eis trahit mali, sed terram rigat, eique virtutem germinandi communicat; ait Augustinus: sic & per malos rigat nos Deus. Quos Nicolaus Papa facibus comparat, quia seipsas consumunt, seu perdunt: & alijs lucent. Nota *septimo*, in vocula *oportet*. *Primo*, necessitatem faciendi in Christo: præceptum enim accepit à Patre, & etiam hodie illud implet, sciens quot, & quos, vbi, quando, quomodo, & per quos conuertet; vt obedientiæ dignitatem discas, & ex hac operari malis, quam ex propria directione: nihil enim Christus fecit, quin Pater prius præcepit. *Secundo*, significat necessitatem passiuam in nobis, qui frustra trahimur, monemur, corripimur, nisi trahat Christus. Lapso Petro cecinit gallus, sed frustra: donec Christus *conuersus respexit*. Ora ergo cum sponsa: *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum:* Si enim præcepti sui infundat suauitatem, sine difficultate *curremus*, in *cordis dilatatione*. Nota *octauo*, Quod oues suas Christus ducat, non propellat. Significatur enim *primo*: gratiæ lenitas, quæ nos ceu pueros manu ducit,

imo

Isai. 49. 6.
Malach. 1. 11.
Matth. 15. 24.
Rom. 15. 8.
Ioan. 11. 49.
Num. 23. 24.
Tract. 5. in Ioan.
Ad consulta Bulgaræ. c. 71
Luc. 22. 61.
Cant. 1. 4.
Psal. 118. 32.

Luc.15.5. imo portat, vt ouem perditam Paſtor. *Secundo*, Libertas arbitrij: neque enim inuiti rapimur, aut cogimur. Natura voluntatis eſt ferri in bonum verum, vel apparens; quoties hoc ſub ſpecie boni appetitur, peccatum eſt, quoties autem appeteret quidem peccator, niſi pœna retraheret, quodam ſenſu cogitur: ſic pueros virga, fures furca, cogit à malo, neque coactio hæc merito caret, cum ſit à gratia, magis tamen meritorius eſt amor. *Tertio*, Vitæ ſpiritualis ſuauitas:
Gen.33.13. contemperat enim ſe nobis Chriſtus, ſicut videt *paruulos ſuos poſſe:* Vt dicebat Iacob. excuſauit diſcipulos à ieiunio, nec exigit plus quam poſſumus; placet ſi vel tantum ei de-
Matth.9.17. mus, quantum olim mundo: non iubet *vinum nouum mitti in vtres veteres.* Noli ergo abhorrere ab obſequio Dei, ſed
Matt.11.12. cogita, vt vel aliquam tibi vim inferas, vt cum violentis rapias regnum cœlorum, & illum qui tam ſuauiter ſe tibi attemperat.

XIV. *Et vocem meam audient.* Septima Chriſti proprietas, quod ab omnibus, etiam necdum natis, audiatur. Alij Paſtores tempore, loco, & ſubditis circumſcribuntur; Chriſtus vero, quia manet in æternum, terram facit tremere, &
Hebr.12.26. *ſeptem tonitrua* loqui: quia Concionatores omnes ipſe mo-
Apoc.10.3. net, eiſque dat verbum *virtute multa.* Nota *primo*: Scriptura hac hæreticos abuti dupliciter. *Primo*, Colligunt hinc
Cant.6.8. notam veræ Eccleſiæ. Cum enim omni tempore hæreſes fuerint, oportuit dari hominibus indicia, ſeu notas, quibus Eccleſiam veram, quæ vna tantum eſt, agnoſcerent, in qua ſaluari poſſent. Hæretici ergo talem notam dicunt eſſe, prædicationem veri verbi Dei: nam verum ouile hic dicitur, in quo oues vocem Chriſti audiunt. Verum vt de
De notis Eccleſiæ. his agam breuiter. Nota *primo*: Quæſtionem hanc, eſſe vnam ex præcipuis ſalutis fundamentis: nam extra Eccle-
1.Tim.3.15. ſiam ſalus nulla, ipſa ſola *domus Dei, & columna, ac firmamentum veritatis*, & Arca Noë. *Qui Eccleſiam non habet ma-*
Matt.18.17. *trem, non habebit Deum Patrem: qui Eccleſiam non audit, ſicut Ethnicus ſit, & publicanus.* Magiſtra mundi eſt, falſitatis inimica, cum ergo noui Doctores exurgunt, habent fideles media, quibus eos conuincunt: ſi enim Eccleſia eſt firmamen-

mamentum veritatis, habetque assistentiam Spiritus sancti ne erret, quicquid nouum est, & antiquæ doctrinæ simul contrarium, id omne hæreticum est. Vides hic duas causas cur ad quæstionem hanc illibentes descendant hæretici; quia effugij, aut adulterandæ Scripturæ locus non est. *Primo*, Vident nouitates omnes per Ecclesiam recidi, quia eius est, Scripturas tradere posteris, conseruare, explicare, ideoque iudicio hoc spreto hæretici singuli iudicare volunt; sed non commisit id Christus particulari homini. *Secundo*, Vident non posse se assignare notam vllam, qua euidenter probent, sectas vel congregationes suas esse veram Ecclesiam. Quicquid enim assignant, vel obscurum æque est, atque Ecclesiæ veritas, vel alijs quam veræ Ecclesiæ conuenit. Nota *secundo* Ecclesiam, quæ in Scriptura *Corpus Christi* dicitur, proportionem habere cum corpore Christi, vt Apostolus explicat. In corpore humano tria sunt. *Primo*, essentiales partes. *Secundo*, proprietates. *Tertio*, accidentia externa. Hæc eadem in Ecclesia sunt. *Primo* enim, quædam constituunt eius essentiam: vt fides vera. *Ecclesia enim est congregatio profitentium veram fidem*. *Secundo*, quædam sunt quasi proprietates; vt Spiritus sancti directio, remissio peccatorum, spes salutis. *Tertio*, quædam accidentia, vt amplitudo eius, multitudo fidelium, duratio, augmentum, & propagatio. Cum ergo signa quærimus, non de essentia, aut proprietatibus quæstio est, nemo enim Ioannem describit quærenti, dicens ille est qui corpus & animam habet, ac risibilis est: eodem modo nec Ecclesia ostendi potest per veram fidem, quæ eius essentialis pars est, nec per vera Sacramenta, quæ sunt quasi proprietates: hoc enim est idem per seipsum ostendere, quia qui Ecclesiam quærit, tantundem quærit, quam si dicat, vbi est vera fides, & vera Sacramenta? Notæ autem quibus res dignoscatur, quatuor conditiones requirunt. *Primo*, vt sint in eo solo quod quærimus: sic nota Ioannis non est, habere duas aures, manus, oculos: hæc enim & alij habent. *Secundo*, Vt etiam alijs constet, notas has ei soli inesse: nam si pago aliquo vnus tantum sit diues, rustici tamen putent esse plures, diui-

Rom. 12. 1. 1. Cor. 12. 15. Eph. 1. & 4.

Notarum 4. conditiones.

tiæ non erunt certa nota hominis quem quæro. *Tertio*, Quia per notam res cognosci debet, debet quoque nota esse clarior, quam res ipsa. *Quarto*, Vt nota hæc à mittente detur, neque confingatur à nobis. Hinc colligitur prædicationem verbi Dei notam Ecclesiæ non esse. *Primo*, Quia ipsa est æque inceuidens, atque Ecclesia: imo ignotior est,& ineuidentior, multi enim Ecclesiam norunt, qui tamen veram fidem, Deique verbum nesciunt, nisi postquam ab Ecclesia instruuntur. *Secundo*, Quia essentia Ecclesiæ est. *Tertio*, Quia omnes sectæ eam sibi vendicant: nota autem nec à parte rei, nec in iudicijs & opinione hominum, alteri conuenire quam rei notatæ potest. Est quidẽ veritas vnica in sola, & vnica Ecclesia; oẽs tamen apud se eam gloriantur: sicut & Ecclesiam. Catholici notas nouas nõ cõminiscimur, sed accepimus eas, vt ex Augustino patet, à maioribus: nempe quod Ecclesia sit *vna, Catholica, Apostolica*, & *Sancta*. *Primo, Vna* est, vt patebit infra. *Secundo, Catholica*, Quia eadem omnibus locis diffusa; in quo ab hæresibus differt, quæ vbique nõ sunt, aut saltem non sunt eædem, sed diuersæ, & pugnantes. *Tertio, Apostolica*, quia dogmata sua per omnes retro ætates, ad Apostolos vsque incorrupta reducit: nam etsi defectum illi hæretici exprobrent, authorem tamen, locum, tempus, articulos in quibus defecerit, nunquam ostendunt. *Quarto, Sancta*; non solum quia Spiritum sanctum habet, qui inuisibilis est; sed quia eius solius doctrina sancta est. *Primo*, Quia nihil docet rationi, & moribus bonis contrarium: hæretici nos liberos negant, & continentiam esse possibilem, votorum violationes, monasteriorum deiectiones, religionem propagant armis, Principes eijciunt regnis. Ecclesiæ doctrina rationem superat maiestate, non oppugnat falsitate. *Secundo*, Constans est in doctrina, nec more hæreticorum variat. *Tertio*, Doctrina eius, vt dixit Dauid: *conuertit animas*, & gentiles; quod nunquam fecerunt hæretici, quorum est antea fideles peruertere, muribus similes sunt, qui caseos non faciunt sed fodiunt; sacellum sunt, quod vt Belgæ dicimus, Diabolus iuxta Ecclesiam ædificat. Disce ergo, vbi sit Ecclesia, vt illic à matre erudiaris, & inde ad Ecclesiæ triumphantis ciues, qui etiam hic

Lib. de Past. cap. 8.

Notæ veræ.

Ecclesia sancta.

Psal. 18. 8.

hic in eadẽ Ecclesia prius militarunt, transmittaris. Quicquid hæretici ablegant, descẽdit, & perit: quia salus nõ est extra arcam. *Secundo*, Inferunt hinc hæretici, oẽs esse quæstionũ fidei iudices, sicuti oẽs vocẽ Christi audiunt, & à falsis discernunt. Faciunt hoc *primo*, vt Ecclesiæ ius suum eripiant, & nesciunt miseri, prudẽtiæ plus in tota Ecclesia esse, quã in singulis, præsertim ex vili & rudi plebe, sed vnitatẽ, & traditionis concordem authoritatem metuunt, quia sciunt se certo damnandos: ideoque alijs frænos laxant. *Secundo*, Vt plures ad se ab Ecclesia alliciant, & nõ vident, hoc esse principium sui interitus: quia enim quisq; iudicat, inde tot exurgunt sectæ, quarũ posterior priores extinguit. Porro sensus verborum Christi est. *Primo*, Quod electi fidẽ verã accipient, & vsq; in finẽ seruabunt. *Secundo*, Quod vera à falsis discernent. Modus autẽ nõ additur, vnde de suo inferunt hæretici, discretionẽ hãc ex proprio cuiusque iudicio per Scripturæ lectionẽ, & interpretationẽ fieri. Fit ergo hoc, quia Ecclesiæ doctrina tã est perspicua, vt statim oẽs eius mutationẽ aduertant. Quis ex Catholicis nescit iconomachiam, liturgomachiam, hagiomachiam, &c. hæreses esse: itẽ votorũ violationes, Eucharistiæ iniuriam, ieiuniorũ cõtemptus. Hæc omnia singulis nota, neq; necessarium, vt ipsi rursus ea ad Scripturas examinent; cum ante nos id fecerint, & faciant tot docti & sancti, cum omni humilitate & diligentia, qui in omnibus, etiam cæremonijs Ecclesiæ, nihil falsum inuenerunt, vel absurdum: omnia enim, vt promissum à Christo, Spiritus veritatis docuit. Quod si singulis noua permitteretur examinatio, esset Ecclesia nõ quod debet, vna: sed quod hæreses sunt; nempe, tot sententiæ, quot capita.

Nota *secundo*: Oues audire vocem, nõ videre. *Primo*, Quia *fides ex auditu*. *Secundo*, Quia verba Pastorũ audire, & sequi iubẽtur, nõ vitã, & exempla, si deficiant. Alioqui vt Aug. ait, *Socios dãnationis quærunt, nõ adiutores salutis. Malus laicus, infidelis, quid sibi dicit, quando ceperit illũ arguere verbũ Dei. Exi, quid mihi loqueris, ipsi Episcopi, ipsi Clerici nõ istud faciunt, & me cogis vt faciã. Quia si voluero apud Deũ me sic defendere, nõne mihi dicturus est, serue nequã nõne à me audieras. Quæ dicũt facite, quæ autẽ faciunt facere nolite? Nã nunquã eũ defensurus est ille in die iudicij, quẽcunq; malũ voluerit imitari. Quomodo*

Rom. 10. 17. *Matth. 23. 3.*

Serm. 40. de verbis Domini. & hom. 50. c. 15. & 10.

enim diabolus omnes quos seducit, non seducit cum quibus regnet, sed cum quibus damnetur: sic omnes qui sequuntur, comites sibi ad gehennam quærunt, non patrocinia ad regna cœlorum. Chrysostomus quoque: *Non ex his, ait, quæ sacerdos egit, sed quæ audita neglexisti, ex his tibi Deus sententiam feret. Itaq; si præcepta quidem facias, cum multa tunc adstabis fiducia: si verò quæ dicuntur neglexeris, etiam si mille perditos ostendas sacerdotes, nihil hoc tibi proderit. Quoniam & Iudas Apostolus erat, veruntamen nihil hoc pro sacrilegis & auaris vnquam in defensionem proponetur. Sed hoc ipsum nos maximè puniet, & condemnabit, quod nec aliorum malis correcti sumus.*

Sub finem hom. 37. ad pop. Antiochen.

Nota *tertio.* Pronomen *meæ*: nam veræ oues Christi vocem audiunt. *Primo*, Quia verba Pastorum non accipiunt, vt verba hominum; neque ornatum attendunt, & flores ex Scripturæ, & Patrum frequenti citatione insertos; sed quod est ad cor. *Secundo*, Superficiem literæ non sequuntur, sed medullam veri sensus: cumque in eadem litera audiunt sensus diuersos, eum sequuntur, qui Apostolorum est, & Ecclesiæ: hic enim solus, est verbum Dei: nam litera Scripturæ cum sensu falso, verbum diaboli est: vt patet ex eius tentationibus contra Christum. Fit hoc in his sententijs. *Hoc est corpus meum. Pater maior me est. Episcopus sit vnius vxoris vir, &c.* *Tertio*, per sensum literalem verum, cum Apostolo, penetrant vlterius ad mysticum. Sæpe enim fit, teste Augustino, vt propter figuras & mysteria parum ex sensu literali solo discamus. Ponunt ergo Patres præter sensum literalem, alios tres mysticos: *Primus* est, *Allegoricus* cum veteris testamenti figuras, ad mysteria noui testamenti applicamus: quod fecit Apostolus in Abraham, eiusque duobus liberis. *Secundus* est, *tropologicus*: cum ex spirituali explicatione discimus quid sit agendum; sic Apostolus ex illo, *non alligabis os boui trituranti*, ostendit, Pastoribus & Doctoribus deberi corporis sustentationem. *Tertius* est, *Anagogicus*: cum mysteria vitæ futuræ intelligimus. Sic Apostolus ex illo; *Iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam*; vbi ad literam sermo est; de requie in Palæstina, probat, malos non introituros in requiem cœlestem. Atque ita oues Christi medullam, & consolationem

Matth. 4. 7.

Serm. 201. de tempore.

Quatuor sensus script.

Galat. 4. 22.

1. Cor. 9. 9.

Deut. 25. 4.

Hebr. 4. 3.

Psal. 94. 11.

nem in Scripturis inueniunt, Apostolum imitati, qui in Epistola ad Hebræos, multa veteris testamenti mysteria exponit, & Sanctos Patres, quorum libri his mysteris pleni. *Quarto*, Audiunt vocem Dei, etiam in creaturis mutis: de cœlis ait Dauid: *Quod enarrent gloriam Dei:* & de diebus; quo vnus alteri *eructet verbum, ac nox nocti indicet scientiam.* Omnia Deum docent sapientem, potentem, pulchrum, iustum, nostri amantem; quædam iratum, alia rursus placatum. Dei est omne quod habent; qui solus infinito possidet perfectius, quod in ipsis diuisum est, & imperfectum. *Psalm 44.1.*

Nota *quarto:* Auditus nomine; non significari hic solum actum externum, sed *primo*, intellectum. *Secundo*, consensum. *Tertio*, gustum eorum quæ dicunt. *Quarto*, executionem. *Quinto*, ruminationem. Exemplo B. Virginis, *quæ conseruabat in corde suo conferens omnia verba Christi*, & de Christo. Quæris an ouis sis? vide *primo*, an sermonibus de Deo; fuga, & remedijs peccati, studio virtutum delecteris? *Secundo*, an auditis vtaris? *Tertio*, an libenter ores? *Quarto*, an in meditationibus gustum sentias? *Quinto*, an omnia visa, audita, facta, vt bona interpreteris? nam si vana, detractoria, laudem propriam amas, sub ouis pelle, monstrum latet: quod non est de ouili. *Luc.12.11.*

XV. *Et fiet vnum ouile.* Octaua Christi proprietas est, quod ex duobus vnum ouile facit. Horrea vetera quidam deijcere voluit, & noua ampliora que ædificare; sed morte præuentus, non potuit. Horrea duo inuenit Christus imperfecta, ob gentium paucitatem, & exiguam cognitionem, & Iudæorum Sacramenta gratiæ egena. Quicquid tamen in his perfectum retinuit, & vnum excitauit ouile quod omnes caperet & perficeret; nempe Ecclesiam, quæ ouile dicitur quia vna est, extra quam salus non est, à qua exclusi hæretici omnes, & excommunicati. Vitis est, cuius palmes cum ad alia vtilis non est, *igni datur in escam.* Vide ergo hic sis: quia vbicunque es, si hic non es, peribis. Nam vt recte Augustinus: *Vnum de duobus palmiti congruit, aut* *Luc.12.18.* *Ezech 15.4.* *Tract.51.in Ioan.*

ignis, aut vitis. Si in vite non est in igne erit, vt ergo in igne non sit, in vite sit. Neque paruum putes, aut vile, per excommunicationem ab ea eijci, pœna est, qua maior nulla. Quam Augustinus *supplicium animæ*, vocat. De Theodosio iuniore narrat post Theodoretum, Nicephorus, quod cum aliquando petitionem alicuius sancti reiecisset, ille eum excommunicarit, qui domum regressus, expensa excommunicationis pœna, cibum recusat, antequam absoluatur. Mittit ergo ad Patriarcham, ille respondet sententiam, vt erat, inualidam esse: quia lata erat à non habente potestatem. Imperator hoc nihil obstante, prandio abstinet, hominemque tota vrbe quæsitum, pro absolutione orat: qua impetrata animo quieuit. Erat quidem sententia inualida, non tamen contemnenda, quia multum valet apud Deum sententia Sacerdotum. *Nemo*, ait Gregorius, *excommunicationem etiam iniustam contemnat ne per hanc superbiam, efficaciam accipiat: & in quo culpa non fuit, culpa fiat.* De Classiciano scribit Augustinus, quod excommunicatus cum tota familia, diligenter pro absolutione laborarit. Theodosius senior pater iunioris Theodosij, ab Ambrosio excommunicatus, non prius lachrymis abstinuit, quam absolueretur vt narrat Theodoretus. Animæ pœna, quæ Sanctorum communione & Sacramentorum vsu priuat, omnem corporis cruciatum superat. *Secundo*, Quia Ecclesia in se diuisa non est, corpus quod connexa habet membra, & fluuius continuo fluens, vnus est: sic Ecclesia omnium locorum & temporum vna est; compage membrorum, & successione: eadem nunc, quæ ipsis Apostolorum temporibus. Vnitatem hanc explicat Apostolus, cum ait: *Vnum corpus, vnus spiritus: sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & Pater omnium:* eamque duplici similitudine explicat; *prior*, à corpore sumitur: quam explicui supra, nam vt in corpore sunt duæ partes essentiales, & tertio finis ad quem; vt homo ad Dei cultum, canis ad nostri custodiam, &c. sic in Ecclesia, *Primo*, sunt homines neque enim inuisibilis est. *Secundo*, Spiritus sanctus loco animæ, qui eam vege-

Epist. 75. ad Aux.
Theo. l. 5. hist. cap. 36.
Niceph. l. 14. cap. 3.
Hom. 16. in Euang.
Epist. 75.
Lib. 5. hist. cap. 17.
Ephes. 4. 4.
Rom. 12. 4.
1. Cor. 12. 14.

vegetat: etsi vt etiam in arboribus folia, sic hic membra multa, non viuant. *Tertio*, est finis: nempe, vita æterna, quô omnes imus, si Ecclesiæ statuta tenemus. *Posterior* sumitur, à ciuitate: cuius vnitas ex quatuor rebus pendet. *Primo*, Vnus Dominus est, de quo Apostolus: *Vnus DOMINVS noster Iesus Christus* & B. Petrus *Certissime sciat omnis domus Israel, quia & DOMINVM eum, & Christum fecit Deus.* & iam olim Zacharias: *in die illa erit DOMINVS vnus, & erit nomen eius vnum:* quia vbique idem. *Secundo*, Vna lex, qua ciues regantur: hæc in Ecclesia est quod Apostolus dicit, *vna fides*, datur autem hæc nobis in baptismo, vt sit nobis virtus. *Tertio*, Eadem signa ponderis, & mensuræ, ac insigne ciuitatis: sic Apostolus de Ecclesia ait, *vnus baptismus*: quo nomine etiam alia Sacramenta comprehenduntur, & signum crucis: quæ omnia omnibus Catholicis eadem. *Quarto*, Vnus Deus; id est, vna religio. Nulla grauior dissensio, quam religionum. Catholici vbique in hac consentiunt: nam & Afri, & Indi, Eucharistiam offerunt, Sanctos honorant, orant pro defunctis, &c. Vide iam Ecclesiæ à sectis diuersitatē & quomodo hæc quatuor illi soli conueniant. *Primo*, Christus proprius Catholicorum Dominus est, nō hæreticorum, quos Athanasius dicit *solo nomine nō re Christianos:* & alibi addit, *amisisse nomen Christianum*, quia fidem amiserunt, & nomen trahunt ab hæresiarcha suo: ab Ario, Ariani, à Marcione Marcionistæ. Idem de Eutychianis habet Leo, & Episcopi Orientis. Epiphanius eos dicit æquiuoce Christianos, quia nomen volunt, doctrinam non volunt. Platonicos nemo dicet, qui doctrinam Platonis reijciunt, etsi nomen affectent: nec Paracelsistæ, Hippocratis aut Galeni discipuli sunt, cum aliter doceant. Notarunt iam olim Irenæus, [a] Iustinus, [b] Chrysostomus, [c] Hieronymus, hæreticos omnes nomen trahere à suis ductoribus, & hoc nostro tempore id videmus in Lutheranis, Caluinistis, &c. Quod autem Catholicos dicunt *Papistas* vocari, & *Romanos*, & *Homoousianos*. Respōdeo *primo*: Nomina hæc nobis ab hæreticis impacta, nō à nobis assumpta: neque fuerunt illa apud oēs nota, nec sunt.

1. Cor. 8. 6.
Actor. 2. 36.
Zach. 14. 6.
Rom. 3. 6.
Lib. 3. de Trinit. Orat. 2. in Arianos.
Epist. 75. ad Leon. Imper.
In Breu. Liberati. diac. cap. 15.
a *Lib. 1. c. 20.*
b *Dial. cōtra Triphonem.*
c *Hom. 33.*
Acta. contra Luciferia.

Papistæ nomen quid sit, nesciunt Hispani, Indi, alijque remotiores. Caluinista vbi est, Caluinista audit. *Secundo*, Nomina hæc non ab homine deriuantur, sed ad officio, vrbe, vel articulo veræ fidei: adeoque illustrant nos, imo veritatem Ecclesiæ nostræ testantur, quod scilicet B. Petro, qui qui orbi, & vrbi *Romæ papa* præsedit, inhæreamus, ac cum Patribus Nicænis vtique orthodoxis eandem fidem teneamus. Quod rursum de Franciscanis obijciunt, & Dominicanis, item de Thomistis, & Scotistis, quæ sunt nomina ab hominum nominibus deriuata: dico ea non esse Ecclesiæ, sed familiarum, quæ omnes Christianum nomen habent commune: nunquid in castris cohortes omnes Regi militant, eiusque milites dicuntur, & tamen nominibus capitaneorum distinguuntur, vel officiorum? in vrbibus, distinctio ciuium vnitatem non tollit, sed componit. Ecclesia vrbs vna, domorum distinctionem habet; sed sub legis, fidei, & Sacramentorum eorundem participatione. Regulas scripsit Basilius, Augustinus, Benedictus, quis Ecclesiasticæ vnitatis hos dicat diuisores? vestis, & cæremoniæ solæ, Ecclesiam non scindunt: sicut nec vrbem diuersæ tribus, tribuumque insignia propria. Ampli dominij nota est, à multis coli. Porro Thomistæ, Scotistæ, Albertistæ, non fidei nomina sunt, sed scholæ: in quibus eidem articuli fidei docentur, variatio autem est in his, quæ fidei necdum sunt. Quisquis fidem violat, noster non est, hæreticus est. Ecclesia *filia Regis* vna *varietatibus amicitur*; & membra habet diuersa, corpus vnum: spiritus vnus, dona dat diuersa: non vt diuidat vnitatem, sed vt perficiat. *Secundo*, Soli nos eandem fidem habemus. Idque *primo*: quia toto orbe fides apud nos, non variat. Nam *primo*, Omnes totius orbis Catholicorum libri fidem eandem docent. *Secundo*, In generalibus Concilijs, vt nuper Tridenti visum, adsunt ex omni regione Patres, quorum fides vna. *Tertio*, Omnes Ecclesiæ Prælati; Papa, Episcopi, Abbates, &c. eandem fidem habent. *Quarto*, Toto orbe idem in concionibus auditur, in Ecclesiæ ritibus videtur.

Psal. 44.11. *1. Cor. 12.20.*

Secun-

Secundo, Eadem cum Apostolis credimus, ac omnium ætatum fidelibus. Patet hoc *Primo*: In Concilijs generalibus, & prouincialibus. Generalia posteriora, semper cum omni reuerentia doctrinam priorum susceperunt. vt patet in 18. generalibus; ab anno 327. quo celebrata est Synodus Nicæna, ad annum vsque 1563. quo absoluebatur Tridentina, celebratis. Prouincialia quoque, post Scripturam, semper Generalia Concilia amplexa sunt. *Secundo*: Omnes omnium ætatum scriptores idem docent. *Tertio*: Laborarunt hæretici, vt aliquã nobis mutationem fidei probarent, & locum, ac tempus, sed frustrà. Porrò si hæreticos videas, habent omnes vnum initium, sed quot statim duces? De Valentinianis testis Irenæus, vix tres conuenisse ex tanto numero. De Donatistis idem habet Augustinus; ac de alijs alij. Nostro sæculo, Lutherus vnus statim tres genuit principes; Confessionistas, Anabaptistas, Sacramentarios. & horum rursus quot sectæ? nam vnitatis vinculum non habent, sed initium dissentionis: scilicet iudicia singulorum, quorum quisque tantum sibi, quantum magistro tribuit. *Secundo*: Eidem fidem infidè mutant in melius, vt dicunt, cum tempore; vel disputatione cõuicti, opinionem ergo ante habebant, non fidem.

Lib. 1. c. 5.

Lib. 1. contra Donatis. c. 6.

Tertio: Catholici omnes septem veneramur Sacramenta, gratiæ instrumenta; à Patribus edocti. & per ea ab huius, & superioris æui hæreticis distinguimur. quorum tanta hic inter se lis, vt duo aliqui, tria alij, quidã quatuor admittant, omnes numero à Patribus dissentiant, & efficaciã; quam Sacramentis eripiunt, vt soli fidei ascribant. *Quarto*: Vnum Deum eodemque ritu, vbique colimus. Eucharistiam facibus, & processione, vt & ante mille & amplius annos factum, honoramus. Hæretici à maioribus suis, imò à se ipsis, in cæremonijs dissident. alij lumen, alij imagines, alij vestes sacras, & sacrificium lingua sibi vernacula retinent, cantionesque Ecclesiæ. alij omnia abijciunt. Respondent hæretici, non obstare vnitati suæ multorum defectionem; nam & ab Apostolis defecerunt Nicolaitæ, & alij. Verum multum interest; inter Ecclesiam à qua hæretici exeunt, & sectas quæ ipsæ finduntur. *Primo*: Mansit ab initio Ecclesia indiuisa, exeuntibus illis de qui-

1. Ioan. 2. 19. bus Ioannes ait: *Exierunt ex nobis, quia non erant ex nobis.* ipsi vero statim diuisi sunt. *Secundo:* Ecclesia quam egrediuntur hęretici, semper eadem dogmata retinet; hæretici vero mutant, & ante credita damnant. Anno 1517. incepit Lutherus hæresin suam, sed ab articulis paucis, paulatim plures accessere. Sacramentarij & Anabaptistæ, dein Doctrinam eius damnarunt; Confessionistę tantum mutarunt, vt nemo vnus sit, qui quod Lutherus primo triennio credidit, per omnia credat: imo nec Augustanam confessionem vlli nunc tenent, qualem obtulerunt Imperatori anno 1530. *Tertio*: Habet Ecclesia in se vnitatis principium, & conseruationem; quoties enim quæstio exoritur, antiquitatis fides quæritur, & retinetur: *Nos*, ait Lyrniẽsis; *religionem non qua volumus ducere, sed potius qua illa ducit, sequi oportet: idque est proprium Christianæ modestiæ, & paruitatis, non sua posteris tradere, sed à maioribus accepta seruare.* Cognoscamus autem hæc. *Primo:* ex concordi omniũ Doctrina. *Secundo:* ex consensu Patrum. *Tertio:* ex declaratione Papæ. Cum Agrippinus Carthagine rebaptizare inciperet, sequutus est eum Cyprianus, & alij; sed obiecit veterẽ vsum Stephanus, & vicit. Quod si vero hæc non iuuent, habemus Generalia Concilia, quibus assistentiam suam Christus promisit, ne errent. At hæretici Scripturam quidem clamant, sed quanta vnitas, iudicium plebis? quisque se intelligentiorem altero iudicat, atque ita nullus cedit.

In comm. c. 9

Act. 15. 6.

XVI. Disce ex his; quam necessarium sit, esse in Ecclesia: hæc sola docet, & pascit ad salutem: extra eam nec fides, nec salus. in hac si es, Christi membrum es, à spiritu eius vegetaris, participas eius merita, & licet mortaliter peccaris, citius per aliorum merita surgis.

Species regiminis.

Et vnus Pastor. Nona Christi proprietas, quod Pastor vnus. quia nemo totum Ecclesiæ regimen, & administrationem instituit, præter ipsum. Regiminis tres sunt species: *Monarchia*, quæ est vnius. *Aristocratia*, quæ est plurium, sed Optimatum. *Democratia*, quæ est populi. qualis est in Heluetia. Primam esse optimam probant omnes Philosophi, & exemplo suo Deus omnium Monarcha, in mundi, & populi Israelitici administratione. Caussæ vero sunt *Primo*: quia pacis

Monarchia optimum regimen.

cis initium vnitas, discordiæ pluralitas. *Secundo:* Quia solidior est vis vnita. *Tertio:* Facilius inuenitur vnus bonus, quam multi. *Quarto:* Quia vbi officia inter multos diuisa, minor est singulorum sollicitudo, & attentio. *Quinto:* inter multos frequenter inuidia est, & zelus. Christus ergo Ecclesiæ Monarchiam dedit. *Primo:* In vna ciuitate, aut diœcesi, vnus est Episcopus: vt ex Apostolo, canones docent, vnde Hieronymus. *In apibus Principes sunt. Grues vnum sequuntur ordine literato, Imperator vnus; Iudex vnus Prouinciæ, Roma condita duos fratres simul Reges habere non potuit. In Rebeccæ vtero, Esau & Iacob bella gesserunt. Quare Episcopus vnus non duo esse debent.* *Epistol 4. ad Rust. mona.*

Secundo: Toti Ecclesiæ vnus præest loco capitis. vnde Apostolus: *Non potest caput pedibus dicere, non estis mihi necessarij.* vbi sermo est de capite infirmo, & indigo alterius. quod Christo, qui nullius eget, non conuenit. Porrò si necessarius est Episcopus populo, *posuit enim Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei*: quanto magis toti Reipubl. tantoque corpori necessarius erit vnus, qui omnes contineat? ne dum quisque sibi, suisque, nemo communitati vigilet. Elegit ergo Christus ante mortem vnum, cui post resurrectionem hanc commendaret: nempe B. Petrum, qui cùm Christum dixisset *Filium Dei viui*, audiuit; *Beatus es Simon Bar-iona quia caro & sanguis non reuelauit tibi. Et tibi dico tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solueris super terram erit solutum & in cœlis.* vbi Christus *primo*: Simonem facit petram, eique firmitatem largitur. *Secundo:* Duo beneficia promittit. *primo*: quod super eum ita fundabit Ecclesiam, vt in ipso firma permaneat, & indeficiens. prædixerat autem de tali lapide, olim Isaias; *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamentis fundatum.* Fundamenta Sion, Ioannes dicit *Apostolos*, in quibus etiam Successores significantur: quos Anacletus Papa dicit, esse *Episcopos.* Lapis autem qui fundamenta seruat, Petrus est, eiusque successores:

1. Corin. 2.21. *Act. 20. 28.* *Matth. 16. 18.* *Isai. 28. 16.* *Apoc. 21. 21.* *Epist. 1.*

qui

qui rursus fundatur in Christo, quia huic omnes innituntur, & vt ait Apostolus; *Fundamentum aliud nemo potest ponere.* Huic Petrus eiusque Sedes innititur, quia ab eo per hæresin nunquam deflexit. idque non fore, persecutiones, & hominum eam occupantium malitia, satis *probauit.* atque hoc est quod promittit Christus, non *præualituras portas inferi,* id est, diaboli potentiam, & astum. Est lapis hic *pretiosus,* quia omnis boni thesaurus, & initium; *angularis,* quia duas gentes nectit in vnum. In lege naturæ ouile fidelium erat vnũ, tempore Moysis duo; diuisit enim tunc Iudæos, Aaronis sacrificium, & Pontificatus ab alijs. In noua lege rursus ouile vnum, & Pastor vnus, Petrus sub Christo. *Secundo*: Claues promittit, quæ in domo dantur Patrifamilias, & summo Oeconomo; in vrbibus, Principi. eisque aperiuntur portæ, carceres, vincula. vnde potestatis supremæ symbola sunt. adeoque promittitur hic Petro summa in Ecclesiam authoritas. *Primo*: Admittendi, & excludendi. *Secundo*: Peccata remittendi, & cœlos aperiendi *Tertio*: Leges condendi, & obligandi. *Quarto*: Vota soluendi. *Quinto*: Omnia quæ ad salutem faciunt procurandi; & quæ impediunt, amouendi. est enim ipsius, vt omnes ad cœlos perducat. Ita posita Scripturæ verba, exponunt Patres omnes; Græci, Latini: Basilius,[a] Nazianzenus,[b] Chrysostomus,[c] Cyrillus,[d] Cyprianus,[e] Hilarius,[f] Ambrosius,[g] Hieronymus,[h] Augustinus,[i] Leo[k] Maximus,[l] Hippolitus,[m] Gregorius.[n]

1. Corin. 3. 11.

Petri potestas.

a Orat de pæ. b Orat. de Modest. c Hom. 50. in Matt & 20. in Psal. 50. d Li 2. in Ioã. e Li. de Simpl. Prælat. f in 16. Matt. g Serm. 47. h in 16. Mat. i contr. epist. Donati. k Serm. 3. de assum. sua. l Hom. 50. de Apost. Petro & Paulo. m Lib de cõsum. mundi. n Li. 4. ep. 32 & li. 6. ep. 37. o Luc. 22. p epi. 190. ad Inno. q Serm. 3. de assum. sua.

Secundo, Locutus est Petro Christus de potestate hac post cœnam, cum ait,[o] *Simon Simon expetiuit Sathanas vt cribraret vos sicut triticum, ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquando, conuersus confirma fratres.* Hic Petro fidem indefecturam promitti etiam in successoribus, docet Bernardus.[p] *Oportet ad vestrum Apostolatum referri pericula quæque & scandala regni Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt: dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum, cui enim alteri sedi dictum est aliquando: Ego rogaui pro te te, vt non deficiat fides tua.* Idẽ Leo.[q] *specialis cura, Petri à Domino suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur: tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo*

muni-

munitur, & diuinæ gratiæ, ita ordinatur auxilium, vt firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum cæteris Apostolis conferatur. Hinc est illa Romanæ Sedis prærogatiua præ alijs Sedibus, quod in ea nec hæresis vnquam, nec error. ita testantur Lucius,[a] Marcus,[b] Fœlix,[c] Damasus,[d] Pelagius,[e] Agatho,[f] Nicolaus,[g] Leo nonus,[h] & alij; qui addunt ex Apostolorum mandato graues quæstiones ad eam deferendas, vt inde petatur solutio, quæ inuiolatam semper fidem, & traditionem retinuit. Cum circa annum 1112. in Lateranensi Concilio Episcopus quidam Bruno, Paschalem II. hæresis occultæ accusaret, ob priuilegia Cæsari indulta, exurgens Papa: *Fratres*, ait, *Ecclesia Catholica nūquam passa est hæresin, nam per eam omnes hæreses depressæ sunt. Filius Dei orauit pro ea dicens: Petre oraui pro te vt non deficiat fides tua.* neq; ei quisquam, vt nec superioribus idipsum scribentibus contradixit.

a *Epist. 1.* b *Ad Atha.* c *ad Benign.* d *Epist. 4.* e *Epist. 2.* f *ad Cōstant.* g *ad Michae.* h *ad Petrum Antioch.*

3. q. 16. & 1. q. 5. q. 4. 5. q. 5. Abbas Vrspergus in Chronico.

Tertio, Locutus est Petro Christus post resurrectionē, quando eum ter rogauit: *Simon Ioannis diligis me?* illeque respondit: *Domine tu scis.* tunc etenim ait: *Pasce agnos meos. Pasce oues meas.* atque ita potestatem ante promissam dedit. *Oues* commendat, & *agnos*, id est, Christianos omnes maiores, & minores; perfectos, & imperfectos. Nemo itaque à Petri monitione, correptione & obedientia exemptus, neque Principum, Regum, vel Imperatorum vllus, nisi qui nec ouis, nec agnus Christi est. Rectè ergo Chrysostomus ait, Christum Petro totum mundum, & fratres seu Apostolos commisisse. & Leo: *De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis præponatur: vt quamuis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.*

Ioan. 21. 15.

Hom. 87. in Ioan.

Serm. 3. de assumt. sua.

Disce *primo*: Christi amorem in nos, qui nostri caussa tantam potestatem homini dedit. *Primo*: Ne ab hæresi periculum sit, quia tota Ecclesia difficulter coit; vnum dedit, qui ab erroribus esset liber, Scripturamque interpretaretur infallibiliter. *Secundo*: Vt esset perfecta, vnitas toti orbi vnum præfecit, cui omnes obedirent. Festum Venerabilis Sacramenti Vrbanus IV. festum omnium SS. Gregorius IV. anno 835. instituit, calendarium Gregorius XIII. correxit. hæc hisque similia

sæcula-

sæcularium Principium nemo potest, quia toti orbi nemo imperat.

Disce *secundo*: Christi sapientiam in Monarchiæ huius successione. neque enim hæreditate transmittitur, vt regnorum quædam, quæ sæpe ideo deuoluuntur ad pessimos; sed electione, ita vt grauis sit eligentium obligatio, vt neminem nisi dignum eligant, imo maximè dignum; teste Gregorio. sicut & Petrum Christus elegit, *plus* cæteris *diligentem*. Præterea Reges multi ita præsunt, vt ad prouincias Vicarios mittant, non Dominos liberos: Papa sic præest omnibus, vt etiam Episcopi singuli Domini sint, non Papæ Vicarij. reprehensa enim hæc superbia à Pelagio, & Gregorio, in Ioanne Constantinopolitano, qui sic affectabat nomen *Oecumenici*, quasi alij non essent Episcopi, sed Vicarij. Hinc porro sequitur, Ecclesiæ regimen non esse pure Monarchicum, sed mixtum Aristocratiâ, imo quia Episcopi à Sacerdotibus eliguntur, habet etiam aliquid quasi Democratiæ.

Disce *tertio*: Vt beneficium, quod nobis Christus exhibuit, quando Vicarium sibi instituit, appendas; & pro eo gratias agas, neque cum hæreticis rideas. Christo fit, quod fit eius Vicario, neque ipse impunitum relinquet. Si Papa bonus, quid quereris, sin malus, cogita quantum sit, quod etiam per malos Deus vtiliter regat. Humilitatem cole, ac obedientiam: & in malis quoque, Deum, sicut in imagine cariosa, obserua, ac venerare.

ORA-

ORATIO.

O Domine Iesu Christe bone ouium Pastor Christianarum, Princepsque Pastorum omnium qui pro ouibus tuis spontaneè animam tuam posuisti, & quas nouisti ex nomine, eas etiam vocas, & conseruas, tuoque diuino verbo pascis: imò sanctißimo tuo corpore ac sanguine alis ac sustentas: rogamus te, intuere ouile Ecclesiæ tuæ sanctæ oculis misericordiæ, & quomodo à lupis rapacibus dispergatur intende, item feris bestijs repleatur: oues tuæ perduntur & immundis morbis inficiuntur: multi illas fures rapiunt: multi latrones feriunt ac trucidant: mercenarij proprium commodum spectant, laboremque declinant. Vniuerso huic malo medere: fac bonas oues nos, qui in caulis tuis sumus. Da Pastores qui ex animo nos pascant, & bono exemplo præeant. hæreses extermina: Pseudoprophetas qui sub velleribus ouium agnos rapiunt, extirpa. Mercenariorum voluntatem immuta eosque tales effice vt non quæ sua sunt, sed quæ tui honoris, & fidelium vtilitati expediunt, quærant: aduna oues tuas, multiplica, informa; fac eas audire vocem tuam, intellectum da, vt te cognoscant: prudentiam infunde vt alienum fugiant. Da eis in virtutibus progressum, & humiles in obedientia, simplices in iudicio effice, ne altum sapientes Pastoribus obmurmurent; sed eis credant, atque in bonis instructionibus, & vitæ sanctitate illis succedere elaborent, ac vnà tecum in æternis ac affluentibus pascuis cœlestis regni quiescant. Per te Iesu Christe, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

DOMI-

DOMINICA III. POST PASCHA.

Euangelium Ioan. 16.



N illo tempore dixit Iesus discipulis suis, Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem. Dixerunt discipuli adinuicem, quid est hoc quod dicit nobis. Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem? dicebant ergo. Quid est hoc quod dicit modicum? Nescimus quid loquitur, cognouit autem Iesus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: de hoc quæritis inter vos, quia dixi modicum & non videbitis me. Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cùm parit tristitiam habet, quia venit hora eius, cùm autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum: & vos igitur nunc tristitiam habetis. iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Breuis

Breuis Exegesis Euangelij.

ABsoluta cum Discipulis vltima cœna, cœpit Dominus cum eis de suo agere discessu, ac Spiritus S. aduentu; quæ S. Ioannes prosequitur cap. 13. postquam Iudas iam exiuisset: & cap. 14. vbi cum circa finem dixisset, *Surgite eamus hinc*. surrexerunt & *hymno* tūc, vt Matthæus habet, *dicto*, cum eisdem aliquantum substitit, ea locutus quæ cap. 15. 16. 17. Ioannes habet, multis eos modis consolans de instante iā sibi morte, ex qua plurimum contristandos sciebat. Prædixerat iam eis mortem suam, & quomodo ab vno discipulorum tradendus & à Iudæis crudeliter tractandus esset, similiter fugam eorum, & scandalum. Quibus auditis, quia dolore illi afficiebantur, multa Dominus subdidit ad eorum consolationem, atq; inter cætera præsens quoque Euangelium: in quo caussam solatij ponit, quod cito ad eos rediturus esset, dicens; *Modicum, & iam non videbitis me:* Id est, non diu ero vobiscum, hac enim nocte tollar à vobis, capientibus me Iudæis, à quibus cras tradar Gētibus, & ab his occidar: sed *iterum modicum, & videbitis me*: id est, non diu abero, tertia enim die resurgens à mortuis inuisam vos. Fiet autem vtrumque hoc, vt per mortem & resurrectionem vadam ad Patrem. Apostoli autem nihil horum intellexerūt, præsertim quod dicebat *modicum*, & *quia vado ad Patrem:* vnde interrogabant inter se, *quid est hoc quod dicit modicum et non videbitis me, et iterum modicum, & videbitis me* Et quæ est ista ratio horum; *quia vado*

Cap. 26.

ad Patrem? Non assequimur, quomodo propterea *modicum* erit quo nõ videbimus, & *iterum modicum* quo videbimus, quia vadit ad Patrem. si intelligeremus quid sit quod dicit *modicum*, fortè & rationem intelligeremus; nunc vero nescimus quid dicat. Volebant ergo eum interrogare. Porro Christus sub obscuro ista dixerat, duplici ex causa. *Primo*: vt ad verba magis aduerterent, adeoque & ad secuturam responsionem. maior enim attentio adhibetur cum ea explicari audimus, quæ ante non intelligebantur. *Secundo*: vt fidem suæ Diuinitatis corroboraret ostendens se cordis cogitationes intueri, easque reuelans. Prius enim quam interrogarint eum, sciebat quid vellent, eosque præuenit, dicens: *de hoc quæritis inter vos, quod dixi modicum & non videbitis me.* Nescientes quid istud significet (discessus vero ad Patrem non meminit, quia ex præcedentium verborum explicatione, ille poterat sufficienter intelligi) Clarius itaq; dicam, attendite: subdit ergo: *Amen, Amen.* quasi dicat, verè: vt dixi ita cito fiet. quod dixi *modicum & iam non videbitis*: significat hac nocte lacrymaturos vos, & fleturos, mundum vero, (id est, Iudęos, ac qui me non ferunt malignos) gauisurum: quin & duplicabitur tristitia vestra, tum ex passionibus meis, quem captiuum videbitis, percussum, crucifixum, & occisum; tum ex gaudio, quod Iudæi ex meis passionibus capient. veruntamen sustinete modicum, post tres enim dies videbitis me, & tristitia vestra conuertetur in gaudium; Iudæorum contrà gaudium in tristitiam. Atque hoc similitudine à puerperis ducta declarat, quarum magnus quidem est dolor, non tamen diuturnus: nato enim

puero

puero tantum gaudent, vt doloris præcedentis non meminerint. gaudium hoc diuturnum est, quia hominem sui similem genuerunt. Similiter, ait, nunc tristitia occupauit vos, quæ nocte etiam hac, & crastino die crescet, ac per triduum continua durabit, & propter absentiam mei magna erit: sed postea reuertar ad vos, & gaudebitis toto corde; gaudio tanto, ac tam continuo, vt nemo illud tollat à vobis, quemcunque cruciatum, ignominiam, tormenta inflixerit: quin augebit potius, quam minuet. Quod factum est, cùm *ibant Apostoli gaudentes, à conspectu Concilij quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam*, ac verbera *pati*.

Documenta Concionis Decimæ.

D*Ixit Iesus* DISCIPULIS *suis.* Præsentis Dominicę Euangelium, vti & quatuor sequentium, desumsit Ecclesia ex sermone Domini post vltimam cœnam, quando iam ad Iudęos abierat Iudas, vt ministros acciperet, qui Dominum caperent. Fit autem hoc propter decem caussas. 1. Euangelium hoc & sequ. cur, ex vltimo sermone sumtum

Primo: Vt omnia discamus completa, quæ tunc dixit Christus, ad roborandos nos in Diuinitatis suæ fide, vtpote quum omnia præsciuerit; & inflammandos nos in sui dilectionem, quum non coacte, sed spontaneè, vt ab omni malo liberaret nos, pati voluerit. 1.

Secundo: Vt verba eius vltima, omni quidem, sed hoc potissimum, tempore cogitaremus: quomodo vxores, & liberi, post mariti & parentum mortem, de vltimis eorum verbis, moribus, ac gestu frequenter & cogitant, & loquuntur. 2.

Tertio: Vt diligentissime testamentum CHRISTI legamus, quemadmodum filij post parentum suorum obitum, faciunt. Verba enim ista testamentum optimum sunt, in quo Christus Spiritum S. promittit, amorem præcipit, pacem relinquit, reditum suum prædicit, & pro omnium nostrum 3.

vnitate orat. Hæc ergo recogitare, atque ad ea seruanda hoc
4. tempore laborare, oportet. *Quarto*: vt occasione verborũ horum, Paschali tempore exerceamus nos, in regni cęlestis contemplatione. siquidem magnam huic meditationi materiam suggerit. Nam sicuti quadragesimæ tempus tristitiæ fuit, præsentem significans vitam ærumnis plenam; sic septem hebdo-
Tract. 7. in Ioan. mades post Pascha, gloriã significant, ait Augustin. regni cęlestis: quam passione sua nobis Christus meruit, & post Resur-
Act. 1. rectionem de ea, cum Apostolis frequẽter egit. *Quinto*: ne hoc
5. lætitiæ tempore nimium effundamur: sæcularium instar, qui veris amœnitatem, & Maij tempus, in otio ac voluptate ducunt: rati quadragesimæ pœnitentiam sibi sufficere. Ecclesia vero corporales, exterioresq; lætitias, meditatione verborum Christi temperatas vult, quæ & Christus tristis dixit, & Apostoli tristes audiuerunt. Tristitia autem hæc de interno Spiritus gaudio nihil minuit; quin hoc tanto fit maius, quo passionem Christi meditatione penetramus profundius, tanquam
6. omnis boni nostri fontem. *Sexto*: vt modum discamus, quo ad Spiritus Sancti aduentum præparemur, quem sermone isto Apostolis Christus frequenter promisit, & in festo Pentecostes dedit. eundem nobis quoque vult, & vt in no-
7. bis maneat, modo ad eum dispositi inueniamur. *Septimo*: vt
Ioan. 16. 23. doceamur, quid à Cœlesti Patre per Christum petere debeamus. Dixit enim in isto sermone Discipulis: *petite, & accipietis*. Quasi in cœlum profecturus eos monens, vt suo nomine aliquid ad Patrem demandarent. Idem quoque per Euangelia hæc monet Ecclesia; continent enim Diuina plurima, & di-
8. gna vt petantur. *Octauo*: vt quid morte sua, ac passione nobis Christus meruerit, demonstret. nempe, Spiritum Sanctum, pacem, amorem, vnitatem, & quicquid demum vltimo
9. hoc sermone præcipit. *Nono*: vt modum ostendat nouæ vitæ; si quidem cum Christo in Paschate consurreximus, Vt palmites esse debemus in vite, id est, corpore Christi, seu Ecclesia, sugentes ex ea succum, & fructus multos per Dei ac proximorum charitatem adferentes, conuersationem habentes in cęlis potius; quemadmodum & Euangelia hæc præscribunt,
10. quam in terris. *Decimo*: vt nos Christiani soli monstraremur

esse

esse Christo discipuli; factus enim hic Christi sermo Apostolis solis, egresso iam Iuda. Euangelia itaque hęc, & conciones, ceu Christi discipulus, cum humili audias obedientia, depositis animi perturbationibus: nam si Iudæ similis permanes, cupidus, iniustus, infidelis, diabolo locum concedēs, infidus, diaboli minister, hypocrita, tui ipsius magis quam Dei amator, (talis enim Iudas fuit, in quem diabolus introiuit, quemque Christus *diabolum* vocat) ineptus profecto es Euangelij, aut concionum lector, & auditor, neque vllum ex eis solatium capies, etsi septem Euangeliorum horum singulis singula proponantur consolationum argumenta. *Prima*: Dominica Christi resurrectio, qui discipulis apparuit, & potestatē remittendi peccata eis contulit. *Secunda*: Christi Saluatoris nostri sollicitudo, quam ceu verus Pastor habet de ouibus. *Tertia*: quæ præsens est. breuitas absentiæ, & gaudij, post eius ad nos reditum, diuturnitas. *Quarta*: promissio Spiritus Sancti, huius est arguere mundum, ac docere pios. *Quinta*: Exhortatio ad orationem. & exauditionis sponsio. *Sexta*: Spiritus Sanctus, qui tempore corporalis absentiæ Christi nobis consolator promittitur. *Septima*: Missio Spiritus Sanct. qui cum Patre ac Filio ad iustos venit, & mansionem apud eos facit.

Ioan. 13. 27. Ioan. 6. 70.

Materia septem Dominicarum Paschaliū.

II.

Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me. Verba hæc tribus modis intelligi possunt. *Primo*: post modicum non videbitis me; nempe, post instantem proximè captiuitatem meam, quæ postquam in horto orauerimus, continget; tunc enim tollar à vobis, tradarque in manus Iudæorum, & Gentium, aut *modicum* tempus significat, quod à præsenti erat, vsque ad diei crastini horam, qua erat moriturus, nam vsque ad horam illam potuerunt Apostoli vidisse eum. *Iterum modicum, & videbitis me.* Id est, post triduum à sepultura, quando post resurrectionem Apostolis apparuit. ita vt prius modicum ferme diem naturalem conficiat, posterius autem diem naturalem integrum, & duas partes, id est, quadraginta circiter horas. obijt enim Dominus tertia pomeridiana diei veneris, & resurrexit secunda, aut tertia matutina diei Dominicæ.

Triplex expositio horum verborum.

2. Exposit. *Secundo: Modicum & non videbitis me*; nempe, tempore passionis, ac mortis ad resurrectionem vsque; & iterum modicum, & videbitis me; tempore quod à resurrectione est, vsque ad ascensionem; qui sunt quadraginta dies. In hoc autem explicationis modo.

Nota *Primo:* Eum solis Apostolis applicari posse, à quibus tempore passionis suæ Christus abfuit, post resurrectionem verò iterum adfuit. *Secundo*: Prius *modicum* multo esse breuius posteriori, quod quadraginta dies durauit, cùm illud tantum quadraginta horarum fuerit. vt significaretur Deus tribulationes facere quam consolationem, breuiores: vnde &,

Isai. 54. 3. *ad punctum*, ait, *in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te, in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Pronior enim ad misericordiam, vtpote sibi connaturalem, est Deus, quam ad iracundiam, quæ præter naturam ei est. semper ait

Serm. 119. de tempe. August. *ad benefaciendum nobis paratus est, sed hominum malitia impeditur.*

Nota *Tertio*: Præponi modicum illud quo non videbunt, id est tempus tristitiæ: tempus verò gaudij, & quo iterum videbunt, sequi. immittit enim primo tribulationes Deus, vt probet nos, ac purget; dein cum idoneos suis consolationibus videt, perpetuo consolatur. Mundus contrà, ac diabolus, voluptatis aliquid & gaudij nobis prælibant, sed æterna dein sequitur tristitia. Itaq; solatium ex hoc modico iusti accipiunt, quia tristitia eorum breuis erit; malis contra terror incutitur, quia breue erit horum gaudium.

Nota *Quarto:* Christum modico tempore mortuum fuisse, neq; longiori quam ad confirmandam veram mortem requirebatur, cui rei triduum sufficiebat. Neque enim ex debito, aut Dei maledicto obijt, sicut nos: qui facti in Adamo mortis rei, sententiam quoque in eodem accepimus, & condemnationem. Christus *quod mortuus est, peccato*, id est, in peccati satisfactionem, *mortuus est* idq; *semel*, vt proin non debuerit in morte hærere, sed ad immortalem statim vitam resurgere.

Nota *Quinto*: Tempus suæ passionis appellasse Christum *Modicum*? vt amoris sui significaret erga nos magnitudinē, quo quic-

quicquid nostri causa patiebatur, censebat modicum. septennij seruitutem Iacob cum Rachelem amaret putauit exiguã, propter amoris magnitudinẽ. plura si Laban exegisset, maioraq; præstiturus. Christus similiter tantum dilexit nos, vt ineffabilem passionem suam (cui par nulla vnquã fuit) paruã duceret, ac verbis leuioribus extenuaret. hic eam vocat *modicum*, alibi *baptismum*, ac *calicem*: quasi passione sua reficeretur, instar fatigati hominis, quem balnei ablutio, aut vini haustus refocillat. Facit autem hoc *primo*: vt nos eam magni æstimemus. vnde & Apostolus; *Recogitate*, ait, *eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes.* Quanto enim eam Christus æstimauit leuiorem, tanto nos grauiorem æstimare debemus, & in amorem eius inflammari. *Secundo*: vt quicquid amore Christi vel toleramus, vel facimus, pro nihilo reputemus. Facile de parua aduersitate querimur, quia parua charitate Saluatorem nostrum prosequimur. Tædio capimur, ac pigritia, quia nos ipsos magis, quam Christum amamus. Apostolus aliquando necessitate compulsus, vt tribulationum suarum mentionem faceret, de eis tanquam ridiculis, quod, *loquor* ait, *non secundum Deum, sed quasi in insipientia.* & post contextum earum catalogum; *factus sum* subdit; *insipiens? vos me coegistis.* quasi dicat: passionum suarum (cum præ Christi passionibus, ac æterna gloria quæ tamen, pro eis reddetur nihil sint;) meminisse, insipientis est. Gen. 29. 20. Mar. 10. 38. Heb. 12. 3. 2. Cor. 11. 17.

Tertiam explicationem habet Augustinus; nempe, vt priori modico, tempus significetur, quod extunc intererat vsq; ad Christi ascensionem; posteriori vero, tempus ab adscensione ad extremum vsque iudicium. quasi dicat, *modicum*, id est, post quadraginta dies; *& non videbitis me*, in mundo, *quia vado ad patrem*: postea tamen *iterum videbitis me*, ad iudicium redeuntem tempus vero intermedium æternitatis cõparatione, erit modicum. Atq; hoc sensu verba hæc non solis Apostolis, sed & nobis dicũtur, qui post modicum videbimus eum, siue statim post mortem, quando singuli ei sistuntur, vt vitæ totius rationem reddant; siue post mundi consummationem, quando de cœlo descendet ad generale de omnibus iudicium. 3. Explicat.

De quo vtroque iudicio, & visione, videtur dixisse in domo Caiphæ Christus; *videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei*, cum videlicet, statim post obitũ ab illo iudicabimini, *& venientem in nubibus cœli*, ad generale iudicium.

Matt.26.64.

Nota hic *Primo*: prius modicum continere tres tantum, & quadraginta dies, posterius verò iam penè mille ac sexcentos annos habuisse, & tamẽ vtrumque, *modicum* dicitur: vt longitudinem discamus æternitatis; prę qua dies mille vnius diei instar sunt, vt regius Propheta dixit, *Mille ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriјt*: quemadmodum terrestris hæc sphæra, cuius ambitus est quinquies mille & ducentorum ac amplius milliarium, crassities vero plus quam mille & septingentorũ, cœlo tamen comparata, vt Doctiores demonstrarunt, puncti instar est, cùm ex omni terræ parte medium cœli nõ minus videant, quam si essent in terræ centro. Noli ergo tempus vitæ pręsentis, & quicquid in terra est magnum aliquid putare, aut diuturnum; sed leue, & momentaneum: quale etiam respectu cœlestium, & æternitatis, verè est. *Vitam nostram*, ait Augustin. *reputare diuturnam solemus antequam præteriјt, at vbi ad finem iam peruentum, tunc tandem quam breuis fuerit reapse experimur.*

Psal.89.4.

Tract.101. in Ioan.

Cuius rei rationes sunt. *Prima*, Nimius huius vitę amor, propter quem nolumus de fine eius meditari. *Secunda*: quia impedit diabolus ne finem videamus, sed præsentia solum, & præterita. Quod Euæ dixit olim: *nequaquam moriemini*, etiam nunc à nobis admittitur; vt nemo cuiuscunque fuerit ætatis, de morte sollicitus sit. Aliorum intuemur exitum, quibus & futuram aliquando mortem proponimus, eamq; horremus, de propria pene securi: Nemo præ ætate de anno præsenti desperat. Oporteret tamen in consideranda huius vitæ breuitate frequenter nos his, vel similibus argumentis exerceri. *Primo* quod Scriptura tempus omne, quod à Christo ad cõsummationem vsq; sæculi est, breue significet; Christus illud hic vocat *modicum*, alibi mundum dixit statim ab euersione Ierusalem consumandum. S. Ioannes vocat *nouissimam horam*. Quod si vero totum hoc tempus ita breue est, quid erit vita singulorum? quæ nullo adhuc modo, cùm eius diuturnitate conferri potest. *Secundo*: Ab Adam ad Christum vsque quater mille & plures

Gen.3.4.
Vitæ breuitas cur non cogitetur?

Quomodo cogitanda?

Matt.24.3.
1.Ioann.2.18.

plures fluxerunt anni, à Christo autem ad nos vſque mille & ſexcenti.horum vero comparatione, quantum eſt quod nos viuimus? *Tertio*: Vixerunt olim Maiores noſtri mille plus minus annos, tanto tamen tempore mors eorum iam præterijt, vt vix eorum ſuperſit memoria. *Quarto*: priuſquam maturitatem, id eſt vigeſimum ætatis annum attingas, quarta & amplius vitæ pars fluxit, reliqua eodem curſu abibunt. Cogitarunt hæc Gentilium Philoſophorum nonnulli, qui vitam hominis bullæ compararunt, aut vmbræ, imo & ſomnio vmbrę. Sumus enim bulla fragiliores, fugimus vmbra citiores, & nihil niſi per ſomnium agimus.

Nota *Secundo*: Ex vitæ præſentis breuitate, aliam impios inferre concluſionem, quam pios. Habet argumentationem illorum Sapiens; *tranſit vita noſtra tanquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſoluitur, quare fruamur bonis, vino pretioſo, & vnguentis nos impleamus, opprimamus pauperem iuſtum &c.* Vtuntur eadem argumentatione adoleſcentes, qui iniuriam ſibi arbitrantur fieri, cum ſuademus vt mundum deſerãt, quaſi ſoli illi de mũdo eſſent, ac ſub mundi Principe diabolo ſeruirent. Illi quoque, qui poſt hanc vitam negant ſupereſſe aliam, hominem putantes non niſi vt mundo frueretur, creatum. Iuſti vero ita cum Apoſtolo colligunt: *præterit figura huius mundi: dum*, ergo, *tempus habemus operemur bonum.* Tempus hoc, tempus eſt meriti; in quo quanto plura fecerimus, tanto maiora inueniemus. Ex hac porro concluſione cœnobia implentur, conuertuntur peccatores, cuſtoditur virginitas, ſuſcipitur paupertas, & pœnitentię aliarumq; virtutum opera, quemadmodum contrà ex impiorum concluſione, implentur popinæ, ac lupanaria, ſeruitur mundo, ac patratur omne malum.

Sap. 2. 3. &c.
S. Ber. ſerm. 1. de diuer ſis.
1. Cor. 7. 31.
Gala. 6. 10.

Nota *Tertio*: Miſcere in hoc mũdo Deum mala cũ bonis; vt boni, ſic & mali aliquid immittit. nemo eſt qui non de vtroq; participet, vt experiamur vtrum retinere malimus: poſt hanc enim vitam mixtionis locus non erit. Eſt ibi purum bonum ſine malo, & malum contra ſine omni bono. Si bonum hic placet, labora vt eo in æternum fruaris. Nemini quidem æternum malum placet; facit tamen imprudens electio, vt in illud incidamus. ſi æterna deſideras, temporalibus libenter

careas, ea ad cœlum præmittens; pecuniam, honores, commoda corporalia, voluptates, voluntatem, arbitrium proprium, intellectum libertatem & quicquid habes: conseruabitur enim ibi & augebitur & multiplicabitur. *Qui odit animam suã,* dixit Christus, *in vitam æternam custodit eam.* Quicquid contemnit mundus, tu contra suscipe, paupertatem, obediẽtiam, tribulationem, patientiam, & omnia sensui contraria. etenim si cum his mercibus ad Christum post hanc vitam accesseris, multa tibi retribuet: ideò enim in cœlo ista sunt cara, quia rara, aut nulla. Si contrà bona quæ de mundo sunt elegeris, æternis carebis. propter modicum quod concupiscis, æternam Dei visionem amittis. Relinquas ergo quia vtrumque simul haberi non potest, modicum pro æterno. *Qui amat animam suam,* id est, vitam, ait Christus, *perdet eam.* et si ęternitatem non videas futuram, sed præsentem duntaxat vitam, quotidiano tamen discis experimento, finiendum quod hic viuimus, & tam tibi, quam alijs omnibus, instare æternitatem. Noli ergo stultorum instar, non vltra nasum prospicere. Bestiarum est quæ ratione carent, futuris neglectis præsentia tantum sentire.

Ioan. 12. 25.

Nota *Quarto*: Dupliciter ab impijs *modicum* videri Christũ: *Primo*: hic per fidem, & pias inspirationes, ac motus internos: item in Sacramento Eucharistiæ, in quo videtur eius corpus, & suscipitur. *Secundo*: post vitam hanc. *etenim vident,* ait Gregorius, *in inferno gloriam SS ad suam pœnam, quæ ideo augebitur. Primo*: cum bona considerant, quibus peccato suo exciderunt. *Secundo*: quia à Christo, ac Sanctis videntur, ait enim *ego in interitu vestro ridebo, & subsannabo cum id quod timebatis acciderit.* Item Dauid de SS. ait, *Videbunt iusti & timebunt, & super eum ridebunt; & dicent: Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum.*

Hom. 40. in Euang.

Prouer. 1. 26.

Psal. 51. 6.

Videbunt præterea eum in iudicio, sed iratum, &, vt Dauid ait, vultu terribilem. *Ecce,* ait, *oculi Domini super iustos*: (id est, benigne eos intuetur) *Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorũ.* Timebunt igitur ab eo, & eligent potius, vt non adspiciant. Finito autem iudicio, ita firmiter ac profunde inferno cludentur, vt non iam amplius quæ in cęlo sunt

Psalm. 33. 17.

ſunt videant, ſed tenebras tantum exteriores, & ineffabiles, ac æternos cruciatus: quia cum viuerent Chriſtum neglexerunt, nec voluerunt ſequi. Tu vero hic eum imitare in vita, vt poſtea fruaris in gloria.

Nota *Quinto*: Modicum eſſe; quicquid ſiue bonum ſiue malum bonis hic accidit, & malis: nemo enim bonis ſatiatur, ſed alia ſemper deſiderat. Mala quoq; tolerabilia ſunt, & quã meruimus minora: vt proin immerito de eis contra Deũ queramur. Solatium quoq; iuſtorum, vt Bernardus deplorat, minus hic eſt quam optent, & breuius. Labore impetratur, & oratione, lacrymis, ac ieiunijs, & nihilominus, vt in Canticis patet, ſtatim pertranſit. quo modo & Apoſtoli Chriſtum quidem poſt reſurrectionem aliquando videbant, ſed non permanebat cum eis. *Vado*, erat *et venio* poſt ſuauitatem, aridi; poſt ſolatium, deſolati; poſt orationis attentionem, diſtracti. Quare ſi nec tibi eandem ſentis animi deuotionem perpetuam, noli tamen diffidere: tempus enim hoc viciſſitudinis eſt. Præpara ad Chriſti viſitationem, & cum venerit ſuſcipe, neque vllam ei diſceſſus occaſionem des: quod ſi vero ſenſibilem deuotionis affectum ſubtrahat, gratias age, quod habueris: & vt Propheta ait; *expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit*. Loquebantur duo Diſcipuli in Emaus, de his quæ Chriſtus in via dixerat, quæq; ipſi ſenſerant; *nunquid cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via & aperiret nobis Scripturas?* Sic & tibi deſolationis tempore, ſolatio ſit, quod tempore conſolationis ſenſiſti. Ridẽt impij, vt apud Iſaiam patet, cùm expectare iubentur: *Modicum*, dicentes, *ibi, modicum, ibi, exſpecta, reexpecta*: neq; cogitant miſericordię eſſe, quod ſolatium ſuum à nobis aliquando ſubtrahat Deus, neque peccatum continuo puniat. Ora vt te abundanti gratia ſua viſitet, & apud te permaneat.

Serm. 32. & 74. in Cant.

Ioan. 4. 28.

Haba. 2, 3.

Luc. 24 32.

Iſa. 28. 10.

Nota *Sexto*: Modicum mali, ac boni, diuerſimode apud bonos, & malos reperiri. habent enim boni modicum mali. *Primo*: quia dat eis Deus *lachrymas in menſura*, neque *ſinit eos tentari ſupra quam poſſunt*. *Secundo*: quia interne cõfortat eos, vireſq; ſuggerit, mala omnia perferendi. quemadmodum enim frigoris minus ſentit, qui multum bibit vini calidi, quam qui aquam:

Pſal. 79 6.
1. Cor. 10. 13.

aquam: sic facit amor Dei internus vt à Sanctis externa mala non sentiantur. ita amore hoc ardebat Franciscus, vt externo frigore non vexaretur. Mali contra modicum habent boni, & plurimum mali: bona eorum externa sunt, mala autē interna: immunda nempe, ac perturbata, & rodens conscientia. Quare sicuti diues quem continua torquet arthritis, colica, & alij morbi, miserior est, non obstantibus diuitijs, quolibet męchanico communis rei, & sano: ita peccatores quoque, non obstante externa eorum voluptate, in maioribus tamen

Psal. 44. 14. viuunt malis, quam bonis, *omnis enim decor*, ait Dauid, *filiæ Regis ab intus*; id est, nullum est verum gaudium, si ex conscientia non oriatur.

III. *Quia vado ad patrem.* Ratio cur Christum Apostoli modicū non viderent, & iterum modicum viderent; item cur & nos modicum hic nō videamus; & post hoc modicū visuri simus, impij quidem iterum modicum, iusti autem in perpetuū, hæc est. quia vadit ad Patrem. Nota ergo *Primo:* quod rectè Christus, mortem, ac resurrectionem suam, vocet viam ad Patrem: quod enim dixit; *Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem,* idem est, ac si dicat; Moriar iam, & deindè tertio die resurgam, vt sic ad Patrem vadam: præceptum enim habeo non eundi ad eum cum hoc mortali corpore, sed vt moriar prius, & resurgam. Docet itaque nos, quæ sit ad cœlum via: nempe, *primo*: per mortem spiritalem, quæ fit cum peccata relinquimus, & animi ęgritudines deponimus: sic enim vetus homo moritur. *Secundo:* per sepulturam.

Coloss. 3. 3. Vnde Apostolus; *mortui,* ait, *estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Consepultus autem Christo is est, qui per humilitatem mundum vitat, & secum pręterita peccata plangit. *Tertio:* Per resurrectionem, cum nouam diuinamque vitam Christi imitantes, virtutes inchoamus.

Nota *Secundo:* Consolatū his verbis Apostolos suos Christū, qui ob futurū eius discessum tristabantur. Dederat quidē superioribus verbis aliquam solatij materiam, dicens, quod post modicum ab eis iterum esset videndus, hic vero aliam quoq; caussam addit, cū se dicit ad Patrem ire. Iter. n. hoc & ipsis, & nobis, duplici de caussa gaudij occasio esse debet. *Primo:* ꝓpter bona

bona quę per illud Christus consequitur. *Secundo:* propter vtilitatē nostrā. Si ex paupere familia filius ab Imperatore vocaretur ad aulā, declarandus ibi Rex, esset hæc sine dubio parētibus, & fratribus, digna lætitiæ caussa; tū propter honorē filij familias; tū propter speratum alijs domesticis ab eo auxilium. Christus, *qui nō cōfunditur fratres nos vocare,* iuit ad Patrem. *Primo* sui ipsius caussà. idq; *primo:* vt Patri rationē reddat omniū, quæ iuxta mandatū eius perfecit. *Secundo:* vt pro his etiā in corpore suo prœmiū accipiat, quod meruit. *Primo.* n. humiliatus, &, vt cū Apostolo loquar, *descendit vsq; ad inferiores partes terræ;* factus, vt Dauid ait, *vermis & abiectio.* Debebat igitur super creaturas oēs exaltari. *Secundo:* graui & cruento bello mūdi superauerat Principē, qui ante ruinā suā, in cęlo fuerat Princeps Angelorū. Debebat ergo cū magno triūpho Christus inuehi Rexq; fieri cęli & terræ. vnde *vici,* ait, *& sedeo cū Patre meo in throno eius.* Subiectæ igitur sunt ei *oēs creaturæ, & data ei est omnis potestas.* *Tertio:* in corpore maiorē sustinuit cruciatū, & ignominiā, quam hominū alius quilibet. Debebat ergo maiori gloria, claritate, & alijs gloriosi corporis dotibus ornari, quā alij. Imo quia passio eius caussa est gloriæ omnium Sanctorū, solus ille maiorē habet claritatem, splendorē, speciem, & gloriam, quam alij oēs. *Quarto:* Homines oēs ex seruitute diaboli asseruit, Angelorum ruinas impleuit, ac stabilem pacem inter cœlum & terrā conciliauit. Debebat ergo ab omnibus creaturis honorari, *vt in nomine eius omne genu flecteretur,* Angelorū nempe in cœlo, quorū gloriam auxit, & Beatorū, quos eo adduxit; hominum quoq; in terra, quos sanguine & morte sua liberauit; spirituū in Purgatorio, quos etiā nunc quotidie per Missæ sacrificiū consolatur; dæmonū in inferno, quos potenter vicit, & ceu triūphata mācipia subegit; damnatarum deniq; animarū, quibus multa in hoc sęculo beneficia cōtulit, easq; in futuro citra condignū punit. *Secundo:* adscendit Christus ad Patrem, nostræ vtilitatis caussa, nēpe, *Primo:* vt pro nobis oret, & tanquam vnicus Mediator merita sua Patri exhibeat: *per semetipsum enim accessit ad Patrem, semper viuens ad interpellandum pro nobis. Non enim in manufacta sancta Iesus introiuit exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, vt appareat vultui Dei pro nobis,* vtique ad nostram vtilitatem, ideo,

[Margin notes: Matt. 28. 10. — Ephe. 4. 9. — Psal. 21. 6. — Apo. 3. 21. — 1. Cor. 15. 27. — Matt. 28. — Phil. 2. 10. — Hab. 7. 25 & 9. 24.]

Aduo-

1. Ioan. 2. 1. *Aduocatum illum apud patrem habemus.* Offert ibi sua vulnera, & sacrificium crucis continuat. *Secundo:* vt in cœlo paret nobis Ioan. 14. 2. locum, quemadmodum promisit: *Vado parare vobis locum*, in- Mich. 2. 13. troitu enim suo cœli portas, vt Michæas prædixerat, aperuit; *adscendit iter pandens ante eos.* Ingressus autem vnicuiq; nostrum secundum merita sua locum parauit; iuxta quod Salomon ait, Eccl. 16. 15. *Misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum.* & sic multæ mansiones in domo patris sunt, quas merita Iero. 2. cõtra Iouin. c. 15. nostra distinguunt, vt D. Hieronymus docet. Christus enim ea meritis suis coniungit, atque ita æternæ nobis quietis sedes parat. *Tertio*: vt nobis desiderium sequendi excitaret. vnde Colo. 3. 1. & 2. clamat Apostolus: *Si consurrexistis cum Christo quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, non quæ sursum sunt sapite non quæ super terram.* & Sanct. Athanasius, *Christus ab inferioribus terræ ad superiora translatus fuit, ad dexteram Dei Patris con-* Disp. contra Arium. *sidens, ne subsequi eo infirmitas humana dubitaret, vbi caput suum in gloria considere videt.* Quo præcessit dux, milites quoque qui cum eo fortiter pugnant, sequentur. *Quarto*: vt cor nostrum in cœlo potius esset, quam terra; & cogitaremus cœlestia ma- Matt. 6. 21. gis, quam terrena, *vbi* enim *thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* &, *si* Serm. 175. de temp. *in corde tuo fueris hic mundi impetu non torqueberis*, vt ait D. Augustinus, *Ibi sit mens, & hic erit requies.* Omnis namque inconstans turbatio animi ex turbatione oritur sæculi. *Quinto*: vt à Patre Ephe. 4. 8. nobis de cœlo diuina mittat munera. vnde Apostolus; *Christus,* ait, *ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem* (id est, Patres qui in limbo captiui fuerant) *dedit dona hominibus*: nam Paulo post misit in mundum Spiritum Sanctum, qui singulis propria diuidit dona, & quicquid nunc siue in corpore, siue in anima virtutis accipimus, per Christi habemus merita. *Sexto*: vt ex cœlo videat, ac regat nos; malorum nequitiam impediat, ac puniat; bonorum vero conatus promoueat, ac remuneret. Vnde lætari debent boni, cum Christum audiunt in cœlo esse apud Patrem, videt enim quicquid faciunt, & patiuntur. Mali contrà, habent cur tristentur, quia omnia Rom. 2. 5. eorum peccata videt Christus, ac pro his thesaurizat eis cruciatus magnos in inferno, vbi nec peccatum minimum erit impunitum.

Nota

Nota *Tertio*:in singulis huius sententiæ verbis esse aliquam energiam.primum est;*Vado*.quod significat *Primo*:Christũ neque tractum esse neq; portatũ,neq; ductum,quasi moreretur inuitus;sed quod ipsum se spontaneè tradiderit.etsi enim captus vinciebatur,trahebatur,ac protrudebatur à Iudęis,& Gẽtibus, ibat nihilominus , & spontaneè , non inuitè. *Secundo*: instare tempus passionis,quia dicit:*Vado*,id est iam in via sum, significans, iam tunc inchoari animæ passiones per tristitiam, quæ fuit in eo vsq; ad mortem. *Tertio*: semper eum ad Patrem ire,quamdiu erit hic mundus:nõ quidem in persona propria, sed in corpore suo mystico, quod est Ecclesia. ex qua aliquis quotidie ad cœlum vadit;siue ex terra,cum moriuntur sancti, siue ex purgatorio,cum animæ sunt purgatæ. Christus caput est, ac membra sua præcedit ; sicut vertex aut initium ligni quod per fenestram immittitur, primum est. hoc sensu dixit Nicodemo:*nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cœlo filius hominis,qui est in cœlo.* Ioan.3.13.

Secundum est:*AD*.quo significatur, *Primo*:Christum esse aliam Personam à Patre,etsi vnus sit cum eo Deus. quomodo & Ioannes dixit:*Verbum erat apud Deum & Deus erat verbum*,significans filium Dei eundem esse in eadem natura Deum , sed aliam personam. *Secundo* : Christum humanitate sua non adscendisse solum in cœlum , sed & ad summa cœli proximum Patri:exaltatus enim est supra omnes creaturas, sedetque ad dexteram Dei,habens omnem cum illo potestatem, vt quod vult faciat.quod iustis magno solatio est, quia omnem in eo spem habent;peccatoribus contra terrori , qui promissa minasq; eius spernunt. Ioan.1.1.

Tertium est *Patrem*.Non dicit,*Patrem meum*,sed *Patrẽ*.vt significaret,eundem quoq; esse Patrem nostrũ; vnde & post resurrectionem dixit:*adscendo ad Patrem meum,& Patrem vestrum*,nõ quod eodẽ modo Deus,noster Pater sit, quo Christi:sed quia nos filij eius sumus adoptiui , ideoq; Patrem eũ iure nominamus.Quemadmodũ si vidu⁹ ducat viduã,ac vterq; habeat ex priori matrimonio liberos,hic ab vtriusq; partis filijs pater nominatur,naturalibus, scil.ac priuignis;magno tamẽ discrimine. Vt vero hãc inter se & nos differentiã significaret Christ⁹, Ioan.20.17.

repetijt,

Catech.7. illuminat. repetijt, teste Cyrillo, dicens: *Patrem meum, ac Patrem vestrum.* quasi dicat, alio mihi titulo Pater est, quã vobis. Interim maiori iure Pater noster est, quã vitricus sit respectu priuigni: vitricus enim priuignum non tangit, nisi ratione matris, neq; naturalium eiquicquam communicat: imo solet affinitas hęc dissidia aliquando maiora parere, quam si affines non essent. Porro Deus Pater immutat nos, quo ad animam, infundens in eam Spiritum S. à quo vitam accipimus diuinam, vt non tantum filij Dei nominemur, sed & simus. *Videte*, ait Ioannes, *qualem charitatem dedit nobis vt filij Dei nominemur & simus.* 1.Ioan.3.1. firmat itaque nos, non vt vitricus, sed magis quam Pater naturalis: Reuolue omnem vitam & videbis quomodo paterne te Deus semper rexerit, & etiamnum velit regere, cui tamen non obedis, vt mirum etiam non sit, multa tibi aliter, quam velis contingere. Solamen magnum est, quod ad Patrem iuerit Christus, vt necessitates ei nostras aperiat, & ab eo nobis auxilium obtineat. Noli dubitare, quin adiuuabit te quamdiu illius manes filius.

Sacramentorum argumẽtum. Nota *quarto*: Non bene ex his verbis argumentari Sacramentarios, Christus iuit ad Patrem. Ergo. Non est apud nos, nec in Eucharistia. Respon.1. Respondetur enim *primo*: quod Christus, qui hic de suo ad Patrem abitu agit, ipsis vltimis verbis suis iam iam ad Patrem abiturus dixerit: *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Matth.28.20. Significans se corpore abeuntem, corpore quoque apud eos manere. Respon. 2. *Secundo*, quod hoc ipsum sit, quod Christus in institutione Eucharistiæ prædixit. Murmurantibus enim 72. discipulis, quod manducare deberent carnem eius, oẽs qui volunt saluari, ait: *Hoc vos scandalizat? si ergo videritis filiũ hominis ascendentẽ vbi erat prius.* Ioan.6 61. id est, si per ea quæ nunc de corporis mei manducatione dico, offendimini, quid fiet, postquã in cælum adscendero, cũ eodẽ corpore, quod præcipio mãducari? Maior tunc vobis incredulitatis videbitur occasio, nõ valentib' intelligere, quõ mãducetur idẽ corpus, q in cælũ vidistis ascẽdere. Quasi dicat, Sacramentũ hoc de quo nũc loquor, opus erit admirabile, fidei ac miraculorũ plenũ, neq;.n. solũ ero sub vna panis specie, sed p totũ quoq; terrarũ orbem, vbicunq; Sacramentũ hoc fuerit, manente

manente nihilo minus eodem corpore in cœlis. Videbatur tunc de Sacramentarijs incredulis loqui Christus, qui intellectum nollent fidei submittere, ac Christum credere simul in cœlo esse posse, & terra: Apostoli enim, & Christianorum primi, nunquam in hac re difficultatem mouerunt, Deum credentes omnipotentem, vt quicquid velit, etiam possit: audientesque verba hæc; *accipite & manducate, hoc est corpus meum,* firmiter credebant, Christum mensę accumbentem, se ipsum manibus suis portasse, quemadmodum iam ante de Dauide typice scriptum erat: *quod portabatur manibus suis,* qua de re ita Augustinus,[a] & post eum Prosper [b] *Hoc verò quomodo posset fieri in homine quis intelligat? quis portatur in manibus suis? manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in Dauide secundum literam non inuenimus; in Christo autem inuenimus. ferebatur enim Christus in manibus suis; quando commendans ipsum corpus suum ait. Hoc est corpus meum. ferebat enim illud corpus in manibus suis.* Ideoque sicut in vltima cœna Christus corporali specie, ac figura, mensæ accumbebat, & nihilo minus in suis erat, ac Apostolorum manibus, quibus sacratissimum corpus suũ distribuebat, ita nunc corporali specie in cęlo est, & nihilo minus est quoque in Venerabili Saramento, in manibus Sacerdotum consecrantium, & distribuentium. Noli de veritate hac dubitare, in qua vt Eusebius Emissenus, alijq; SS.PP. dicunt, sola nos fides instruit, non oculus, aut sensus.

1. Reg. 25. iuxt. 70.
a Conc. 1. in Psalm. 33.
b part. 2. de prædic. & præmiss. c. 25.
Serm. 5. de Pascha.

IV.

Concio audita discuti debet.

Dixerunt discipuli ad inuicem. Non intelligebant Christi verba Apostoli, ideoq; se inuicem inuitant, vt Christum interrogent quin & se mutuo interrogabant, num ea quis intelligeret; docentes nos, *primo:* Debere nos verbum Dei apud nos repetere, neq; statim dimittere, Animalia quæ munda sunt, ruminant. Ideo paruum ex concionibus fructum habemus, quia putamus satis esse, quod audiuerim⁹, aut præsentes corpore fuerimus, etiam si vel per somnolentiam, vel per distractionem, defuerit attentio. *Secundo:* vtile esse, vt domi cum vxoribus, ac liberis concio repetatur, diebus præsertim Dominicis, ac festis; quando magis oportet, vt Diuinis rebus vacemus. repetitione enim hac excitamur ad Dei cognitionem, verumq; desiderium implendi eius voluntatem. *tertio:* eniti

vt non vnum tantum documentum, aut duo, ex concione intelligantur, ſed quicquid dictum fuerit. quemadmodum Apoſtoli, etſi multa eorũ, quæ Chriſtus dixerat intelligebãt, quia tñ necdum intellexerant omnia, Chriſtum interrogare voluerunt. Quare ſine ſomnolentia omni, ac negligentia,

Ioan. 6. 72. verbum Dei audire oportet, attente, ac deuote. *quarto:* non ea ſtatim contemnere, Capharnaitarũm inſtar, quæ non intelligimus, murmurabant hi contra Dominum, & diſcedebant ab eo, quia de myſterio loqueretur eorum ingenia excedente. Contemnas magis te ipſum, ac ingenij tarditatem: Dei enim verbum ſublime eſt, ac diuinum; homo contra ſtupidus, & terrenus. Cum de baptiſmo loqueretur Chriſtus, rogabat

Ioan. 3. 9. Nicodemus: *quando poſſunt hæc fieri?* Chriſtus vero ea oſtendit eſſe Diuina, quæ, qui ſæcularia ſapiunt, (qualiter tunc ille) non intelligunt. Cum ergo audis in concione aliquid, quod non aſſequeris, noli iudicare; ſed Concionatorem conſule, qui reſpondebit tibi. Hoc ſi omnes facerent, non ita facile præcipitarent in hæreſes. Hæretici cum indoctos volunt decipere, vetant ne cum doctis Catholicis communicent, ſub falſi timoris prætextu, quaſi ab his, tanquam de hæreſi ſuſpecti, forent accuſandi. Diaboli iſta fraus eſt, qui aſtus ſuos detegi non vult. Tales ergo impoſtores, vt animarum fures habe, qui prodire metuant: hoc ſciens, inter Catholicos Sacerdotes doctos non minorem vigere charitatem, vt te ad animæ ſalutem, citra corporis damnum, inſtruant; quam hæreticorum eſt zelus vt te ſeducant. *quinto*: Iucundum eſſe Concionatori Catholico, ſi concionibus ſuis auditores moueat, atque ad peccatorum confeſſionem, & nouitatem vitæ, per-

Act. 19. 18. ducat. Quod Apoſtolo, apud Corinthios concionanti contigit, multi enim venerunt confitentes peccata ſua, & com-

Luc. 19. 8. burentes libros, quibus vſi fuerant. Cum apud Zachæum manducaſſet Dominus, multaque ſub prandio vtilia dixiſſet, ita ſtatim motus eſt Zachæus, vt dimidium bonorum pauperibus daret, ac ſi quid defraudaſſet quadruplum redderet. Cum ſimile quid facis, magnum indicium eſt, Dei verbum in

Concio quomodo audienda? te operari. Accedens porro Concionatorẽ duo hæc obſerua. *primo:* vt ſuperbiam deponas, ac humiliter inſtrui velis, verita-

tem-

temq; doceri: non Scribarum more, qui ad Christum accedebāt tentantes eum, & examinantes. *secundo:* vt firmiter apud te statuas, sequi cōsilium istud ꝙ tibi dabit. ne accedas vt adolescens ille, qui bona sua, præ Christo, qui eum sibi volebat discipulum, amauit. nam consulere initium duntaxat est, complementum vero, consilij impletio. porro non qui inceperit, sed *qui perseuerauerit vsq; in finem, saluus erit.* Matt. 21.23. Matt 19.22.

V. *Quid est hoc, quod dicit nobis modicū & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem.* Non acceperāt adhuc Spiritum S. Apostoli, ideoq; mirum nō est, si crucis prædicationem, sæcularium more non intellexerint. Dixerat iam eis Christus frequenter, moriturum se, & de hoc mundo abiturum ad Patrē, sed ad pręsens vsq;, nemo eorum ista intellexit. vt discas nō sufficere, si quis Dei verbū audiat, nisi interiori quoq; gratia à Deo illuminetur. *Dabit mihi*, ait Dauid, *intellectum vt discam testimonia tua*, & *da mihi*, orabat Salomon, *sedium tuarum assistricem sapientiam*, id est, qua in iudicijs, & instructionibus vteris. iudices enim & instructores sedent. Psal 118.34. Sap. 9.4.

Tria homines non intelligent.

Nota, *tria* esse quæ nō intelligunt, nec sibi persuadent homines. *primum* est: modicum quo nō videmus .i. breuitas vitæ huius, qua nō videmus Christū, sed per fidē tantū cognoscimus. Putatur tempus hoc à pijs ęque, ac impijs, longum. ab his quidē, quia ita viuunt quasi perpetuo victuri, nec pueri tantum, aut iuuenes, sed & senes. Ideo magna & firma excitant ædificia, agros emunt, ac reditus, pecunias corradūnt, & bona quasi in æternum eis fruituri, sed in medio sui cursus abripiuntur, coguntur q; ea relinquere. Docuit hoc exemplo diuitis cuiusdam Christus, cuius agri habebant fructus multos, qui & dicebat intra se; *anima mea habes bona reposita in annos plurimos requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, & quæ parasti cuius erunt?* Luc. 12.19.

Sic bene ait Gregorius; *hac nocte* quia homines tales in magnis tenebris moriuntur. Monebat suæ ætatis homines Noë, vt vitā emendarent, prædicens eis proximū diluuiū, illi autē cōtemto eo, *edebant*, ait Christus, *& bibebant, vxores ducebant, & dabātur ad nuptias*, spōdebantq; sibi sempiternos dies: sed ecce venit improuiso diluuiū, & oppressit oēs. Similiter nō crede- Lib. 18. Mor. c. 11. & lib. 25. c. 5. Luc. 17. 27.

 bant

Gen.19.14. bant viri Sodomitæ Loth ciuitatis euersionem prædicenti; imo nec Loth sibi ipsi eam persuadebat, ita vt debuerint eũ Angeli quasi per vim è ciuitate educere. Nihilò minus statim ab egressu eius, absorpta sunt quinque regna, cum omnibus incolis. Vnde pulchre S. Bernardus: *Dum libenter* ait, *ac iucundissimè moratur homo in mundo, diuq; se victurum arbitratur, ac multa in longa tempora miser disponit, subito rapitur in mortem, & ex improuiso, anima aufertur à corpore.*

Lib.1.Medit. c.2.

Tunc apparet quam hæc vita breuis fuerit; nam quemadmodũ his qui cũ alacritate proficiscuntur, aut in naui mensæ accumbunt cantantes, & cum voluptate edentes, via non molesta, sed breuis est: ita qui in voluptatibus hanc vitam ducunt, tandem breuitatem eius experientur. Pijs vero hæc vita longa est propter vitæ tædium. vnde & querebatur Dauid; *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.* & gemebat Apostolus: *infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* & sanctus Bernardus: *O modicum, & modicum, ô modicum longum. Pie Domine modicum dicis quod non videmus te? Saluum sit verbum Domini mei, longum est, & multum valdè nimis veruntamen vtrunque verum, & modicum meritis, & non modicum votis. Habes vtrumque in propheta. si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit* (id est è vestigio) *quomodo non tardabit si morã fecerit, nisi quod ad meritum satis est, sed non satis est ad votum, nihil deest.*

Psal.119.3. Rom.7.24. Serm.74.in Cant. Vita hæc simul longa & breuis. Habac.2.3.

2. quod homines non intelligunt.

Alterum, quod non capiunt homines modicum est, quo videmus; nempe, quod Christum non videbunt perpetuo, sed breuissimè: Durante scilicet iudicio. Cœlum sperant omnes, nemo sibi infernum expectat. Quantumcunque impudicæ, latrones, aut fures, si quærantur, quid expectent, aut quo tendant, cœlum respondent omnes. Ratio est; quia peccatorũ suorum, nec sciunt, nec appendunt magnitudinẽ: putantes ꝙ infinita Dei misericordia hæc nõ iudicabit grauiora, quã iudicent ipsi, aut in affecta tandem ætate pœnitentiã sperantes. viuunt itaq; in maximis peccatis securi, sine vllo mali exitij metu. Fiducia hæc & præsumptio nimia est, non qualis est spes iustorum, de qua Apostolus dixit: *spes non confundit.* Ideoque inuenient se illi tandem præsumptione sua deceptos, ac confusos.

Rom.5.5.

Respon-

Respondere solent; cœlum non esse anseribus creatum. sed non cogitant, peccatorem ansere, ac quauis irrationali creatura peiorem esse. Intelligunt hoc modicum pij, & qui Deum timent, ideoq; cum B. Iob verentur *omnia opera sua*, habentque iudicia eius quasi ante oculos sibi præscripta: scientes quod iudicia, viæ ac cogitationes eius exaltentur à nostris *quantum exaltantur*, ac distant *cœli à terra*, & amplius. Ideoque non sunt nimium securi, sed etiam si nihil sibi conscij sunt, cum Apostolo tamen, *non in hoc se iustificatos* putant. debet enim omnem excedere puritatem, quod æternam suscipiet, ac infinitam Diuinitatis pulchritudinem. *Iob. 9. 28.* *Isai. 55. 9.* *1. Cor. 4. 4.*

Tertium est; *vado ad Patrem*. Pauci sunt, qui vitam hanc viam putant, aut transitum. omnes fere commorandi existimant locum: ideo omnem laborem, conatum, ac cogitiones huc referunt; quicquid faciunt, pro victu est, honore, ac vitæ huius cõmodis. Si amicorũ quis moritur, quasi de iniuria à Deo sibi facta queruntur quod ætate floridos hinc abripiat. Porro qui se cogitat futuræ, ac æternę vitę natum, is hic peregrinum se habet. quod de Veteris Testamenti Patribus, testatur Apostolus: *Confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram.* 3 quod homines non capiunt. *Heb. 11. 13.*

Viator non nisi quæ ad viam sunt necessaria circumfert; vestes autem, merces, thesauros, ac cætera viæ impedimenta, domum, id est, eo vbi manere vult, ablegat. qui ergo nihil ad cœlum mittit, sed omnia hic retinet, aperte se viatorem negat. similiter, qui mortem metuit, quia tanquam cœlestis palatij porta transimus ad Patrem, is Deum non agnoscit Patrem. præ se fert, quod non ad Patrem eat, sed ad hostem inuitus abripiatur. Cogita quo animo sis cum mortem meditaris; etenim si inordinato metu percelleris, est cur te Dei filium non esse timeas, sed seruum, qui à Domino verbera expectet.

Dicebant ergo: quid est hoc, quod dicit modicum? Turbabat Apostolos verbum istud *Modicum*, quod non intelligebant, vt discamus tribus modis homines modico turbari. *primo* enim: qui animi sui sequuntur passiones, modico concitantur, iracundi modico verbo, superbi modica ignominia, auari modico damno, &c. est enim animi passio instar fili, ex quo vesi- VI. Homines tribus modis turbantur modico. I.

ca dependet inanis,& vento turgida, quæ minima etiam au-
2. ra mouetur. *Secundo*: Pusillanimes,& scrupulosi, modico, imo quod legunt, vident, vel audiunt, turbantur. omnia enim ad scrupulos suos, ac sui referunt inquietudinem. *tertio*: Turban-
3. tur sæculares, qui mundum, ac sæcularia amant, cum vel modicum horum eis negatur, vel aufertur. Nesciunt quam exiguus, ac vilis sit mundus. quia puerorum instar sunt, quibus modica etiam magna videntur, quia ipsi non sunt magni. *Scena quædam est*, ait Chrysostomus, *vita præsens, ac somnium. Sicut enim in scæna sublato velamine varia illa soluuntur, & vt somnia, & si solis illuxit radius abuolant omnia: ita & modo consummatione propinqua & omnium, & singulorum, cuncta soluuntur, atque euanescunt.* Quando nimirum Christus ipse ad iudicãdum venturus est, Corpus hoc senum perspicilia imitatur, per quę res repręsentantur quam sint, maiores: & mundus, aquæ instar est, in qua baculus similiter videtur, maior, quam sit, Qui spirituales habent oculos, nihil vident in mundo magnum, vnde & de S. Benedicto Gregorius memorat, quod mundum viderit, quasi pilam in radijs solis. Clarius videt anima à corpore separata, & tunc maiora intuens, terram sicuti est vere æstimat, rerũ omniũ vilissimã. Scribit fide dignã, de hac re historiã S. Bonifacius primus Maguntinus Archiepiscopus, & martyr, quæ contigit anno 716. moriẽte Ceolredo Merciorum in Anglia Rege, mortuus siquidem est, & Monachus quidam, qui reuixit, multaque in alio mundo visa narrauit. Inter alia autem dicebat, animã egressam à corpore omnia clarius perspexisse, ad instar hominis velum super oculos habentis, velo deposito. Videbat coram se globum terræ vniuersum, omnibus partibus suis, aquis, Prouincijs, populis instructum, ac cinctum vndequaque igni, vbi vno tempore tot animę ex terra eruperunt, quod homines in terra esse videbantur. Quas Angeli mali accusabant, excusabant verò boni. Erat inferne horribilis fluuius igni plenus, & ardenti pice, ponte stratus. Qui expertes maculæ erãt quietissimè transmittebantur, alij vero in fluuium decidebant: & alter altero secundum merita profundius submergebatur, vbi vero euaserant lucidissimi

Hom. 15 in 1. ad Tit.

4. Dialo. c. 35.

Epist. ad Eadelburg. quæ est Tom. 8. Baron. Anno 716.

dissimi apparebant. Vltra hunc fluuium amænissima terra erat & odorifera in qua multi sancti cum Christo regnabant. Primus locus purgatorium erat, in quo animæ nondum perpurgatæ gloriam suam præstolantur: & terribilis ille fluuius pice ardenti plenus, ærumnosus ille ignis est, in quo plenario satisfit pro peccatis. Quæ omnia illis quæ Sanctus Gregorius,[a] Beda,[b] & Brigitta[c] scribunt consentiunt. Idem ille defunctus Abbatem vidit quem cupidè dęmones postulabant. Verum continuo illuc splendentium animarum multitudo confluebat dicentium. Ille Doctor noster fuit, qui nos omnes ad salutem traxit. Et sic diaboli manibus subreptus fuit. vidit etiam ea quæ in mundo fiebant, in quo hominibus virtute præditis Angeli boni astitêre, qui ad virtutem illos impellerent, vidit quoque malos Angelos peccatoribus affixos, qui in grauiora eos peccata protruderent: quod vbi ab illis effectui datum, ilicò ad alios narratum hoc facinus venditabant. Iuuenculam item, quæ colum vetulæ furata fuerat vidit, & ilico diabolum cuius hortatu id ea commiserat magno cum gaudio furtum cæteris nunciantem. Vidit quoque altissimos in terra puteos in quibus damnatorum animæ puniebantur.

a 4. Dial. c. 36.
b 5. hist. Angli. c. 13.
c 4. Reuelat. c. 7.

Adducitur eò Rex ille supradictus Ceolredus, & propter scelestissimam vitam per puteos illos in infernum deijcitur. Denique anima monachi huius, qui omnia illa viderat corpori vnitur, cum mandato illo vt mulierem quandam adeat, cui omnia peccata commissa proponeret, vt ea Confessionis Sacramento expiaret. Quod ideo à Monacho factum vt significaret vera esse omnia quæ de hac visione dixisset; quandoquidem nemo conscius illorum peccatorum prætterquam sola fœmina erat. At verò prolixius volui hanc historiam pertexere, tum propter sanctitatem & doctrinam illius qui eam conscripsit; Apostolus scilicet Germaniæ, quam conuertere exorsus Anno 719. vsque in annum Christi 755. quo martyrij laurea coronatus fuit: tum vt nihil magnum esse in hoc mundo conuincam, siue bonum, siue malum, seu pœna, seu voluptas: siue gloria, siue infamia censeatur. Quare quæcunque in mundo vides exiguum reputa,

nec quicquam nisi virtutem solam admirare: quæ omnem mundi altitudinem despicit,& malum nullum, solo peccato excepto,metuit.

VII. *Nescimus quid loquitur*. Nesciebant quid loqueretur Christus Apostoli;tribus de caussis. *primo*: propter amoris quo eum prosequebantur magnitudinē,ex qua oriebatur, vt persuadere sibi non possent, sic intelligenda Christi verba,vt sonabant.Clarum satis est quid sit, *videbitis me,& non videbitis me.* item,*morior &resurgam*.quod etiam frequenter audierant;sed quia nolebant eum mori, ideo non intelligebant. vt discamus,quod amor excæcet, præsertim si purus non sit, & spiritualis; qualis non erat in Apostolis, vnde & dictum eis à Christo: *nisi abiero,paracletus*: id est,Spiritus sanctus *non veniet ad vos*. Habebant,ait Bernardus, corporale aliquod in Christo solatium, quo cordis puritas præpediebatur. Ideoque postea dixit Apostolus: *etsi cognouimus secundum carnem Christū, sed nunc iam non nouimus*. non erat amor iste Apostolorum illicitus;amabant enim Christum Deum, ac Dominum suum: erat tamen imperfectus,propter sensibile, quod ex eo capiebant,& retinere volebant,solatium. Commoda est,durante hoc solatio,Dei seruitus: sed in hoc stat perfectio nostra, vt aridi quoq; ac desolati,eum diligamus. Disce hic,*primo*:Externas affectiones fugere, si intelligere velis mandata, ac voluntatem Dei, etenim si impediuit Apostolos amor Christi sensibilis, quanto magis excœcabit intellectum amor carnalis, ac temporalium concupiscentia. Adeo Sampsonem excæcauit amor Dalilæ, vt non aduerterit fraudes eius, & insidias, quibus vtebatur,vt ei fortitudinē suam auferret.Nabal auari cor,lapidis instar obduruit. Multos menses Dauid in peccato egit,impudicitia eum excœcante, & superbia. Disce *secundo* mundum,qui malis passionibus plenus est, non posse verbū Dei intelligere,aut verum de eius spiritu iudicium ferre: polluitur enim contrarijs affectionibus, quæ contrarium ei gustū,seu iudicū,pariunt: quēadmodū febricitanti, quia lingua amarore, seu humore bilioso infecta est, dulcia videtur amara. Quare cū Diuinus te Spiritus vocat,noli cum sæcularibus consulere;nam secundum prudentiā suam sæcularē tibi consulent,

Apostolorū Ignorantia vnde.

Ioan.16.17.
Serm 3.de Ascen.Dom.
2.Cor.5.16.
Iud.17.27.
1.Reg.25.17.
2.Reg.11.& 24.

ſulent, vt parentibus adhæreas, matrimonium ineas, ad honorem aſpires, iniuriam nullam vel ignominiam feras, communem ſequaris mundi curſum, quia non intelligunt, beatiſſimum eſſe omnibus pro Chriſto renuunciare.

Secunda cauſſa eſt: quia omnino putabant non moriturũ Chriſtum, ſed perpetuo victurum, Gentemque Iudaicam ex ſeruitute, in qua erant, liberaturum. Ideo dicebant ei turbæ: *nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum*. De æternitate Chriſti frequenter agunt Prophetæ, vt cum Dauid ait, *Tu es Sacerdos in æternum*, & Daniel, *ipſe enim eſt æternus in ſecula & regnum eius non diſſipabitur, & poteſtas eius in æternum*. Ac licet frequenter de morte ſua locutus eſſet Chriſtus, nunquam tamẽ potuerunt iſtam ſibi opinionem excutere. Ex quo videas, quam noxia ſit præconcepta falſa opinio, in rebus præſertim ſenſualitatem concernentibus, & vtilibus. Putabat ſuperbus Aman amari ſe à Rege præ omnibus, ideoque conſultus ab eo de modo honorandi amicum Regis, conſilium ei dedit, ſperans eo ſe modo honorandum, ignominiam nullo modo metuens. Perſtant Concionatores hæretici in electis ſemel ſententijs, quia perſuaſerunt iam ſibi iſta deliria, atque ex eis vtilitatem temporalem ſperant. Noli eſſe in proprijs ſentẽtijs pertinax, ſed ab eis diſcede libens, cum à doctioribus, ac pijs inſtrueris.

2. cauſſa ignorantiæ.

Ioan. 12.34.

Pſal. 109.4.

Daniel. 6.16.

Eſth. 6.6.

Tertia cauſſa eſt, vt naturam diſcamus diuini verbi: quod etſi aliquibus locis clarum ſatis ſit, vt in hiſtorijs, ac doctrinis, quę ſparſim in Scriptura habẽtur: nullus tamen eſt apex, ex quo myſterium aliquod erui non poſſit. Vnde dixit Chriſtus, quod *nec iota vnum* (quæ literarũ minima eſt) *nec apex præteribit*. Aliter quam homines loquitur Deus, verba noſtra inſtar carbonum mortuorum ſunt, aut aromatum, ait Hieronymus, virtutis expertium: verba autem Dei ſuccum habẽt, & pinguedinem, quæ à ſpiritualibus Doctorib⁹ exprimitur, qui Eccleſiæ ſenſum, & Spiritum S. habent. Ne præſumas itaque, vt Scripturam, quantumcunque videatur clara, proprio ingenio explices. Eunuchum imitare Reginæ Candaces, qui cum in curru Iſaiam legeret, rogatus à Philippo Diacono, *Putaſne intelligis quæ legis*, reſpondit, *& quomodo poſſum, ſi*

3 cauſſa.

Matt. 5. 18.

Act. 8.32.

Catech.7. illuminat. repetijt, teste Cyrillo, dicens: *Patrem meum, ac Patrem vestrum.* quasi dicat, alio mihi titulo Pater est, quã vobis. Interim maiori iure Pater noster est, quã vitricus sit respectu priuigni: vitricus enim priuignum non tangit, nisi ratione matris, neq; naturalium eiquicquam communicat: imo solet affinitas hęc dissidia aliquando maiora parere, quam si affines non essent. Porro Deus Pater immutat nos, quo ad animam, infundens in eam Spiritum S. à quo vitam accipimus diuinam, vt non tantum filij Dei nominemur, sed & simus. *Videte*, ait Ioannes, *qualem charitatem dedit nobis vt filij Dei nominemur & simus.* firmat itaque nos, non vt vitricus, sed magis quam Pater naturalis: Reuolue omnem vitam & videbis quomodo paterne te Deus semper rexerit, & etiamnum velit regere, cui tamen non obedis, vt mirum etiam non sit, multa tibi aliter, quam velis contingere. Solamen magnum est, quod ad Patrem iuerit Christus, vt necessitates ei nostras aperiat, & ab eo nobis auxilium obtineat. Noli dubitare, quin adiuuabit te quamdiu illius manes filius.

1. Ioan. 3. 1.

Sacramentorum argumētum. Nota *quarto*: Non bene ex his verbis argumentari Sacramentarios, Christus iuit ad Patrem. Ergo. Non est apud nos, nec in Eucharistia. Respondetur enim *primo*: quod Christus, qui hic de suo ad Patrem abitu agit, ipsis vltimis verbis suis iam iam ad Patrem abiturus dixerit: *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Significans se corpore abeuntem, corpore quoque apud eos manere. *Secundo*, quod hoc ipsum sit, quod Christus in institutione Eucharistiæ prædixit. Murmurantibus enim 72. discipulis, quod manducare deberent carnem eius, oẽs qui volunt saluari, ait: *Hoc vos scandalizat? si ergo videritis filiũ hominis ascendentẽ vbi erat prius.* id est, si per ea quæ nunc de corporis mei manducatione dico, offendimini, quid fiet, postquã in cælum adscendero, cũ eodẽ corpore, quod præcipio mãducari? Maior tunc vobis incredulitatis videbitur occasio, nõ valentib' intelligere, qũo mãducetur idẽ corpus, q in cælũ vidistis ascẽdere. Quasi dicat, Sacramentũ hoc de quo nũc loquor, opus erit admirabile, fidei ac miraculorũ plenũ, neq;.n. solũ ero sub vna panis specie, sed p totũ quoq; terrarũ orbem, vbicunq; Sacramentũ hoc fuerit,

Respon. 1.

Matth. 28. 20.

Respon. 2.

Ioan. 6 61.

manente

manente nihilo minus eodem corpore in cœlis. Videbatur tunc de Sacramentarijs incredulis loqui Christus, qui intellectum nollent fidei submittere, ac Christum credere simul in cœlo esse posse, & terra: Apostoli enim, & Christianorum primi, nunquam in hac re difficultatem mouerunt, Deum credentes omnipotentem, vt quicquid velit, etiam possit: audientesque verba hæc; *accipite & manducate, hoc est corpus meum*, firmiter credebant, Christum mensę accumbentem, se ipsum manibus suis portasse, quemadmodum iam ante de Dauide typice scriptum erat: *quod portabatur manibus suis*, qua de re ita Augustinus,[a] & post eum Prosper [b] *Hoc verò quomodo posset fieri in homine quis intelligat? quis portatur in manibus suis? manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodò intelligatur in Dauide secundum literam non inuenimus, in Christo autem inuenimus. ferebatur enim Christus in manibus suis; quando commendans ipsum corpus suum ait. Hoc est corpus meum. ferebat enim illud corpus in manibus suis.* Ideoque sicut in vltima cœna Christus corporali specie, ac figura, mensæ accumbebat, & nihilo minus in suis erat, ac Apostolorum manibus, quibus sacratissimum corpus suũ distribuebat, ita nunc corporali specie in cęlo est, & nihilo minus est quoque in Venerabili Saramento, in manibus Sacerdotum consecrantium, & distribuentium. Noli de veritate hac dubitare, in qua vt Eusebius Emissenus, alijq; SS. PP. dicunt, sola nos fides instruit, non oculus, aut sensus.

1. Reg. 25. iuxt. 70.
a Conc. 1. in Psalm. 33.
b part. 2. de prædic. & præmiss. c. 25.
Serm. 5. de Pascha.

IV. **Concio audita discuti debet.**

Dixerunt discipuli ad inuicem. Non intelligebant Christi verba Apostoli, ideoq; se inuicem inuitant, vt Christum interrogent quin & se mutuo interrogabant, num ea quis intelligeret; docentes nos, *primo:* Debere nos verbum Dei apud nos repetere, neq; statim dimittere, Animalia quæ munda sunt, ruminant. Ideo paruum ex concionibus fructum habemus, quia putamus satis esse, quod audiuerim⁹, aut præsentes corpore fuerimus, etiam si vel per somnolentiam, vel per distractionem, defuerit attentio. *Secundo:* vtile esse, vt domi cum vxoribus, ac liberis concio repetatur, diebus præsertim Dominicis, ac festis; quando magis oportet, vt Diuinis rebus vacemus. repetitione enim hac excitamur ad Dei cognitionem, verumq; desiderium implendi eius voluntatem. *tertio:* eniti

vt non vnum tantum documentum, aut duo, ex concione intelligantur, ſed quicquid dictum fuerit. quemadmodum Apoſtoli, etſi multa corũ, quæ Chriſtus dixerat intelligebãt, quia tñ necdum intellexerant omnia, Chriſtum interrogare voluerunt. Quare ſine ſomnolentia omni, ac negligentia, verbum Dei audire oportet, attente, ac deuote. *quarto:* non ea ſtatim contemnere, Capharnaitarum inſtar, quæ non intelligimus, murmurabant hi contra Dominum, & diſcedebant ab eo, quia de myſterio loqueretur eorum ingenia excedente. Contemnas magis te ipſum, ac ingenij tarditatem: Dei enim verbum ſublime eſt, ac diuinum; homo contra ſtupidus, & terrenus. Cum de baptiſmo loqueretur Chriſtus, rogabat Nicodemus: *quando poſſunt hæc fieri?* Chriſtus vero ea oſtendit eſſe Diuina, quæ, qui ſæcularia ſapiunt, (qualiter tunc ille) non intelligunt. Cum ergo audis in concione aliquid, quod non aſſequeris, noli iudicare; ſed Concionatorem conſule, qui reſpondebit tibi. Hoc ſi omnes facerent, non ita facile præcipitarent in hæreſes. Hæretici cum indoctos volunt decipere, vetant ne cum doctis Catholicis communicent, ſub falſi timoris prætextu, quaſi ab his, tanquam de hæreſi ſuſpecti, forent accuſandi. Diaboli iſta fraus eſt, qui aſtus ſuos detegi non vult. Tales ergo impoſtores, vt animarum fures habe, qui prodire metuant: hoc ſciens, inter Catholicos Sacerdotes doctos non minorem vigere charitatem, vt te ad animæ ſalutem, citra corporis damnum, inſtruant; quam hæreticorum eſt zelus vt te ſeducant. *quinto*: Iucundum eſſe Concionatori Catholico, ſi concionibus ſuis auditores moueat, atque ad peccatorum confeſſionem, & nouitatem vitæ, perducat. Quod Apoſtolo, apud Corinthios concionanti contigit, multi enim venerunt confitentes peccata ſua, & comburentes libros, quibus vſi fuerant. Cum apud Zachæum manducaſſet Dominus, multaque ſub prandio vtilia dixiſſet, ita ſtatim motus eſt Zachæus, vt dimidium bonorum pauperibus daret, ac ſi quid defraudaſſet quadruplum redderet. Cum ſimile quid facis, magnum indicium eſt, Dei verbum in te operari. Accedens porro Concionatorẽ duo hæc obſerua. *primo:* vt ſuperbiam deponas, ac humiliter inſtrui velis, veritatem-

Ioan. 6. 71.

Ioan. 3. 9.

Act. 19. 18.

Luc. 19. 8.

Concio quomodo audienda?

temq; doceri: non Scribarum more, qui ad Christum accedebãt tentantes eum, & examinantes. *secundo:* vt firmiter apud te statuas, sequi cõsilium istud ꝗ tibi dabit. ne accedas vt adolescens ille, qui bona sua, præ Christo, qui eum sibi volebat discipulum, amauit. nam consulere initium duntaxat est, complementum vero, consilij impletio. porro non qui inceperit, sed *qui perseuerauerit vsq; in finem, saluus erit.* Matt. 21.23. Matt 19.22.

V. *Quid est hoc, quod dicit nobis modicũ & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem.* Non acceperãt adhuc Spiritum S. Apostoli, ideoq; mirum nõ est, si crucis prædicationem, sæcularium more non intellexerint. Dixerat iam eis Christus frequenter, moriturum se, & de hoc mundo abiturum ad Patrẽ, sed ad pręsens vsq;, nemo eorum ista intellexit. vt discas nõ sufficere, si quis Dei verbũ audiat, nisi interiori quoq; gratia à Deo illuminetur. *Dabit mihi*, ait Dauid, *intellectum vt discam testimonia tua*, & *da mihi*, orabat Salomon, *sedium tuarum assistricem sapientiam*, id est, qua in iudicijs, & instructionibus vteris. iudices enim & instructores sedent. Psal 118.34. Sap. 9.4.

Tria homines non intelligent.

Nota, *tria* esse quæ nõ intelligunt, nec sibi persuadent homines. *primum* est: modicum quo nõ videmus .i. breuitas vitæ huius, qua nõ videmus Christũ, sed per fidẽ tantũ cognoscimus. Putatur tempus hoc à pijs ęque, ac impijs, longum. ab his quidẽ, quia ita viuunt quasi perpetuo victuri, nec pueri tantum, aut iuuenes, sed & senes. Ideo magna & firma excitant ædificia, agros emunt, ac reditus, pecunias corradunt, & bona quasi in æternum eis fruituri, sed in medio sui cursus abripiuntur, coguntur q; ea relinquere. Docuit hoc exemplo diuitis cuiusdam Christus, cuius agri habebant fructus multos, qui & dicebat intra se; *anima mea habes bona reposita in annos plurimos requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, & quæ parasti cuius erunt?* 1. Luc. 12.19.

Sic bene ait Gregorius; *hac nocte* quia homines tales in magnis tenebris moriuntur. Monebat suæ ætatis homines Noë, vt vitã emendarent, prædicens eis proximũ diluuiũ, illi autẽ cõtemto eo, *edebant*, ait Christus, *& bibebant, vxores ducebant, & dabãtur ad nuptias*, spõdebantq; sibi sempiternos dies: sed ecce venit improuiso diluuiũ, & oppressit oẽs. Similiter nõ crede- Lib. 18. Mor. c. 11. & lib. 25. c. 1. Luc. 17.27.

Gen.19.16. bant viri Sodomitæ Loth ciuitatis euersionem prædicenti; imo nec Loth sibi ipsi eam persuadebat, ita vt debuerint eũ Angeli quasi per vim è ciuitate educere. Nihilò minus statim ab egressu eius, absorpta sunt quinque regna, cum omnibus incolis. Vnde pulchre S. Bernardus: *Dum libenter* ait, *ac iucundißimè moratur homo in mundo, diuq; se victurum arbitratur, ac multa in longa tempora miser disponit, subito rapitur in mortem, & ex improuiso, anima aufertur à corpore.*

Lib.1. Medit. c.2.

Tunc apparet quam hæc vita breuis fuerit; nam quemadmodũ his qui cũ alacritate proficiscuntur, aut in naui mensæ accumbunt cantantes, & cum voluptate edentes, via non molesta, sed breuis est: ita qui in voluptatibus hanc vitam ducunt, tandem breuitatem eius experientur. Pijs vero hæc vita longa est propter vitæ tædium. vnde & querebatur Dauid; *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.* & gemebat Apostolus: *infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* & sanctus Bernardus: *O modicum, & modicum, ô modicum longum. Pie Domine modicum dicis quod non videmus te? Saluum sit verbum Domini mei, longum est, & multum valdè nimis veruntamen vtrunque verum, & modicum meritis, & non modicum votis. Habes vtrumque in propheta, si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit* (id est è vestigio) *quomodo non tardabit si morã fecerit, nisi quod ad meritum satis est, sed non satis est ad votum, nihil deest.*

Psal.119.3. Rom.7.24. Serm.74. in Cant. Vita hæc simul longa & breuis. Hab.2.3.

2. quod homines non intelligunt.

Alterum, quod non capiunt homines modicum est, quo videmus; nempe, quod Christum non videbunt perpetuo, sed breuissimè: Durante scilicet iudicio. Cœlum sperant omnes, nemo sibi infernum expectat. Quantumcunque impudicæ, latrones, aut fures, si quærantur, quid expectent, aut quo tendant, cœlum respondent omnes. Ratio est; quia peccatorũ suorum, nec sciunt, nec appendunt magnitudinẽ: putantes ꝙ infinita Dei misericordia hæc nõ iudicabit grauiora, quã iudicent ipsi, aut in affecta tandem ætate pœnitentiã sperantes. viuunt itaq; in maximis peccatis securi, sine vllo mali exitij metu. Fiducia hæc & præsumptio nimia est, non qualis est spes iustorum, de qua Apostolus dixit: *Spes non confundit.* Ideoque inuenient se illi tandem præsumptione sua deceptos, ac confusos.

Rom.5.5.

Respon-

Respondere solent; cœlum non esse anseribus creatum. sed non cogitant, peccatorem ansere, ac quauis irrationali creatura peiorem esse. Intelligunt hoc modicum pij, & qui Deum timent, ideoq; cum B. Iob verentur *omnia opera sua*, habentque iudicia eius quasi ante oculos sibi præscripta: scientes quod iudicia, viæ ac cogitationes eius exaltentur à nostris *quantum exaltantur*, ac distant *cœli à terra*, & amplius. Ideoque non sunt nimium securi, sed etiam si nihil sibi conscij sunt, cum Apostolo tamen, *non in hoc se iustificatos* putant. debet enim omnem excedere puritatem, quod æternam suscipiet, ac infinitam Diuinitatis pulchritudinem. Iob. 9. 28. Isai. 55. 9. 1. Cor. 4. 4.

Tertium est; *vado ad Patrem*. Pauci sunt, qui vitam hanc viam putant, aut transitum. omnes fere commorandi existimant locum: ideo omnem laborem, conatum, ac cogitiones huc referunt; quicquid faciunt, pro victu est, honore, ac vitæ huius cōmodis. Si amicorū quis moritur, quasi de iniuria à Deo sibi facta queruntur quod ætate floridos hinc abripiat. Porro qui se cogitat futuræ, ac æternę vitę natum, is hic peregrinum se habet. quod de Veteris Testamenti Patribus, testatur Apostolus: *Confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram*. 3 quod homines non capiunt. Heb. 11. 13.

Viator non nisi quæ ad viam sunt necessaria circumfert; vestes autem, merces, thesauros, ac cætera viæ impedimenta, domum, id est, eo vbi manere vult, ablegat. qui ergo nihil ad cœlum mittit, sed omnia hic retinet, aperte se viatorem negat. similiter, qui mortem metuit, qua tanquam cœlestis palatij porta transimus ad Patrem, is Deum non agnoscit Patrem. præ se fert, quod non ad Patrem eat, sed ad hostem inuitus abripiatur. Cogita quo animo sis cum mortem meditaris; etenim si inordinato metu percelleris, est cur te Dei filium non esse timeas, sed seruum, qui à Domino verbera expectet.

Dicebant ergo: quid est hoc, quod dicit modicum? Turbabat Apostolos verbum istud *Modicum*, quod non intelligebant, vt discamus tribus modis homines modico turbari. *primo* enim: qui animi sui sequuntur passiones, modico concitantur, iracundi modico verbo, superbi modica ignominia, auari modico damno, &c. est enim animi passio instar fili, ex quo vesi- VI. Homines tribus modis turbantur modico. I.

 ca de-

ca dependet inanis,& vento turgida, quæ minima etiam aura mouetur. *Secundo*: Pusillanimes,& scrupulosi,modico,imo

2. quod legunt,vident,vel audiunt,turbantur. omnia enim ad scrupulos suos,ac sui referunt inquietudinem. *tertio*: Turban-

3. tur sæculares,qui mundum,ac sæcularia amant,cum vel modicum horum eis negatur, vel aufertur. Nesciunt quam exiguus,ac vilis sit mundus. quia puerorum instar sunt, quibus modica etiam magna videntur,quia ipsi non sunt magni. *Scena quadam est*, ait Chrysostomus,*vita præsens, ac somnium. Sicut enim in scæna sublato velamine varia illa soluuntur, & vt somnia, & si solis illuxit radius abuolant omnia: ita & modo consummatione propinqua & omnium. & singulorum,cuncta soluuntur,atque euanescunt.* Quando nimirum Christus ipse ad iudicãdum venturus est, Corpus hoc senum perspicilia imitatur,per quę res repręsentantur quam sint,maiores : & mundus,aquæ instar est,in qua baculus similiter videtur,maior,quam sit, Qui spirituales habent oculos,nihil vident in mundo magnum , vnde & de S. Benedicto Gregorius memorat,quod mundum viderit,quasi pilam in radijs solis. Clarius videt anima à corpore separata,& tunc maiora intuens,terram sicuti est vere æstimat, rerũ omniũ vilissimã. Scribit fide dignã,de hac re historiã S.Bonifacius primus Maguntinus Archiepiscopus, & martyr, quæ contigit anno 716.moriẽte Ceolredo Merciorum in Anglia Rege,mortuus siquidem est,& Monachus quidam,qui reuixit, multaque in alio mundo visa narrauit. Inter alia autem dicebat, animã egressam à corpore omnia clarius perspexisse, ad instar hominis velum super oculos habentis, velo deposito. Videbat coram se globum terræ vniuersum,omnibus partibus suis,aquis, Prouincijs, populis instructum, ac cinctum vndequaque igni, vbi vno tempore tot animę ex terra eruperunt, quod homines in terra esse videbantur. Quas Angeli mali accusabant, excusabant verò boni. Erat inferne horribilis fluuius igni plenus, & ardenti pice,ponte stratus.Qui expertes maculæ erãt quietissimè transmittebantur, alij vero in fluuium decidebant: & alter altero secundum merita profundius submergebatur, vbi vero euaserant lucidissimi

Hom. 15 in 1. ad Tit.

2. Dialo. c. 35.

Epist. ad Eadelburg. quæ est Tom. 8. Baron. Anno 716.

dissimi apparebant. Vltra hunc fluuium amænissima terra erat & odorifera in qua multi sancti cum Christo regnabant. Primus locus purgatorium erat, in quo animæ nondum perpurgatæ gloriam suam præstolantur: & terribilis ille fluuius pice ardenti plenus, ærumnosus ille ignis est, in quo plenario satisfit pro peccatis. Quæ omnia illis quæ Sanctus Gregorius,[a] Beda,[b] & Brigitta[c] scribunt consentiunt. Idem ille defunctus Abbatem vidit quem cupidè dęmones postulabant, Verum continuo illuc splendentium animarum multitudo confluebat dicentium. Ille Doctor noster fuit, qui nos omnes ad salutem traxit. Et sic diaboli manibus subreptus fuit. vidit etiam ea quæ in mundo fiebant, in quo hominibus virtute præditis Angeli boni astitêre, qui ad virtutem illos impellerent, vidit quoque malos Angelos peccatoribus affixos, qui in grauiora eos peccata protruderent: quod vbi ab illis effectui datum, ilicò ad alios narratum hoc facinus venditabant. Iuuenculam item, quæ colum vetulæ furata fuerat vidit, & ilico diabolum cuius hortatu id ęa commiserat magno cum gaudio furtum cæteris nunciantem. Vidit quoque altissimos in terra puteos in quibus damnatorum animæ puniebantur.

a 4. Dial. c. 36.
b 5. hist. Angli. c. 13.
c 4. Reuelat. c. 7.

Adducitur eò Rex ille supradictus Ceolredus, & propter scelestissimam vitam per puteos illos in infernum deijcitur. Denique anima monachi huius, qui omnia illa viderat corpori vnitur, cum mandato illo vt mulierem quandam adeat, cui omnia peccata commissa proponeret, vt ea Confessionis Sacramento expiaret. Quod ideo à Monacho factum vt significaret vera esse omnia quæ de hac visione dixisset; quandoquidem nemo conscius illorum peccatorum præterquam sola fœmina erat. At verò prolixius volui hanc historiam pertexere, tum propter sanctitatem & doctrinam illius qui eam conscripsit; Apostolus scilicet Germaniæ, quam conuertere exorsus Anno 719. vsque in annum Christi 755. quo martyrij laurea coronatus fuit: tum vt nihil magnum esse in hoc mundo conuincam, siue bonum, siue malum, seu pœna, seu voluptas: siue gloria, siue infamia censeatur. Quare quæcunque in mundo vides exiguum reputa,

ſulent, vt parentibus adhæreas, matrimonium ineas, ad honorem aſpires, iniuriam nullam vel ignominiam feras, communem ſequaris mundi curſum, quia non intelligunt, beatiſſimum eſſe omnibus pro Chriſto renuunciare.

2. cauſſa ignorantiæ.

Secunda cauſſa eſt: quia omnino putabant non moriturũ Chriſtum, ſed perpetuo victurum, Gentemque Iudaicam ex ſeruitute, in qua erant, liberaturum. Ideo dicebant ei turbæ: *nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum.* De æternitate Chriſti frequenter agunt Prophetæ, vt cum Dauid ait, *Tu es Sacerdos in æternum,* & Daniel, *ipſe enim eſt æternus in ſecula & regnum eius non diſsipabitur, & poteſtas eius in æternum.* Ac licet frequenter de morte ſua locutus eſſet Chriſtus, nunquam tamẽ potuerunt iſtam ſibi opinionem excutere. Ex quo videas, quam noxia ſit præconcepta falſa opinio, in rebus præſertim ſenſualitatem concernentibus, & vtilibus. Putabat ſuperbus Aman amari ſe à Rege præ omnibus, ideoque conſultus ab eo de modo honorandi amicum Regis, conſilium ei dedit, ſperans eo ſe modo honorandum, ignominiam nullo modo metuens. Perſtant Concionatores hæretici in electis ſemel ſententijs, quia perſuaſerunt iam ſibi iſta deliria, atque ex eis vtilitatem temporalem ſperant. Noli eſſe in proprijs ſentẽtijs pertinax, ſed ab eis diſcede libens, cum à doctioribus, ac pijs inſtrueris.

Ioan. 12. 34.

Pſal. 109. 4.

Daniel. 6. 16.

Eſth. 6. 6.

3 cauſſa.

Tertia cauſſa eſt, vt naturam diſcamus diuini verbi: quod etſi aliquibus locis clarum ſatis ſit, vt in hiſtorijs, ac doctrinis, quę ſparſim in Scriptura habẽtur: nullus tamen eſt apex, ex quo myſterium aliquod erui non poſſit. Vnde dixit Chriſtus, quod *nec iota vnum* (quæ literarũ minima eſt) *nec apex præteribit.* Aliter quam homines loquitur Deus, verba noſtra inſtar carbonum mortuorum ſunt, aut aromatum, ait Hieronymus, virtutis expertium: verba autem Dei ſuccum habẽt, & pinguedinem, quæ à ſpiritualibus Doctorib⁹ exprimitur, qui Eccleſiæ ſenſum, & Spiritum S. habent. Ne præſumas itaque, vt Scripturam, quantumcunque videatur clara, proprio ingenio explices. Eunuchum imitare Reginæ Candaces, qui cum in curru Iſaiam legeret, rogatus à Philippo Diacono, *putaſne intelligis quæ legis,* reſpondit, *& quomodo poſſum, ſi*

Matt. 5. 18.

Act. 8. 32.

non aliquis ostenderit mihi? Instructus ergo est ab illo, ita vt baptismum quoque in via susceperit, & non in sua solum regione quam habitabat, (id est in Æthiopia) Euangelium, vt habet Irenæus, prædicarit, sed & in Arabia, ac insula Taprobana, alijsque vlterioribus, vbi & martyr tandem obijt: vt Dorotheus[a], & Sophronius[b] referunt. Non debet Scriptura instar sæcularium literarum legi, sed cum reuerentia, ac filiali timore, vt ex ea voluntatem Dei discamus, accipiamusque Spiritum S. Nota describi à S. Ioanne Apostolorum dubitationem, ita multis verbis, vt eos ostendat valde Christi verbo turbatos fuisse, ac ex eo discas. *Primo:* Tristari, ac turbari cum aliquid de Deo audis, vel Ecclesia, quod tibi displiceat. *Secundo*, Ita esse Christo familiaris, vt absentiam eius, etiam breuem, ferre non possis. Infelix enim est, à quo vel ad momentum Christus abest. Eo namque absente omnia absunt bona, & omnia cum diabolo adsunt mala. Serua igitur statũ gratiæ, ex quo æterna salus tua pendet.

Lib. 3. c. 12.

a In Syn.
b In Crescẽte de viris illustri. Hieron.

VIII. *Cognouit autem Iesus, quod vellent eum interrogare: & dixit illis.* Solet expectare Christus, & differre responsionem, vsque dũ interrogaretur, imo & interrogare solet accedẽtes, quid vellent? vt & illos, & nos doceret orare, cum à Deo aliquid petimus. Nunc vero Apostolorum interrogationem, tribus de caussis, preuenit.

Matt. 20. 32.
Luc. 18. 41.

Primo, vt in diuinitatis suæ fide eos firmaret, grauiter enim impugnanda erat fides ista, tempore passionis: cum eum visuri essent non vt Deum, imo nec vt hominem, sed vt qui sit, *vermis, & opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Nunc ergo Deũ se eis ostendit, vtpote, cum non ea solum sciret, quæ colloquebantur in secreto, sed & quæ corde tractabant. Nunquã magis necessaria est diuinitatis Christi fides, quam cum passionem eius meditamur. Tunc enim per illam *primo*: excitamur in admirationem diuini amoris; quod cum Deus esset tantus, tanta nihilominus pro nobis pati voluerit.

Cur Apostolos hic Christus præueniat.
Psal. 21. 6.

Secundo, inflammamur ad amandum Deum, considerantes magnitudinem beneficiorum, à tanto Deo, per tantos labores, ac cruciatus, nobis præstitorum.

Tertio: venimus ad cognitionem peccati, quod tantum videmus

demus esse malum, vt non potuerit nisi ineffabili passione, & pretioso sanguine, ac amara morte, summi, & vnius Dei, expiari. Vnde dein in nobis nascitur. *Primo*, verus dolor de peccatis præteritis. *Secundo*: metus à futuris. *Tertio*: diligens cautela. *Quarto*: gratiarum actio, ac propositum Deo semper seruiendi, & placendi. *Quinto*: spes vlterioris auxilij in rebus ad salutem necessarijs.

Secunda caussa est, vt benigna responsione sua, qua Apostolorum preuenit interrogationem, & ipsos, & nos, ad sui amorem accenderet. Poterat quidem increpare eos, tanquã stupidos, & tardos, quemadmodum alibi etiam dixit. *adhuc & vos sine intellectu estis*? Item, *generatio praua & incredula quousque ero apud vos*? sed quia tristitia impleuerat corda eorum, instabatque proxime discessus suus, benigne eos etiam non rogatus alloquitur. Ostenditque *Primo*: benignitatem suam, vt & ipsi erga proximos benignitatem discerent. Docuit vltimo hoc sermone Christus facto quod ante docuerat verbo, dicens: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Simulque ostendit, quod aliquando durius eis locutus sit, non ex perturbatione animi factum, sed amore promouendi eos, ac instruendi.

Matt. 15. 16
Matt. 17. 17
Matt. 11. 29

Secundo, ostendit sollicitudinem, quã habet de suis. Videt enim desiderij nostri vota, & priusquam oremus exaudit. Vnde per Isaiam: *eritque antequam clament, & ego exaudiam: adhuc illis loquentibus ego audiam.* Ex benigna hac sollicitudine, quotidiana nobis beneficia Christus prestat, largiens quæ habemus omnia, etiam prius quam ea petamus, nam certe si preces nostras expectaret, multa nobis abessent, quę nunc adsunt abundanter. Disce igitur *primo*, Deum toto corde, ac diligenter orare. Etiam si multa concedit non oratus, quanta post orationem concedet?

Isa. 65. 24.

Secundo: vt cum tempore orandi destitueris, propositum saltem facias non peccandi, ac peccata coram Sacerdote confitendi. Sic enim fiet vt adiuuet te Deus, quemadmodum sibi cõtigisse testatur Dauid, *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Bona vero voluntas, quam respicit Deus, non est leue, ali-

Psal. 31. 6.

quod

quod, aut commune propositum, sed efficax, cui, quantum in te est, collaboras, vt in opus deducatur.

Tertia caussa est, vt doceret nos, quomodo in omnibus ab eo præueniamur, alioquin non secuturi. Ac *primo*, vt Apostolus ait, *elegit nos ante mundi constitutionem*. & Christus ipse, *Non vos*, ait, *me elegistis, sed ego elegi vos*. Vocauit *secundo*, & traxit antequam veniremus. *tertio* immittit quotidianas inspirationes, & stat, *ad ostium cordis pulsans*. *Quarto*: præuenit nos in omni bono; vnde & Dauid: *præuenisti*, ait, *eum in benedictionibus dulcedinis*, id est, abundanti dulcedine. Disce ergo vt sequaris eum, ne frustra te vocet, aut dona tibi sua offerat. Cum bonum sentis animi motum, à Christo vocari te cogita, cum Samuele respondens; *loquere Domine, quia audit seruus tuus*: & cum Apostolo rogans, *Domine quid me vis facere*? vult enim loqui tecum. Roga libens, vt in his quæ ad salutem spectant instruaris.

Ephes. 1. 4. Ioan. 15. 16. Rom. 8. 12. Ioan. 6. 7. Apoc. 3. 20. Psal. 20. 4. 1. Reg. 3. 10. Act. 9. 6.

IX. *De hoc quæritis inter vos, quia dixi: Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me*? Non omnia discipulorum verba repetit Dominus: omittit enim, *quia vado ad Patrem*. quod in hoc non esset præcipua eorum difficultas, sed in eo quod dixerat *modicum*. Ire ad Patrem bonum est, ac eo in æternum frui, summa beatitudo est, sed *modicum* non capimus, Libenter accipimus multum, & damus modicum: illibentes vero audimus de modico habendo, & multum dando. Nota verbum hoc *modicum*, in præsenti Euangelio, septies paucis interiectis repeti: vt singulis septimanæ diebus discamus, diligenter meditari de modico, ac præcipue de septem modicis, ad vitæ emendationem nos excitantibus, præsertim si vespere ea meditemur, ante, vel post habitum conscientię examen.

Septem modica. I. *Primum* est, modicum temporis iam præteriti. Habet dies 24. horas, septimana vero 7. dies; at quam cito omnes hi transierunt? Priusquam aliquid egeris vesper est; & elapsa septimana, antequam profeceris maximam quoque huius temporis partem vendicauit sibi corpus, edendo, bibendo, dormiendo, recreando, & tempus fallendo. Cogita hic, tempus futurum non fore tardius, sed æque citum, & quod fors ne sequentem quidem septimanam, imo nec diem videbis, si-

stendus

ſtēdus ante Chriſti tribunal,& æternam operum mercedem vel bonam accepturus,vel malam.

Secundum eſt , quam modicum à te Deus ad ſalutem exigat,& quam modico cælum vendat. Nihil præter amorem exigit,qui facilis eſt,& omnia facilitat,lętificat cor,ac omnes affectus. Maiora ſane ad damnationem exigit diabolus:maiores moleſtias,ſumptus,ac dolores , ſubeunt mali in ſuam perditionem,quam boni ad ſalutem:peccatum enim contra naturam eſt,adeoque moleſtius, virtus autem ſecundum naturam,adeoque facilior. 2.

Tertium:quam modicum die,vel hebdomade præſenti ad Dei honorem pręſtiteris,& quanta præſtare potueris. Modicum de eo cogitaſti,modicum oraſti,modicum gratias egiſti, modicum de eo locutus es,modicum in Eccleſijs fuiſti , modicum precibus attendiſti,modicum de vitæ termino , cœli gaudio,inferni dolore meditatus es. 3.

Quartum quam modica vitia,die,hebdomade, imo & anno præſenti depoſueris. Eadem adhuc ſuperbia , iracundia, animi diſtractione,pronitate ad gulam,luxuriam,auaritiam, cogitationes malas,verba inania,odium,inuidiam, detractionem , acediam, aliaque peccata laboras, qua anni initio. Modicum itaque in virtutibus profeciſti,ac modicum, vt te ipſum vinceres,laboraſti. Si annis ſingulis pro vna laboraſſes virtute,annis modicis eſſes perfectus. 4.

Quintum,quam modica bona opera die, vel hebdomade præſenti feceris,quibus cælum emas, quam modica habeas apud Chriſtum merita,& quam modica inuenies, eo quod dies multi bonorum operum omnino ſint vacui. Quid dices cum vacuus coram illo Domino comparueris , qui dicit, *nemo in conſpectu meo apparebit vacuus.* Cogita,quam modicum in pauperes erogaris,quam modicum eis ſecundum animam vel corpus ſuccurreris, corpus caſtigaris,ieiunaris, ac pœnitueris quam modicas animas,toto vitæ tuę tempore,lucratus ſis. 5. *Exod.23.15.*

Sextum,quam modici ſint,qui infernum euadant. Electos Chriſtus, *puſillum gregem* vocat, quia *multi vocati , pauci vero electi.* 6. *Luc.12.32.* *Matt.22.4.*

electi. Maior hominum portio damnatur, aliquanta ad purgatorium mittitur, parua vero est, quæ immediate cælum ingrediatur. Cum aliquando Innocentius tertius adhuc Cardinalis inuiseret, deuotionis gratia, sanctum aliquem Eremitam, inuenit eum humi iacentem, cumq; attrutione euigilaret: *Quam mirabilia*, ait, *& horribilia, vidi enim animas in infernum descendentes tanta copia, quanta niues cadunt, cum multitudine sua obtenebrant aerem, in purgatorium vero descendebant, instar niuis rarioris, in cælum autem solos tres vidi ingressos*; Episcopum vnum, Carthusianum vnum, ac vnam fœminam quam & nominabat. Labora, & ex paruo hoc numero vnus fias.

Lib. de de origine Carthusian.

7. *Septimum*, quam modicum ad damnationem requiratur. Vnum nempe peccatum mortale, vna impudicitia, periurium, furtum, ebrietas, cogitatio turpis, voluntas mala. Ad purgatorium vero minora adhuc sufficiunt; nempe, peccata quotidiana, verbum otiosum, cogitatio inanis, ac tempus omne transactum inaniter. Cogita quot commiseris, aut committas quotidie peccata, quibus infernum, vel purgatorium merueris. Si vno mortali peccato infernum demeremur, quid facient pluribus peccatis onusti; quid aliud vita totâ, præter sulphur parasti, & picem vt ardeas? Infelix certe peccator est, qui omni labore, ac fatigatione, non nisi ligna, & fasces meretur, quibus ipse viuus comburatur. Hoc modicum multã meditandi materiam suggerit, ac si diligenter de eo meditemur, multa quoque bona adferet. Cur enim pauci à Deo sint electi, cum tamen multi vocati, ratio alia non est, quam quia pauci hæc modica modicè appendunt.

X. *Amen, Amen dico vobis.* Dicturus aliquid peculiare Christus solet præmittere, *Amen*: quod *verè* significat, neque iuramentum est, sed dicti confirmatio: quasi dicas, *certè*. Docẽs nos ad proximi vtilitatem licitas aliquando grauiores loquendi modos, quam *ita, non*: modo cum reuerentia, & sine leuitate fiant. Vnde in S. Ioannis Euangelio, solet ad sequentium verborum, ac dogmatum commendationem, ac persuasionem, geminare *Amen*. Nusquam tamen iuramento vsus legitur, non quod id illicitum sit, sed ne exemplo suo, ad illud homines

mines prouocaret, quo etiam sponte propendent, quodque in malam consuetudinem ita ducunt, vt sæpe in æternam sui damnationem peierent. *Iuramentum*, ait Augustinus, *in seipso bonum non est, sed tamen interdum necessarium*. Cumque eo legitime vtimur, actus religionis est, quo ita Deus colitur, vt etiam proximus iuuetur. *Laudandos* dixit Dauid *omnes qui iurant in Deo*. Nimirum, *in veritate*, vt Ieremias loquitur, conditiones iuramenti describens, *& in iustitia, & in iudicio*. Etenim cum per Deum iuras, Deum profiteris esse primam veritatē, qua omnis confirmetur veritas. Ideoque cauebis sedulo, ne *primo* iures, per idola, quomodo studiosorum aliqui pulchrū putant, si per Iouem, aut Herculem iurent, cum tamen hęc ex se peccata mortalia sint. *De ser. Dom. in monte l. 1. c. 30.* *Psal 62. 12.* *Hier. 4. 2.*

Secundo: ne à quoquam iuramenta similia exigas, aut consulas, neque enim consulere licet, quicquid illicitum est. si tamen Gentilis quis, aut Turca, paratus sit per Mahometh, aut idolum suum iurare, licebit iuramentum illud admittere, & alterius peccato se iuuare, quomodo in vsuris contingit, vbi vsurarij peccato in commodum nostrum vtimur, sic permisit Iacob Laban auunculo, vt per Deos suos iuraret. *Gen. 31. 52.*

Tertio: ne iures per creaturas; nam & hoc Deus vetuit, tum, propter idololatrię periculum, tum ne facile quis peieret; iuramenta ista putans vilia, aut nulla. Quod autem Ioseph, *per Pharaonis salutem*, & Apostolus *per* Corinthiorum *gloriam* iurarit; Deum intellexerunt, salutis & gloriæ authorem. Quo sensu dixit etiam Christus, quod qui *per templum* iurat, aut *cælum*, per *Deum* iuret, qui inhabitat & colitur in eo, & cum per Sanctos iuramus, Deum intelligimus Sanctis inhabitantem. *Quarto*: ne iuramentis nouis vtaris, præsertim quæ aliquam præseferunt irreuerentiam, verbi gratia per caput, aut alia Dei mēbra, vt monet S. Pius Papa, debet enim iuramentum esse reuerentiæ plenum. Si quis dicat, Tam verè, quam viuit Deus. Magna certe blasphemia est, cum creaturarū nulla Deo sine blasphemia comparari possit. similiter si quis dicat, tam est doctus, bonus, sapiens, &c. quam Deus, præstat vt dicas, tam vere quam hic sto. Testatur *Gen. 42. 15.* *1. Cor. 15. 31.* *Matt. 23. 21.* *22. q. 1. c. 15.*

autem

autem Augustinus, iurare etiam illum, qui dicit: *Ecce coram Deo, testis est mihi Deus. Christus nouit. Deus videt,* &c. præsertim, si ista phrasi verborum nostrorum intendimus confirmationem.

Quinto, ne facile iures, ac iurationi adsuescas: tum, ne Dei maiestatem hac temeraria leuitate inhonores; tum, vt periculum vites periurij: est enim periurium omne peccatum mortale. Neque necessitatem alleges negotiationis, etenim si probus es, nec mendax, etiam non iurato tibi credent: quod si verum non putas, necessum est, vt mendacem te putes ab alijs haberi: Refert de mercatoribus duobus Cæsarius, quos Coloniæ Confessarius arguerat, ob nimiam iurandi in contractibus facilitatem. Responderunt illi, ita exigere contractus, cæteroquin se nihil vnquam vendituros: sponderunt tamen experientiam vnius anni. Anno itaque isto pauca vendiderunt, permittente id Deo: tum, ad precedentium peccatorum pœnam, tum, quia abstinebant non tam amore Dei, quam experientiæ causa. Questi ergo sunt Pastori suo, ille autem has eis rationes aperuit. Tunc igitur illi firmiter ac serio proposuerunt, nunquam se etiam paupertatis, aut iacturę periculo mentituros, aut iuraturos: & ecce videns eorum voluntatem Deus, non deseruit suos: sed tam felicem eis concessit negotiorum successum, vt breui admodum ditarentur. Atque hæc sufficiant occasione particulæ, Amen. Quæ hoc præterea nos docet, ea quę sequentur magna esse, & attentione digna.

Lib 3. c. 37.

Habet enim vtrumque verbum energiam suam. nam *Dico* significat, Christum, qui tribulationes nostras prędicit, easdem præuidere, & permittere, sine cuius permissione omnino nihil fieri potest. Ideoque in omni tribulatione solatio nobis esse debet, quod videat eam sponsus, & amicus noster Christus, qui etiam ex ea nos potest eruere. Quod si ergo non eruat, signum est ac cogitare debemus, vtilius nobis, vt eas habeamus, quam careamus. Alterum est *vobis*. Apostolis loquitur, & Christianis pijs, non infidelibus, nec impijs. Nemo enim nisi Christum amet, de Christi passione dolet. Hinc sæculi amatores ita parum sollicitos vides in hebdo-

hebdomade ſacra, vt paſſionem Chriſti meditentur, quo ex ea triſtitiam, & compaſſionem capiant. Occupantur tunc nouis veſtibus faciendis, ac domo, & ſuppellectili mundandis. Solet eo tempore Carolus Magnus ita cauere ſibi à voluptate omni, & extera ſollicitudine, vt Saxonum Princeps Wedekindus miraretur, quid tam potentem Imperatorem adeo poſſet contriſtare. Deflebat peccata ſua, paſſionis Chriſti cauſſam, & lachrymas fundebat compaſſionis, condolens tam grauibus Domini, ac Dei noſtri tormentis. Conſidera hic diligenter, vtrum Dei ſis diſcipulus, an mundi: ſi enim de paſſione eius non doles, mundanus verius, quam Chriſtianus es. *Crantzius in Metrop. lib. 1 c. 9.*

XI. *Quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos vero contriſtabimini.* Explicat hic Chriſtus primum *modicum*, quo ſcilicet eum non erant viſuri: quaſi dicat, modicum illud de quo dixi vobis; tempus triſtitiæ eſt, quo plorabitis, & flebitis. Quod breui implebitur, cum ſcilicet me hac nocte capient, & cras occident. Deſcribit autem triſtitiam hanc Chriſtus verbis grauibus, flendi, plorandi, & triſtandi: vt ſignificet Apoſtolorum triſtitiam fore grauem, intus, & foris, plenam triſtitiæ cordis, quam exterioribus lachrymis, & geſtu manifeſtarent: quodq; ea non ex ſola Chriſti paſſione, ſed etiam ex mũdi gaudio naſceretur. nam ſi de eo quis gaudeat, quod te contriſtat, tanto creſcit triſtitia, fitque maior, quanto maius eſt alterius gaudium.

Nota hic *primo*: primum inſultum in pios fieri à triſtitia: patiuntur enim aliquando iacturam bonorum, amicorum, valetudinis: vti exemplo B. Iob patet, & Thobiæ. Triſtantur autem hinc, qui imperfecti adhuc ſunt, perfecti vero, quibus certum eſt Deum habere eorum curam, neque immittere quicquam niſi ad ſalutem, iſta contemnunt. Norunt triſtitiã hanc, vt Sapiens ait, *exſiccare oſſa*, id eſt, interprete Beda, virtutes auferre, & deuotionem: vnde occiſis Nadab, & Abiu, filijs ſuis, querebatur Aaron: *Quomodo poſſum placere Deo in caremoniis, mente lugubri*? Lugent hi de maiore malo, eſtque luctus hic eis vtilor. Dixit enim de eo Chriſtus: *Beati qui lugent*. *Triſtitiam mundi*, teſtatur Apoſtolus, *operari mortem*, *triſtitiam* contra *Prima piorum impugnatio.* *Prou. 17. 22.* *Leui. 10. 19.* *Luctus perfectorum.* *Matt. 5. 12.* *2. Cor. 7. 10.*

quæ secundum Deum est, salutem. Maximum iustorum malum, peccata sunt; quæ deflent quotidie, nec mortalia solum, sed venialia quoque, etsi enim hæc animam non occidant; inficiunt tamen, & charitatem restinguunt. Vnde *ad me ipsum*, ait
Psal. 6. 4. Dauid, *anima mea turbata est*, id est, ob propria, quæ in me ipso quotidie inuenio, peccata. *Verebar*, inquit Iob, *omnia opera mea*
Iob. 9. 28. *sciens quod non parceres delinquenti.* Contristantur præterea de proximorum peccatis; & quidem duplici ex caussa. *Primo*, quia offenditur eis Deus. *Secundo*, propter mala quæ peccatores ipsi incurrunt. *Sic continuum cordi suo dolorem ex Iudæorum*
Rom. 9. 3. 2 Petr. 2. 8. *fuisse peccatis*, Apostolus scripsit, & S. Petrus, de iusto Loth ait, quod *animam eius Sodomitæ iniustis operibus cruciarent.* Contristantur *tertio*, ex meditatione passionis Christi, cuius, per peccata, ipsi causa fuerunt. item ex desiderio erga spõsum suum, & visionem Dei, tristitia eis nascitur, cum Dauide, de prolon-
Psalm. 119. 5. gatione huius *incolatus*. Ex amore vero proximi tristantur, ꝓpter miserias, & mala eius, iuxta quod Apostolus monuit; *fle-*
Rom. 12. 15. Ioan. 11. 17. *te cum flentibus*, sic lachrymatus est mortuo Lazaro Christus, cum sorores eius vidit lachrymantes. Tristitiæ porro hæ vti-
Exod. 14. 32. les sunt, & lachrymæ efficaces: suffocãt enim peccata, vt Pharaonem cum exercitu omni submersit mare rubrum; lauant animam, æstum concupiscentiæ refrigerant, lætificant cor, ac
Isai. 25. 8. Apo. 7. & 21 tandem merentur à Deo absterśionem: iuxta quod Scriptura testatur, *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum.*

Nota *Secundo*: quod etsi in mundo hoc (qui merito *vallis* nominatur *lachrimarum*) habeant iusti sufficientem ex se ipsis tristitiæ (vt statim dixi) materiem: maiorem tamen eis, quam malis, tristitiam Deus infligit, vel infligi permittit. Nemo maiores tribulationes, quam mater Dei, habuit; quæ propter maximos sui dolores, martyrum omnium est regina. Plurima
Cur iusti præ aliis patiantur? quoque ad mortem vsque passi sunt Apostoli, & Sancti omnes *per multas tribulationes* intrauerunt in regnum Dei. Cuius rei tres hæ inter cæteras sunt caussæ.

1. *Primo*, vt magnum sibi præmium per istas mereantur; neque enim tristitia, vel dolor minimus pro nomine Dei toleratus, apud eum præmio destituetur.

2. *Secundo*: vt auersi à mundo, ad cœlum, vbi nullus est dolor,

lor, adspirent. *tertio*: vt ab occultis delictis mundentur; & hic purgati, alio postea purgatorio non egeant. 3.

Nota *tertio*: quatuor hic à doctis poni tristitiæ genera. *Prima*, ex peccati detestatione oritur, ex qua iustis interiores animi lachrymæ fluunt, quæ *compunctionis* dicuntur. qualibus fleuit post negatum à se Christum, Sanctus Petrus. *Secunda*, ex deuotione nascitur. cum ob meditationẽ passionis Christi lachrymamur; dicunturque *lachrymæ deuotionis*, quibus abundanter fleuit B. Virgo, crucifixo filio suo. *tertiæ*; sunt *lachrymæ compaßionis*, cum ita proximi sentimus mala, vt propter ea fleamus. Quemadmodum Martha, ac Magdalena, ob mortem fratris. Atque has Christus istis significat verbis; *mundus autem gaudebit*. nam quemadmodum si quis ex morbi vehementia in furorem incidat, quanto is magis de furore suo gaudet, tanto maior est amicorum luctus; sic tanto magis tristantur boni, quanto magis de mundi voluptate, ac inani gloria lætantur mali: *quarta* sunt *lachrymæ afflictionis*. cum de prolongatione tristamur præsentis vitæ; atque has significat Christus, cùm dixit; *Vos contristabimini*. Manet enim in iustis tristitia hæc, qui die pariter, ac nocte, aduentum dilecti sui anhelant, sine quo displicet eis quicquid in mundo est.

Quatuor genera tristitiæ. 1. 2.

Nota *Secundo*, quod *mundus*, dupliciter à doctis intelligatur. quidam enim mundo deditos, eiusque amatores intelligunt; qui *mundus* dicuntur, quia anima, & corpore, in eo habitant, ac mundi principi, id est, diabolo seruiunt, facientes eius voluntatem. Leges mundi in vestibus, cibo, potu, sermone, cogitatu, opere, ac omissione seruant. neque procedent vnquam extra locum Principis sui, id est, mundi centrum. Boni contra, peregrini huius mundi dicuntur, & *aduenæ*, quorum habitatio & thesaurus *in cœlo* est, vnde cœli etiam leges, ac Principis cœli in omni opere, sermone, ac cogitatione, seruant. Theophylactus autem per *mundum*, bonos intelligit in mundo degentes, post resurrectionem præcipue Christi; quos *gaudere* dicit, de eo vnde tristabantur Apostoli; de passione nimirum Domini: sed diuerso prorsus modo. De passione enim Domini tristari oportet

Mundus duo significat. 1. 2. acceptio

Primo, compatiendo. *Secundo*, quia peccata nostra illius causa fuerunt, & occasio. Lætamur vero de eadem; quia maledictionem omnem à nobis abstulit, collatis contra omnibus bonis. Ideo mulieribus dixit Christus: *Nolite flere super me*; de cruce enim nobis omne bonum descendit.

Luc. 23.28.

XII. *Sed tristitia vestra conuertetur in gaudium*. Hæc est explanatio posterioris *modicum*; quo scilicet Christum erant visuri iterũ.

Nota *primo*: cum Ruperto; plus hic significari, quã exprimat Christus: nempe, quod gaudium mundi conuertendum sit in tristitiam: quod non dixit Christus, *primo*, quia voluit solari Apostolos, quod sufficienter facit promittens eorum tristitiam in gaudium conuertendam. *secundo*, ne Apostolos magis contristaret, quorum tantus erat erga proximos amor, vt de horum siue amicorum, siue inimicorum, malo dolerent. *tertio*, vt nos doceret, nunquam de proximorum gaudere aduersitatibus. neq; enim ex defectu eorum nos proficimus. *quarto*, quia multi eorum qui cum mundo gaudebant, per Apostolos erant conuertendi, quemadmodum in Pentecoste, & paulo post factum est; cum primo tria, dein quinque hominum millia fidem acceperunt.

Act. 3. & 4.

Nota *Secundo*, verbum illud *tristitia vestra*; id est, bonorum hominum, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. nam & mali suam tristitiam habent, sed de eius conuersione non loquitur Christus: hæc autem paulatim crescit, neque gaudio concluditur. Hæreticos sui temporis, ac præsertim Donatistas, refert Augustinus, iactitasse se beatos, quia persecutionem patiebantur: sed respondit illis, quod facinorosis omnibus communiter respondetur, qui propter scelera puniuntur: non dixisse Christum, beatos *qui persecutionem patiuntur*, absolute, sed *propter iustitiam*: Si quis ergo patitur vt malefactor, non ex hoc beatus est, neque solatium, sed maiores paulatim cruciatus, speret, donec æternis inferni supplicijs inuoluatur. Duæ viæ, quas mali hic, & boni ambulant, ita discretæ sunt; vt bonorum via initio aspera sit, & incommoda, sed paulatim & consuetudine, & gratia Dei, quæ in passionũ expugnatione nos iuuat, mitigatur: donec ad æterna perducat gaudia. Malorum vero, statim sui initio pulchra videtur, & mol-

L. 1. contr. epist. Parm.

Matt. 5. 10.

Duę hominum viæ.

& mollis,sed crescunt paulatim sordes eius,& salebræ:crescit enim passionum nostrarum impetus,& fortius insurgit. Non est eadem semper mundi amicitia, nec diabolus à noxijs cogitationibus perpetuo quiescit. Senectus morbos secum,& mala multa adfert, quantoque mors fuerit vicinior, tanto à virtutibus absumus longius,nec possumus nos dare pœnitẽtiæ:ac proin desperatio sequitur,& æternus interitus. Clamabat sub vitæ finem ad Deum scelestus Antiochus,sed frustra; quia orabat male:qui enim toto vitæ tempore humi proserpsit,non potest sub finem se,nisi speciali iuuetur gratia,erigere:gratiam autem paucis peccatoribus concedit Deus,qui sanitate sua ad peccandum abusi sunt. *2.Mac.9.13.*

Nota *Tertio:* conuersionem hanc tristitiæ bonorũ, in gaudium;& contra,gaudij malorum in tristitiam; & in præsenti sæculo fieri,& in futuro. Non vult perpetuam suorum tristitiam Deus;monet enim per Scripturas, vt *cum iucunditate* seruiamus illi;*semper gaudentes.* Est autem gaudium hoc internũ, & significatur,per *panem absconditum*, de quo dixit Christus; *Vincenti dabo manna absconditum.* Cuius suauitatem,si necdum sentis,est cur timeas,adspersam adhuc cordi tuo farinam Ægypti,id est,vana mundi gaudia,in fabulis,ornatu,aut similibus,quæ suauitatem istam impediant,& acerbent. Diabolus quoque suorum gaudium non quærit,sed externam eis lætitiam permittit, donec sibi perfecte subiecerit; quo facto, omnia eis inducit mala. O vtinam cogitarent mali,quam cito, & subito,eripienda eis sit omnis voluptas! Lætabatur in aula sua cum vxore,& concubinis Balthassar, sed cum duos digitos vidit in pariete, tria verba describentes, dissolutum est cor eius,conterritusque grauiter cum suis,eadem quoq; nocte interfectus est,& ciuitas occupata ab hostibus. Cur autẽ gaudium malorum cito deficiat, bonorum vero non item: ratio est,quia illorum gaudium externum duntaxat est,horũ vero internum. Quemadmodum ergo fucata mulier picturatam speciem,si lauetur,amittit, quæ vero natiuam speciem habet,lotione fit pulchrior:& quemadmodum is qui alieno ornatur capillitio,comam amittit, si apprehendatur; quod non contingit ei,qui crine vtitur natiuo:sic peccator, qui nõ

Mutatio tristitiæ bonorum vbi fiat.

Psalm.99.2.
1.Thess.5.16.
Apo.2.17.
Dan 5.30.

Cur gaudiũ malorum breue sit.

nisi exteriorem visus, auditus, odoratus, &c. voluptatem habet, ea priuatur statim, superueniente aliqua molestia; obitus amicorum, aut alio infortunio; imo tonitru, aut leui strepitu. Iustus vero, qui animo gaudium fouet, eo non spoliatur: nam
Prou. 12. 21. *non contristabit iustum quidquid ei acciderit.*

Tristitia bonorum vertitur in gaudium.

Nota *Quarto*; Tristitiam bonorum quatuor modis conuerti in gaudium. *primo*, quia tristitiam sequitur gaudium; quomodo in Paschate lætati sunt, post triduanam tristitiam
1. Apostoli. *Secundo*, quia ipsum illud quod nos contristauit, fit
2. materia gaudij: quomodo contristauit bonos passio Christi, quæ tamen & ipsis, & nobis, dein lætitiæ caussa fuit, propter natas nobis ex ea vtilitates. Sic tormenta, cruciatus, & suscepta pro vera fide à Martyribus vulnera, gloriæ nunc materies
22. de Ciu. c. 20. sunt; dum torta membra, & vulnera, tanto fulgent clarius, quanto cruciatus fuerunt grauiores: vt Augustinus docet. *ter-*
3. *tio*, quia de eo lætamur, quod nos contristare solet. Sic Apostoli, qui ante Christi passionem formidabant, & horrebant à persecutionibus; post mortem eius, & adscensionem, accepto
Act. 5. 41. Spiritu Sancto, gauisi sunt, quando *digni habebantur pro nomine Iesu contumeliam pati.* Tristantur mundi amatores, si domi cõtineantur, nec cum alijs possint choreas frequentare, aut inanes lusus; vel non possint æque comi; vel cum confiteri debent, aut Eucharistiam suscipere, aut aliquanto diutius in templo detineantur: sed quando ad Deum vere
Ser. 1. de diuersis. conuertuntur; *aqua*, ait Bernardus *in vinum, tristitia ista conuertitur in gaudium*: & dulcia fiunt quæ prius amara videbantur.
4. *Quarto*: quia tristitia parit gaudium, qui magno luctu peccata deflet, ex lachrymis magnam animi quietem sentit, ac interius gaudium, & desiderium seruiendi Deo. Flebat peccata sua Magdalena, lachrymis Christi pedes rigans, & dedit ille peccatorum ei remissionem, atque tanto sui amore incendit, vt nihil, præter ipsum, ac diuina eius verba, desideraret. Hanc sequere. nam si interna quæris animi gaudia, abscindere oportet, imo deflere mundi vanitates.

XIII. Cur scriptura frequenter puerpe-

Mulier cum parit, tristitiam habet: quia venit hora eius. Scriptura frequenter puerperæ meminit; *Primo*: vt in memoriam reuocet primum parentum nostrorum peccatum, ex quo mulie-
tes

res dolores istos contraxerunt. atque ita peccati discamus ra meminerit.
malitiam, quod tantum malum non soli Euæ, quę peccatum 1.
fecit, sed omnibus quoque puerperis induxit. *Secundo*, vt ini- 2.
tium aduertamus vitæ nostræ. nascimur enim flentes, cum magno matrum dolore, quo significamur, nihil ex nobis boni, sed solam tristitiæ materiam habere. *Tertio*: vt virgines discant ante matrimonij contractum, sedulo Euæ maledictiones expendere. Quinque dixit ei Deus; *Primo, multiplicabo ærumnas tuas*, id est, dolores, (conceptionis scilicet, & postquam impręgnata fueris:) qui tanti sunt, vt mira de eis Gentiles quoque prodiderint. Atque de his loquens Thobias senior filio suo; *Memor*, ait, *esse debes, qua, & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo, mater tua*. Ex his sunt dolor capitis, nauseationes, tædia, orexes, angores, &cæt. *Secundum* est, *Multiplicabo conceptus tuos*; id est, liberorum generationem; quæ verba etsi benedictionem sonare videantur, magnam tamen maledictionem continent: quia plures multo post peccatum nascuntur, quam nati fuissent in statu innocentiæ. tunc enim omnes fuissent saluandi, nunc vero potior pars damnatur. Magna autem matrum maledictio est, genuisse damnatum.

Euæ pœna quintuplex 1. Gen. 3.16. Aristot. 7. de hist. anim. c. 4. Plin. l. 6. c. 6. & 7. Tob. 4. 4. 2.

Tertium est; *In dolore paries filios*. Dolor hic non vulgaris est, 3.
sed grauissimus, & periculi plenus: sæpe enim mortem caussat, aut vt minus aliquod dies perdurat. aliquando etiam cadauer producitur, atque ita noua est tristitiæ caussa: demum aliquando fœtus in matris vtero moritur, & matrem paulatim occidit. *Quartum* est; *Sub viri potestate eris*: aut, vt in 4.
Hebræo est, *ad virum conuersio tua*. id est, quicquid petieris sine viri non licebit consensu, aut permissu, sed ab eo accipies omnia. *Quintum* est; *ille dominabitur tui*. Erit Domi- 5.
nus tuus (quemadmodum Abrahamum maritum suum Sara vocauit *Dominum*) qui regat, imperet, & cum res exegerit, etiam corripiat te. Notat Rupertus, hanc maledictionem esse grauiorem quartâ: ibi enim viro cura mandatur rerum vxori necessariarum, hic autem vxoris constituitur Dominus. omnes certe maledictiones sunt; vti multas quotidie experientia docet, quarũ etiam multæ conqueruntur,

Gen. 18.12. Li. 3. de oper. Trin. c. 21.

quod præ suaui, commodo, honesto, quieto, libero, & Angelico virginitatis statu, maledictionem tantam elegerint.

Exemplum porro ac comparationem puerperæ, ad alia quoque Scripturæ accommodant: *primo*, ad exprimendam punitionis diuinæ magnitudinem. vnde de hostium suorum, & spiritualiter de diabolorum plagis, quos cruce sua triumphauit Christus: *ibi*, ait, *dolores vt parturientis*. nempe; subiti, magni, ac insanabiles: quales parturientium dolores sunt. *Secundo*, ad significandam spiritualem Apostolorum eisque succedentium spiritualium Præfectorum, Concionatorũ, Confessariorum, & animæ Curatorum parturitionem. Hi enim veri, eorum quos conuertunt, patres sunt. Vnde de se ipso Corinthijs scripsit Apostolus: *Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres. nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui*. Et Galatis: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus*. Pro animarum lucro nullis parcunt laboribus sancti. Testis passionum suarum, & actionum est Paulus. Apostoli quoque & infiniti Episcopi, interfecti sunt. Et qui nunc inter Catholicos verbum Dei annuntiant, etiamsi tanta non patiantur, cui tamen cordi fuerit proximorum salus, non indulgebit commodis proprijs, sed suscepto fortiter studiorum, concionum, audiendarum confessionũ, visendorum, consolandorumque infirmorum labore, quantum omnino potest, iuuabit illos. *Tertio*: ad significandam molestiam piorum, quam habent in mortificatione sui ipsorum, & expugnatione. *regnum cælorum*, dixit Christus, *vim patitur*. & vere ad subiugandas rationi passiones vis necessaria est; vt non immerito apud Isaiam dixerint Iudæi: *Sicut quæ cõcepit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus à facie tua Domine: concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus Spiritum salutis*. id est, per varias tandem molestias, ad religiosam vitam peruenimus, vt non facile aliquem pigeat laboris, quem contra sensualitatis suæ motus subit. Multi sunt, de quibus Isaias dixit: *Venerunt filij ad partum, & virtus non est pariendi*. nempe, qui bona quidem proponunt, sed non perficiunt. Considerandum his est, tanto executionem fore difficiliorem, quanto fuerit dilatio prolixior. *Quarto*: ad exprimen-

Marginalia: Exemplo puerperæ docet Scriptura. — 1. Psal. 47. 7. — 2. — 1. Cor. 4. 15. — Gal. 4. 19. — 3. — Matth. 11. 12. — Isai. 26. 17. — Isai. 37. 3. — 4.

primendos impiorum labores, vt nequitias suas perficiant. De Saule dixit Dauid: *parturijt iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* De malis eadem habet Isaias: vt de hypocritis Eliphas, apud S. Iob. Habent certe laborem suum, & molestias peccata: queruntur enim in inferno impij, inter cætera: *Lassati sumus in via iniquitatis, & ambulauimus vias difficiles.* Viderent facile omnes, modo vellent, laborem, quo passiones suas expugnant sancti, leuiorem esse; quam quo infernum alij demerentur. *Quinto*: parturientibus comparantur afflicti omnes, & qui tribulationum suarum finem anhelant. *Omnis creatura*, ait Apostolus, *ingemiscit & parturit*: desiderant enim sancti, dissolui à corpore infirmitatum pleno; & à mundo, pleno peccatis.

Psal. 7. 15. Isai. 59. 13 Iob. 15. 34. Sap. 5. 7. 5. Rom. 8. 22.

XIV. Tria tempora puerperarum.

Nota non dixisse Christum; *mulier cum parit, dolores*; sed *tristitiam habet*: tum, quia ex dolore tristitia nascitur; tum, vt significetur nemo qui Deo seruire voluerit, sine tristitia futurus, etiam si sine corporali dolore esse possit; quotiescunque enim boni aliquid intendimus, impedimentum fere aliquod intercurrit, ex quo dein tristitia nascitur. Sed desperandum omnino non est. quia tempus partus hora vnica, vt Christus dixit, circumscribitur. Optime nobis prospexit Deus, vt laborem breuem, gaudium sequeretur perpetuum.

Cum autem peperit puerum, iam nõ meminit pressuræ, propter gaudium: quia natus est homo in mundum. Tria sunt puerperarum tempora: *primum*: quo grauidæ sunt, quod tædij plenum est, duratque mensibus nouem. *secundum*: quo pariunt quod doloris plenum est, sed breue. *tertium*, quo iam nata est proles, iucunditatis plenum, ac diutissime durat, cum certo termino non claudatur: sed tota & matris, & prolis, vita duret, modo proles sit frugi.

Acommodatu B. Virgini.

Tria quoque hæc in Filij sui natiuitate habuit B. Virgo; sed alio plane modo. neque enim toto partus, aut portationis tempore, dolorem sensit; quia leue erat Diuini corporis onus: quod & corpus eius roborabat & animum solabatur, egressumque est sine virginitatis detrimento, aut iniuria: imo cum magna gloria, solarium radiorum instar, cum vitrum penetrant, & perlucent; habuit quidem, dum grauida esset, tri-

ſtitiam; ſed quę ex Ioſephi dubitatione, & Bethlehemitarum naſceretur ingratitudine, qui nec naſcendi locum Meſſiæ ſuo concedebant. Significat hoc in Apocalypſi ſua Ioannes, *Apoc. 12. 1.* cum *mulierem ſe vidiſſe ſcribit, amictam ſole, cui luna ſub pedibus, & in capite corona ſtellarum duodecim, quæ in vtero habebat, clamabatq; parturiens, & cruciabatur vt pareret.* quia cum grauida eſſet, angebatur Ioſephi cauſſà, qui, quia myſterium incarnationis *Matth. 1. 19.* neſciebat, cogitabat eam dimittere, dein quia Filium Dei veniens in Bethlehem, in ſtabulo beſtiarum parere debuit. Nato autem Chriſto, non habuit magnam ex eo iucunditatem, vt aliæ matres ſolent; debuit enim paulo poſt in Ægyptum fugere, atque ibi aliquot annos exul filium in paupertate educare: quod etiam ſignificauit Ioannes cum mulierem ſcribit, *Apoc. 12. 2.* nato iam filio, gentium omnium Domino, *in deſertum*, Ægyptum ſcilicet *fugiſſe*, vbi *annis tribus* maneret, *cum dimidio*, draconem vero *aquam tanquam flumen miſiſſe ex ore ſuo*, ſed aperuit terra os ſuum, & abſorbuit flumen, id eſt, diabolus in pueri cædem incitabat Herodem, ſed citra pueri detrimētum: Herodes vero breui mortuus, *& qui quærebant animam pueri*: vt ait *Matt. 2. 20.* Scriptura.

Accommodata Chriſto. Chriſtus quoq; cum Apoſtolis ſuis, tria hæc tempora habuit. *Primo* enim, tempus prędicationis, quod triennio paulo breuius fuit, tempus erat ante partum. multa in exterioribus tolerabat aduerſa, famē, ſitim, æſtum, frigus, vigilias, loci mutationes, aliaſque corporis iactationes. de interno autem dolore teſtatus ipſe. *Baptiſmo*, ait, *habeo baptiſari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur.* Neque Apoſtoli otio indulſerunt. *Luc. 12. 50.* quorum tanta aliquando fuit fames, vt ei ſedandæ ſpicas in *Matt. 2. 1.* agris vellerent. *Secundo*, tempus paſſionis, tempus fuit triſtitiæ, quod à veſpere feriæ quintæ, cum captus eſt Chriſtus, ad mane vſque diei Dominicæ, quo reſurrexit, durauit. *Tertio*: tempus gaudij poſt reſurrectionem fuit; tunc enim natus eſt Chriſtus, vt ex illo Pſalmi: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: de- *Act. 13. 33. Heb. 1. 5. Pſalm. 2. 7.* ducit Apoſtolus. nempe propter inchoatum tunc vitæ genus diuerſum. Eadem tempora habent homines pij. *primum* eſt; *Accommodata pijs.* quo hic viuunt, quaſi prægnantes: quia ad perfectionem, nō ſine moleſtia, adſpirant, & ne quidem, vel ſic, ad eam perueniunt.

niunt. de se ipso scripsit Apostolus: *non quod iam perfectus sim, sequor autem si quomodo comprehendam*. *Secundum* est; quo pariunt, cum ex mundo hoc non sine dolore migrant. tunc enim, ait Chrysostomus, Deo quasi nascimur Martyres certe morte violenta migrarũt, alij per varios corporum dolores, & morbos; alijs ipsa mors dura est, aut diabolus insultat, aut visiones ostenduntur, alij denique mortem ipsam timent, vt in Hilarione vidimus, & Arsenio, & Abbate Helia, qui tria se dicebat timere. *Primo*, animæ à corpore discessum. *Secundo*: apparitioné corã Deo. *Tertio*: sententiæ seu iudicij pronunciationẽ. Paucissimi sunt, quibus nihil restet purgandum, siue per vitæ præsentis morbos, siue per alterius vitæ purgatorium, omnibus profecte formidãdum. *tertium* tempus est; post mortem, cum iustorum animæ coronam accipiunt. tunc eorum vita inchoatur; morsque eis natiuitas est. ac proin ab Ecclesia *Natalis* appellatur; quia enim *præsens vita*, Gregorio, *mors potius quam vita est*, qui ab hac morte liberatus est, veram vitam incipit, omnium retro molestiarum, puerperæ instar, oblitus. *Primo*, propter benignissimam Christi salutationem, qua lachrymas omnes abstergit, & à qualibet in posterum aduersitate securitatem spondet. *Secundo*, propter ineffabilem bonorum illorum magnitudinem, præ quibus tolerata hic mala, nihil sunt, *Tertio*: propter vitæ illius æternitatem, præ qua mille anni, imo centena eorum millia, momentum sunt. & quanto minus est tempus omne quo hic passi sumus? Oporteret sane frequentius meditari istud, eoq; nos ipsos, cum Apostolo, ad labores accendere: *id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate futurum gloriæ pondus operatur in nobis*, id est, quicquid hic toleramus, exiguum quidem ac leue est; & tamen ineffabilem meretur, ac æternam gloriam; modo ad Dei honorem feratur patienter. Cogita *primo*: laborem esse exiguum, mercedem vero magnam: labor abit, gloria manet: omne tempus breue, sola manet æternitas. *Secundo*, aliquando semel oportere pati, vel in præsenti, vel in futuro sæculo. Hic neque multa, neque diu mortale corpus tolerare potest; illic anima est immortalis, neque corpus post resurrectionem morietur. Adeo-

Phil. 3. 12.
Serm. 78. in Ioan.
In Martyrologiis.
Hom. 37. in Euang.
Gaudium beatorum vnde?
2. Cor. 4. 17.

Adeoque & supra modum omnem, & æterna illic erunt tormenta. *Tertio* : locum hic esse misericordiæ, quam in ita sua
Iac. 2. 13. Deus non continet; illic contra iustitiæ, vbi *iudicium sine misericordia, illi qui non fecit misericordiam* : hic igitur quam illic eli-
Heb. 10. 31. gas pati: *horribile* enim *est, incidere in manus Dei viuentis*, qui sine fine puniat.

XV. *Et vos igitur nunc tristitiam habetis.* Vocula *nunc* dupliciter intelligi potest. *Primo*, vt tempus significet passionis Christi, quo tristabantur Apostoli, quia eum amiserant, in quem omnem spem reposuerant. Doloris huius magnitudinem sentiunt pij, cum inter hæreticos verbo Dei, Sacrificio, & Eucharistia destituuntur, in quibus omnem habent fiduciam; & sine dubio dolor magnus, imo intolerabilis est. Verum ex eo conijcere licet, quantum futurum sit, visione Dei in ęternum priuari : si Apostolis tantum fuerit ad tempus Christo destitui. Nesciunt hæc sæculi amatores, quos corporis moles vestit, & carnis voluptates obtenebrant; sed cum corpus voluptatem omnem exuerit, videbimus tunc ea etiam, quæ nunc non aduertimus.

Apostolorũ tristitia cur tristitiæ puerperarũ collata? Allegantur multæ à Doctoribus rationes, cur Apostolorum tristitia tempore passionis Christi, tristitiæ puerperarum comparetur. *Prima* est, tristitiæ magnitudo. quemadmodum
1. enim puerperæ tristitia magna est ; sic & Apostolorum erat maxima, cum Dominum suum ita crudeliter verberari viderunt, & torqueri. Imo & Iudas, qui eum prodiderat, compas-
Matt. 27. 3. sione mouebatur, de quo testatur Matthæus , quod *videns quod damnatus esset, pœnitentia ductus sit*: id est, videns eum à Caipha deduci ita deformatum ad Pilatum , commiseratione motus est. Quantus, cogita, maternum B. Virginis cor inuasit dolor; si Apostoli sic fuerint tristati. habes & tu iustam tri-
2. stitiæ caussam, cuius peccata passionem istam demeruerunt. *Secunda* est: breuitas. Quemadmodum enim breuis est mulierum dolor; ita & Apostolorum , cum triduanus duntaxat
3. fuerit. *Tertia* est, periculum. nam sicuti magnum est & frequens puerperæ mortis discrimen, ob doloris magnitudinẽ;
Matt. 26. 31. ita & Apostoli in incredulitatis erant periculo; de quo prædi-
Luc. 22. 31. xerat eis Christus: *Omnes scandalum patiemini in me.* Item, *ecce*

Satha-

Sathanas expetiuit vos vt cribraret,&c. B. Virgo tamen à periculo hoc immunis mansit, quia fide ad finem vsque solida. *Quarta*: quia dolor Christi, ex quo Apostolorum nascebatur tristitia, necessarius erat: neque enim creatura aliqua poterat hominem redimere; sicut nemo mulierem, vt sine dolore pariat, potest iuuare. *Quinta*, quia post tristitiã de morte Christi magna, sequebatur de resurrectione lætitia: quomodo post partus dolores, statim quoque matres gaudent. *Sexta*: quia idem Christus, & per passionem caussa fuit tristitię, & per resurrectionem caussa lætitiæ: sicut idem infans matrem, cum parit, contristat; & post partum, lætificat. *Septima*: lætitiæ magnitudo. Sicuti enim & valde, & diu, lætatur mater, quod periculum euaserit, & prolem habeat, à qua & ipsa & alij filij opem sperent, ac familiæ propagationem: sic & Apostolorum post resurrectionem lætitia magna fuit, & perpetua, quia Christum receperant, à quo salutem sperabant. *Octaua*: quia post resurrectionem non meminerant amplius Apostoli præcedentis tristitiæ, propter gaudij sequentis abũdantiam: quomodo mater pressuræ non meminit, postquam natus est homo.

4. 5. 6. 7. 8.

Secundo potest *Nunc*, intelligi tempus præsens; quo non Apostoli solum, sed Christiani omnes tristantur, &, vt puerperæ, desiderant, vt fructum vitæ æternæ pariant. de quo dixit Apostolis Christus: *Ego elegi vos, & posui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Comparatur itaque vita præsens puerperæ.

NVNC explicatum. *Ioan. 15.16.* Vit a præsens puerperæ collata.

Primo, quia tristitiæ, & laboris plena est; in valle enim lachrymarum, nihil est, quod boni, præter tribulationes, expectent: secundum illud Christi. *In mundo pressuram habebitis.* Noli ergo indignari cum pateris, puerpera enim non miratur dolores suos, quia matribus omnibus eos scit communes. 1. *Ioan. 16.33.*

Secundo: quia præ æternitate tempus tribulationum, ac vitæ huius admodum breue est. vnde & *hora* nominatur, & in præsenti Euangelio *nunc*, id est, momentum: de quo apud Isaiam; *in modico dereliqui te.* Ne ergo tædeat te tribulationum; sunt enim breues. 2. *Isai. 54.7.*

Tertio:

3. *Tertio:* quia tempus hoc periculi plenum eſt; tum exterioris, tum interioris. omni hora mortis incerti viuimus, & facile in mortale peccatũ, ſicut mulieres facile in partũ, incidim⁹.

4. *Quarto,* quia præſentis vitæ tribulationes fructum pariunt vitæ æternæ: ſicut prolem dolor partus. quicquid enim propter Deum hic patimur, regnum cœlorum meretur. *Quinto,*
5. propter gaudij, poſt tribulationes has in vita futura ſecuturi, magnitudinẽ: inducet enim omnium aduerſitatũ obliuionẽ.

6. *Sexto,* quia ex tribulationibus noſtris homo nouus naſcitur: ſicuti ex muliere proles: notant quoque nonnulli, non dixiſſe in comparatione hac Chriſtum; *quia natus eſt infans*: ſed *natus eſt homo*: vt ſignificetur; homo, quem poſt vitam hanc induemus, non fore infans, ſed homo adultus, ſapientia, fortitudine, & cognitione, multo, quam hic ſimus, perfectior. imo hic, p̃ futuro ſtatu, nos pueros eſſe, teſtat᷑ Apoſtol⁹: 1. Cor. 13. 12.

XVI. *Iterum autem videbo vos.* Duæ ſunt horum verborum explicationes. Aliqui enim de apparitione ea intelligunt poſt reſurrectionem facta: quaſi diceret Chriſtus, poſt mortem reuiſam vos, & tunc gaudebitis. Neque dixit, *Videbitis me*: ſed, *videbo vos*: vt reſurrecturum ſe, victurumque ſignificaret. Viderant eum mortuum, & tunc ipſe non videbat eos; voluit ergo eos iterum viuus corporaliter videre. Particula *iterum* nouũ ſignificat, eiuſdem perſonæ quæ loquebatur, apparitionis modum. quaſi diceret; Ego qui loquor, videbo vos, ſed nouo modo, corpore ſcilicet glorioſo, & immortali. Iuxta hanc explicationem, meditari poſſumus, quod & nos poſt reſurrectionem ſuam Chriſtus videat; quæ viſio omnis gaudij noſtri radix eſt: ſicuti radix gaudij Apoſtolorum erat, ꝙ Chriſtũ viderant reſurrexiſſe. Videt quidem omnes Chriſtus, ſed nõ eodem modo, malos, quorum praua eſt voluntas, extrinſecus videt, quomodo ſint diſpoſiti; bonorum vero etiam corda penetrat, radios immittens ſcientiæ, & miſericordiæ. Sic cum ante Caipham inter ſacerdotes ſtaret, vnicum Petrum vidit, qui iam in anteriori atrio eum negarat, eique gratiam, & peccati cognitionem infudit. Sacerdotibus vero non dixit; *Video vos*, aut, *videbo*, ſed, *videbitis filium hominis ſedẽtem à dextris virtutis Dei & venientem in nubibus cœli.*

Chriſtus omnes ſed diuerſe videt.

Matt. 26. 64

Notas

Notat Beda, duobus modis Christum in vita hac videre pios; *primo*, cum ex tribulatione eos, & angustia liberat. est enim hæc misericors visio, & qualis cum sol visione, seu aspectu suo, terram fœcundat. *Secundo*, videt nos Deus cum vt videamus facit. Sic Abrahamo dixit: *nunc cognoui quod timeas Deum*, id est, tibi cognitum feci. Ora Deum, vt & te misericorditer in præsenti vita videat: *primo*, vt illuminet intellectum, quo & te ipsum, & vitia tua, & mundi videas vanitatem. *Secundo*, vt charitatem, amoremque sui tecum communicet: sicuti sol terræ infundit calorem; quo plurima bona facias. *tertio*: vt visione tui ab omni tribulatione te eripiat, auferens omne malum, & conferens omne bonum.

Videt duobus modis.

Gen. 22. 12.

Aliqui verba hæc de visione intelligunt post hanc vitam; de qua iam Apostolis ante dixerat: *Vado parare vobis locum, & si præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum.* Dupliciter ex hoc mundo discedunt homines, *primo*, secundum animam, per mortem, tunc enim corpus hic adhuc manet. *Secundo*: in resurrectione communi, quãdo etiam corpora de mundo tollent. Tunc Christus ipse de cœlo descendet, assumturus sanctos ad se, malos vero hic relinquet, absorbẽdos post intortam in eos sententiam. Quid in piorum morte contingat, incertum est: illud certũ, quemq; statim post mortẽ iudicari, quomodo autẽ Christum videant, nescimus. Scribit de Sanctis quibusdã Gregorius, qui sub extremis Christũ viderunt: de quibusdã qui B. Virginem, vel alios beatos. Probabile est, etiam Apostolos in morte à Christo visitatos esse, & assumtos. Sed priuilegium hoc non est bonorũ omnium, præsertim quibus purgatio adhuc restat. Hoc ex multis reuelationibus constat, animas bonorum ab Angelis custodibus è corpore assumi, & iuxta earũ merita ad cœlum deduci, aut purgatoriũ. Fac ergo, vt & te Christus, per custodem Angelũ, statim à morte ad cœlos adduci iubeat; vt post has mundi tristitias, statim æterno cœli gaudio fruaris.

Ioan. 14. 3.

4. dialog.

Et gaudebit cor vestrum. Quemadmodũ præcedentia, ita & hæc verba, duplicẽ habent explicationẽ. *Primo*. n. de gaudio intelliguntur Apostolorum, post Christi resurrectionẽ, quod etiam cum eis tota vita mansit, & omnibus adhuc bonis Apostolorum imitatoribus manet. XVII.

Nota

Malorũ & bonorum discrimen.

Nota malorũ à bonis differentiam. *primo*: gaudent mali discessu Christi. non quærunt eum, sed abesse malunt: dolent
1. si confiteri debeant, vel communicare. Boni contra, eius pre-
2. sentia gaudent, discessum dolent. *Secundo*: mali vanitate gaudent; Bacchanalia, quam Quadragesimam, & lusum malunt,
3. quam orationem: boni autem Dei gaudent cognitione. *Tertio*: gaudia malorum externa sunt, nec animum tangunt, *sed* potius cruciant, & torquent: quale enim potest esse gaudium vbi conscientiæ perpetuus stimulus? Bonorum vero animus gaudij plenus est, inhabitat enim eum Spiritus S. omnis gaudij origo, de quo dixit Christus: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei fiet in eo fons salientis in vitam æternam*. Item, *fluent de ventre eius flumina aquæ viuæ*.

Ioan. 4. 14. & 7. 38.

Gaudium internum præstantissimum est, & diutius permanet: sicuti diuturniores sunt flores, qui in calamo sunt, & ex terra vitam sugunt; quam qui ad alicuius rei ornatum decerpuntur. Notat porro Chrysost. internum gaudium ex tribulationibus nasci externis: sicuti enim hyeme, calorem in hypogæis auget circumstãs frigus; ita Dei amorem, in his qui propter virtutes aduersa patiuntur, auctiorem videmus. Sperabat initio diabolus extincturum se persecutionibus Ecclesiam, sed quia eam vidit per istas crescere; voluptatibus paulatim, & lasciuijs tentare cepit, Balaam imitatus, qui Israelitas Madianitarum scortis decepit.

Chrys. hom. 54. ad popu.

Num. 31. 16.

Secundo, intelliguntur verba hæc, de gaudio sanctorum in vita futura, quod in eis quibus nihil est expiandum, statim à morte incipit: dum vt belgica phrasi dicitur, anima quasi ab ipso morientis ore ad cœlos pergit. Vident enim hi diuinam essentiam, Christique non humanitatem solum, sed etiam Diuinitatem, qua & in æternum fruuntur. Facessant nouorũ Vigilantianorum deliria, qui hominibus persuadent, iustorũ siue martyrum, siue naturali morte defunctorum, animas, non statim videre Deum, sed extremum expectare iudicij diem in subterraneis locis. Neque enim intelligunt, quod cum sponsione, bono latroni dixit Christus: *Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiso*. vbi *Paradisi* nomine, non significat terrestris ille, in quo Adam & Eua peccauerunt: nam *primo*,

anima-

animarum locus, non est terrestris hortus, neque arboribus delectantur, aut fructibus, aut floribus, in quibus omnis hortorum ornatus est.

Secundo; loquebatur latro de regno Christi, respondens ergo Christus: *hodie mecum eris in Paradiso*: hunc significauit, esse regnum suum; & vere Dei regnum est, videre Deum. *Tertio*: cum dixit Christus, *mecum eris in paradiso*: paradisum vtique promisit, in quo ipse erat futurus; gloriam scilicet, quam & Apostolus optabat, *cupiens dissolui*, id est, mori: *& esse cum Christo*; scilicet, in gloria.

Quarto: non petijt vlteriorem dilationem Christus, quam donec is veniret in regnum suum. Dixit enim: *memento mei CVM veneris in regnum tuum*: respondens igitur Christus; *Hodie mecum eris*, tantundem significat, quãtum si dixisset: sicut hodie ego, ita & tu, in regno meo mecum eris. Iuit certe die adscensionis suæ Christus cum Patribus sanctis in cœlum, vt testatur Apostolus: *Adscendens in altum captiuam duxit captiuitatẽ.* *Ephes. 4. 1.* *Apc. 4. 5. 6. 7. & 21.* atque illic in cœlesti gloria sunt; vidit enim in Apocalypsi Ioannes, *viginti quatuor Seniores*, ante thronum Dei, & Martyres *albis stolis amictos*, seruientes, & benedicentes Deo, *die ac nocte.* Itaque dubitare noli de Ecclesię fide; quæ tam ex scriptura, quam ex Apostolica traditione, omnes in Christo morientes, sine peccati, aut pœnæ reatu, docet statim videre Deum: sicuti & illos, qui iam in purgatorio, pro reatu suo satisfecerunt. Core, Dathan, & Abiron, legimus in inferno descendisse, *Num. 16 30* *Leui. 16. 23.* epulonem quoque ibi Christus dixit sepultum: certè non est minoris liberalitatis, quam iustitiæ Deus: ac proin si malos ante extremum diem damnat, cur non & bonos statim præmiat? præsertim cum passione, & morte sua; cœlos aperuerit.

Gaudium hoc beatorum, gaudium cordis est. gaudent enim tota anima, intellectu, & voluntate: quæ tria hominem constituunt. Nunc ergo corde; post resurrectionem, & carne exultabunt. Vide vt statim post mortem, ad gaudium hoc possis admitti, eoque impleri: & si iam animum purgas, ac virtutibus ornas, thesaurum colligens bonorum operum, sine dubio postea gaudio æterno frueris.

XVIII. Præsens gaudium piorum nō tollitur. *Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Dupliciter quoque verba hæc intelligi possunt. *primo*, vt gaudium Apostolorum, ac piorum, quo hic gaudent, significetur non tollendum. Quod fit quinque de causis. *Primo*, propter intimam gaudij
1. eorum profunditatem. est enim in corde, vt proin nemo illud, nisi prius cor auferat, id est eos occidat, possit auferre. Et quia vita cordis, anima est, manet in hac gaudium illud, & cum ea in cœlum vadit. Gaudium mundi non est ita profundum, ideoque facile etiam minima aduersitate tollitur. *Se-*
2. *cundo*, propter gaudij sinceritatem, & puritatem: neque enim admixtum habet aliquid tristitiæ, vt corrumpi possit. Est enim instar puri vini, cui aquæ, aut aceti nihil admixtum sit. Gaudia vero mundi felle miscentur, ideoque in se corruptionis principium habent. nascuntur enim ex peccatis; verbi gratia, choreis, & tripudijs, potatione, comessatione, garrulitate, vanitate; temporis dispendio, ornatu sæculari, &c. quæ exteriorem quidem voluptatem pariunt, sed habent latentem vermem, qui conscientiam rodat. gaudia Sanctorum instar cœlestium corporum sunt, in quibus nullum est corruptionis principium, quale sunt quatuor elementa, in quibus perpetua est contrariarū qualitatum; caloris, frigoris, siccitatis, & humoris pugna, mutuaque alteratio. *Tertio*: quia crescit
3. beatorum gaudium ex eo, quo putabatur minuendum, & quo mūdi gaudia statim pereunt, tribulatione scilicet, & aduersis. sicuti enim quanto vehementior flat ventus, tanto etiam accenduntur magni ignes vehementius, ita vt integras aliquando ciuitates consumant; sic cum magnitudine tribulationum, martyribus gaudia crescebant. Risit in craticula tyrannum Laurentius. Carbones viui Tiburtio rosæ videbātur, quos nudis pedibus inambulabat. Increpabat tyrannum. Secunda, quod non æque ac soror flagellis cæderetur. Multorum in tormentis vox ista fuit: *Nunquam adeo læti fuimus, nunquam adeo lautè & opipare conuiuati, vbi tanto gaudio, atque modo perfusi simus.*

Quemadmodum enim qui pruritum sentiunt, scabi se gaudent, & defricari, etiam vsque ad sanguinem, ita quibus Dei amor flagrat, de temporali, propter Deum, cruciatu gaudent

dent. Gaudia mundi candelæ instar sunt, quam ventus etiam paruus extinguit. *Quarto*, quia gaudij huius author est Spiritus S. qui ita firmiter bonorum corda inhabitat, vt à nemine eijci possit: *Quis*, ait Apostolus, *nos separabit à charitate Christi? Certus sum quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, &c. poterunt nos superare à charitate Dei quæ est in Christo.* Quin & Christus de ouibus suis dixit; *nemo eas eripiet de manu mea*: tenebat enim eas. Dixit hoc sensu Chrysostomus, *neminem lædi nisi à se ipso*: si enim voluerit manere cum Christo, ac Spiritum S. sibi custodire, nemo inde auellet eum. *Quinto*: quia gaudij materia perpetua est. Est autem materia hæc, *primo*, Christus, teste Augustino, qui *semel mortuus iam non iterum moritur*. *Secundo*: quies, & pax conscientiæ. De qua Chrysostomus: *Nihil est quod homini maiorem voluptatem pariat, quam puritas conscientiæ.* Item, *nihil adeo oculos malorum, atque inquieta conscientia obscurat.* Internum gaudium est summum. 4. Rom. 8. 35. & 38. Ioan. 10. 28. 5. Materia gaudij plorum. Tract. 102. in Ioan. Hom. 12. in 2. ad Cor. Homil 61. & 63. ad pop.

Tertio: certa vitæ futuræ, vt Apostolus testatur, *spes*, sicuti enim qui ex remotissimis venit regionibus, multum gaudet, cum videt domum suam, etiamsi in pluuijs adhuc sit, & via lutulenta: ita sancti lætantur cum cœlum vident, etsi in tribulationibus sint. Vt proin merito hortetur nos Apostolus vt *semper gaudeamus*. Potest certe & gaudium in tribulatione haberi; eo quod ipsa ducat ad cœlum. Sicuti enim non dolent, qui spe magni lucri laborem aliquantum subeunt; sic neque boni, quia ex aduersis maiorem sibi coronam sperant. Imo nec interna bonorum tristitia, quam animo sentiunt, eorum gaudium tollit, aut minuit; quin auget potius: quia charitatem accendit, & gratiam meretur. Vnde cum dixit Apostolus: *tristitia mihi magna est, & continuus dolor*: propter Iudæorum incredulitatem; non propterea minus sentiebat gaudium, cum dolor ille noui gaudij materia esset; vtpote opus virtutis; quod charitatem auget. nam sicuti ignis tanto est calidior & lucidior, quanto pluribus nutritur lignis: sic & charitas ardentior fit, & clarior, maioremque habet lætitiam, quanto plura bona facit. Rom. 5. 2. 1. Thess. 5. 17. Rom. 9. 2.

Secundo, possunt verba hæc intelligi, de gaudio cœlesti; ꝙ

non ſolum nemo tollit, ſed in multis quoque indies augetur. Ne minimam quidem triſtitiam cœli admittunt, non dolent filiorum damnationem parentes, nec parentum, filij. Vnumquemque gloria ſua quietat: nemo maiorem, quam habeat, petit. omnia deſideria impleta ſunt, omneſque vires, membra, & ſenſus. Animæ quidem aliquatenus vnionem deſiderant cum corpore, propter naturalem ad illud inclinationem; ſunt enim in corpore creatæ: nihilominus ita Diuinitate implentur, vt ex deſiderio hoc, nihil de beatitudinis perfectione decedat. Creſcit earum gaudium, propter bona opera, quæ illarum occaſione hic quotidie fiunt: præſertim cum animæ illæ cœlum ingrediuntur, quibus aliquam beatitudinis occaſionem præbuerunt. Contra damnatorum triſtitia nunquam imminuitur, ſed potius augetur, per mala, quibus ipſi vel exemplo ſuo, vel doctrina, viam ſtrauerunt. Vnde ſicut Apoſtolorum, qui mundum hunc conuerterunt, gloria ſemper ad extremum vſque diem creſcit: ſic Arrij, Mahomethis, aliorumque hæreſiarcharum, & peruerſorum Doctorum, cruciatus creſcunt, donec hæreſis, vel malum cuius ipſi occaſio ſunt, omnino deficiat. Hæc cogita, & vide ne alijs malum des exemplum, conſilium, aut doctrinam; ſed contra bonas monitiones, & exempla. Sic enim accipies augmentum coronæ: per mala vero incrementum damnationis.

ORATIO.

Domine Ieſu Chriſte Saluator mundi, mœſtorum conſolator, & Aduocate apud cœleſtem Patrem, qui Apoſtolis triſtitiam ſuam prædixiſti, tuumque ſolamen promiſiſti, ſtabileque gaudium addixiſti. Rogamus te Sanctam Eccleſiam tuam præſentia tua recrea. Continuam triſtitiam quæ ſeruos tuo affligit aſpice. Hæretici perſequuntur, mundus oppugnat, tentat diabolus, vexat caro, & malum omne quod quotidie occurrit contriſtat. Tu vero ſolus ſolatium & refugium in omni neceſſitate es. Inimicos doma, & nos in ijs ſuper andis

randis confirma, tristitiam in gaudium muta, & die bonorum, alorum memoriam suggere. Breuitatem vitæ, & æternitatem ob culos pone, vt hic libentius modicam passionem cum æternitate & uctu percipiamus, quam postea modicam voluptatem cum æterna mi- eria commutemus. Da gratiam vt in te solo nos oblectemus, in sola ua absentia tristemur. Quia tu verissimum es gaudium, nec extra te st aliud quam mera tristitia. Vt tuam suauitatem gustare ac desi- lerare queamus, iuua: omnemque amaritudinem quæ sine te in o- mnibus creaturis est deserere & fugere. Per te Iesu Christe, *qui cum* Patre, *& Spiritu Sancto viuis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum.*

Amen.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Euangelium Ioannis XVI.



IN illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego vadam: Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me. De iustitia vero, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

Breuis

Breuis Euangelij Exegesis.



Vlta Apostolis Christus post vltimam cœnam, de suo ad Patrem transitu, & passione dixerat: quodq; ipsi à Iudæis essent extra Synagogam eijciendi, & ocdendi, tanquam ipsorum mors Deo sacrificium set. Tristes ergo de his Apostoli, nihil percunctanr amplius: sed subiecit Christus; *Dixi vobis quia vaad Patrem.* & licet ante Thomas, ac Petrus, me roırint; *quo vadis?* tamen iam nemo interrogat; cum oleant abiturum amici de statu loci, ac viæ multa ogare. sed quia de persecutionibus dixi vobis, tristia impleuit cor vestrũ: neq; iam mei, sed vestri vos ıra tenet. timẽtes, ne absentia mea vobis mali iniım fiat: sed credite mihi, expedit vobis vt ego vaã, missurus de cœlo consolatorem spiritalẽ. Agit ım Apostolis Christus, quod cũ familia sua mercator peregre abiturus, promittit enim merces preosas, eaq; spe domesticos solatur. atq; ideo Christ⁹ piritus S. conditiones accurate deinceps explicat, t tria officia. *Primo:* Mundum, id est, malos omnes rguet. & quidem de tribus *primo:* de peccato, cui omnes sunt obnoxij. *secundo:* de eorũ iustitia, quæ est niusta. *tertio:* de iudicio; nempe, cuius id sit, & quãlo iustum sit. *primo* igitur, omnes peccati cõuincet; quia fide carent, quæ peccata dimittit. *secundo:* ostẽlet per me solum dari iustitiam veram, & me esse à peccato immunem. ego enim mũdum morte mea edimã, atq; in cœlos deinde ascendam non reuerrus. Sufficiens autem, imo euidens iustitiæ meæ signum est, quod ad Patrem ascendo. *tertio:* ostendet

me esse mundi iudicem;quia Principē mundi fugabo, & vincam. Hæc autem tria conuincet Spiritus S.miraculis,& efficacibus doctrinis, alijsq; modis, quos Sancti vsurpabunt.

Secundo:Spiritus S.instruet Ecclesiam: ego enim adhuc multa habeo vobis dicere,præsertim,quæ ad Ecclesię regimen faciant,vos autē ea modo nō potestis portare. cum ergo venęrit ille Spiritus veritatis,docebit vos omnē veritatē:quæ vel fidē, vel mores,aliaq; cōcernit. neq; de certitudine eius dubitetis, quia *non loquetur à semetipso*;sed sicuti ipse meus est Spiritus;ex me,& Patre procedens:ita *quæcunque audiet loquetur*;& in his etiam *ventura annunciabit*; vt futura pręuidentes in eis prudenter agatis.

Tertio: Spiritus S.me clarificabit;quia scilicet per vos docebit,me non esse hominem purum,vt multi errant:neq; pati ex necessitate:sed Deum me ostēdet,& incarnatum,ac passum,ex misericordia: atq; ita mundus totus me adorabit,& colet.

Faciet autem hæc Spiritus;quia *de meo accipiet,& annuntiabit vobis*. accipit enim à me Diuinitatem, eamque vobis annuntiat,quantum capere potestis, & Ecclesiæ vtilitas requirit:totam enim capere non potestis.

Documenta Concionis Vndecimæ.

D*ixit Iesus discipulis suis*.Quemadmodum superiori Euangelio Apostolos solatur Christus, ex breuitate temporis quo abfuturus esset:ita nunc,ex necessitate sui abitus, & vtilitate,idem præstat.Quod ad nos autem spectat,illuminatur sic nostra fides, roboratur spes,& accenditur charitas,ex eorum quæ hic Christus docet præstantia. *Primo* enim,maiestatem suam nobis ostendit;quæ tanta est,vt Spiritum S. tertiam

tiam in Trinitate personam, mittere possit, & donare. *Secundo*, dignitatem ostendit, & præstantiam Spiritus S. cuius præsentia Christi supplere potest absentiam. Hinc enim euidenter Chrysostomus conuincit, Spiritum S. Deum quoque esse: absentiam namque Christi, infiniti, & omnipotentis Dei, creatura nulla, (siquidem omnes finitæ, & limitatæ virtutis sunt) supplere potest: debet enim id quod suppletur, ei cui suppletur esse æquale: sicut millium coronatorum iacturam, non nisi mille coronatis supplemus. Discis itaque doni huius magnitudinem, quod de cœlo misit nobis Christus, vt amorem sui, pluriumque donorum excitaret spem. *Tertio*: fortitudinem docet, qua instantem sibi passionem laturus sit. Solēt deducendis ad mortem, præsertim grauiorem, reis, solatia ab alijs, & robur, quo ad fieri potest, suggeri: Christus contra ipse grauissimos passurus cruciatus discipulos solatur, à quibus solatium accipere debuisset. Verum noluit humana solatia, sed in horto coram Patre effundens animam suam, ab illo solatium meruit, & confortationem Angelicam. Disce in aduersis omnibus patientiam, & quicquid immiserit Deus longanimiter tolera, animum ad eum eleuans, qui nobiscum est in tribulatione: sicuti Moysi in rubo apparuit ardente, sed incombusto. Arbores roborantur vento, folia vero arida deijciuntur. Aurum probatur igne, sed lignum consumitur, & incineratur. Adfuit tribus pueris in fornace Angelus, eos autem qui eam accendebant, consumsit flamma. *Quarto*: ostendit quam voluntarie fuerit passus; dicens, *vado*, quasi diceret, non coactus, sed spontaneè. item; *vado*, iam statim, sine dilatione; nolo enim vt definita mihi à P. passionis hora prætereat. commendans celerem, & expeditam, non in prosperis solum, sed etiam in aduersis, obedientiam.

Luc. 22. 43. *Psal. 90. 15.* *Exod. 3. 21.* *Dan. 3. 92.*

Quinto: quid à Spiritu Sancto petamus, docet. nempe, peccati cognitionem, & iustitiæ; memoriam iudicij, in veritate ac doctrina Christiana progressum, honorem Saluatoris nostri Christi, & amorem. Ideoque oportune Ecclesia Euangelium hoc, tempore inter Pascha & Pentecosten medio, nobis præscripsit; vt semper passionis Christi memores, recogitaremus, quam fortiter, & voluntarie, item qua de causa, passus

 sit.

Malorũ & bonorum discrimen. Nota malorũ à bonis differentiam. *primo*: gaudent mali discessu Christi. non quærunt eum, sed abesse malunt: dolent
1. si confiteri debeant, vel communicare. Boni contra, eius pręsentia gaudent, discessum dolent. *Secundo*: mali vanitate gau-
2. dent; Bacchanalia, quam Quadragesimam, & lusum malunt,
3. quam orationem: boni autem Dei gaudent cognitione. *Tertio*: gaudia malorum externa sunt, nec animum tangunt, sed potius cruciant, & torquent: quale enim potest esse gaudium vbi conscientiæ perpetuus stimulus? Bonorum vero animus gaudij plenus est, inhabitat enim eum Spiritus S. omnis gaudij origo, de quo dixit Christus: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei fiet in eo fons salientis in vitam æternam*. Item, *fluent de ventre eius flumina aquæ viuæ*. (Ioan. 4. 14. & 7. 38.)

Gaudium internum præstantissimum est, & diutius permanet: sicuti diuturniores sunt flores, qui in calamo sunt, & ex terra vitam sugunt; quam qui ad alicuius rei ornatum decerpuntur. Notat porro Chrysost. internum gaudium ex tribulationibus nasci externis: sicuti enim hyeme, calorem in hypogæis auget circumstãs frigus; ita Dei amorem, in his qui propter virtutes aduersa patiuntur, auctiorem videmus. Sperabat initio diabolus extincturum se persecutionibus Ecclesiam, sed quia eam vidit per istas crescere; voluptatibus paulatim, & lasciuijs tentare cepit, Balaam imitatus, qui Israelitas Madianitarum scortis decepit. (Chrys. hom. 54. ad popu.) (Num. 31. 16.)

Secundo, intelliguntur verba hæc, de gaudio sanctorum in vita futura, quod in eis quibus nihil est expiandum, statim à morte incipit: dum vt belgica phrasi dicitur, anima quasi ab ipso morientis ore ad cœlos pergit. Vident enim hi diuinam essentiam, Christique non humanitatem solum, sed etiam Diuinitatem, qua & in æternum fruuntur. Facessant nouorũ Vigilantianorum deliria, qui hominibus persuadent, iustorũ siue martyrum, siue naturali morte defunctorum, animas, non statim videre Deum, sed extremum expectare iudicij diem in subterraneis locis. Neque enim intelligunt, quod cum sponsione, bono latroni dixit Christus: *Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiso*. vbi *Paradisi* nomine, non significatur terrestris ille, in quo Adam & Eua peccauerunt: nam *primo*, anima-

animarum locus, non est terrestris hortus, neque arboribus delectantur, aut fructibus, aut floribus, in quibus omnis hortorum ornatus est.

Secundo; loquebatur latro de regno Christi, respondens ergo Christus: *hodie mecum eris in Paradiso*: hunc significauit, esse regnum suum; & vere Dei regnum est, videre Deum. *Tertio*: cum dixit Christus, *mecum eris in paradiso*: paradisum vtique promisit, in quo ipse erat futurus; gloriam scilicet, quam & Apostolus optabat, *cupiens dissolui*, id est, mori: *& esse cum Christo*; scilicet, in gloria.

Quarto: non petijt vlteriorem dilationem Christus, quam donec is veniret in regnum suum. Dixit enim: *memento mei CVM veneris in regnum tuum*: respondens igitur Christus; *Hodie mecum eris*, tantundem significat, quãtum si dixisset: sicut hodie ego, ita & tu, in regno meo mecum eris. Iuit certe die adscensionis suæ Christus cum Patribus sanctis in cœlum, vt testatur Apostolus: *Adscendens in altum captiuam duxit captiuitatẽ.* atque illic in cœlesti gloria sunt; vidit enim in Apocalypsi Ioannes, *viginti quatuor Seniores*, ante thronum Dei, & Martyres *albis stolis amictos*, seruientes, & benedicentes Deo, *die ac nocte.* Itaque dubitare noli de Ecclesię fide; quæ tam ex scriptura, quam ex Apostolica traditione, omnes in Christo morientes, sine peccati, aut pœnæ reatu, docet statim videre Deum: sicuti & illos, qui iam in purgatorio, pro reatu suo satisfecerunt. Core. Dathan, & Abiron, legimus in inferno descendisse, epulonem quoque ibi Christus dixit sepultum: certè non est minoris liberalitatis, quam iustitiæ Deus: ac proin si malos ante extremum diem damnat, cur non & bonos statim præmiat? præsertim cum passione, & morte sua; cœlos aperuerit.

Ephes. 4. 8.
Apoc. 4. 5. 6. 7. & 21.
Num. 16 30
Leui. 16. 23.

Gaudium hoc beatorum, gaudium cordis est. gaudent enim tota anima, intellectu, & voluntate: quæ tria hominem constituunt. Nunc ergo corde; post resurrectionem, & carne exultabunt. Vide vt statim post mortem, ad gaudium hoc possis admitti, eoque impleri: & si iam animum purgas, ac virtutibus ornas, thesaurum colligens bonorum operum, sine dubio postea gaudio æterno frueris.

XVIII. Præsens gaudium piorum nō tollitur.

Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Dupliciter quoque verba hæc intelligi possunt. *primo*, vt gaudium Apostolorum, ac piorum, quo hic gaudent, significetur non tollendum. Quod fit quinque de causis. *Primo*, propter intimam gaudij
1. eorum profunditatem. est enim in corde, vt proin nemo illud, nisi prius cor auferat, id est eos occidat, possit auferre. Et quia vita cordis, anima est, manet in hac gaudium illud, & cum ea in cœlum vadit. Gaudium mundi non est ita profun-
2. dum, ideoque facile etiam minima aduersitate tollitur. *Secundo*, propter gaudij sinceritatem, & puritatem: neque enim admixtum habet aliquid tristitiæ, vt corrumpi possit. Est enim instar puri vini, cui aquæ, aut aceti nihil admixtum sit. Gaudia vero mundi felle miscentur, ideoque in se corruptionis principium habent. nascuntur enim ex peccatis; verbi gratia, choreis, & tripudijs, potatione, comessatione, garrulitate, vanitate; temporis dispendio, ornatu sæculari, &c. quæ exteriorem quidem voluptatem pariunt, sed habent latentem vermem, qui conscientiam rodat. gaudia Sanctorum instar cœlestium corporum sunt, in quibus nullum est corruptionis principium, quale sunt quatuor elementa, in quibus perpetua est contrariarū qualitatum; caloris, frigoris, siccita-
3. tis, & humoris pugna, mutuaque alteratio. *Tertio*: quia crescit beatorum gaudium ex eo, quo putabatur minuendum, & quo mūdi gaudia statim pereunt, tribulatione scilicet, & aduersis. sicuti enim quanto vehementior flat ventus, tanto etiam accenduntur magni ignes vehementius, ita vt integras aliquando ciuitates consumant; sic cum magnitudine tribulationum, martyribus gaudia crescebant. Risit in craticula tyrannum Laurentius. Carbones viui Tiburtio rosæ videbātur, quos nudis pedibus inambulabat. Increpabat tyrannum. Secunda, quod non æque ac soror flagellis cæderetur. Multorum in tormentis vox ista fuit: *Nunquam adeo læti fuimus, nunquam adeo lautè & opipare conuiuati, vbi tanto gaudio, atque modo perfusi simus.*

Quemadmodum enim qui pruritum sentiunt, scabi se gaudent, & defricari, etiam vsque ad sanguinem, ita quibus Dei amor flagrat, de temporali, propter Deum, cruciatu gaudent

dent. Gaudia mundi candelæ instar sunt, quam ventus etiam
paruus extinguit. *Quarto*, quia gaudij huius author est Spiri- 4.
tus S. qui ita firmiter bonorum corda inhabitat, vt à nemine *Rom. 8. 35.*
eijci possit: *Quis*, ait Apostolus, *nos separabit à charitate Christi?* *& 36.*
Certus sum quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principa-
tus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, &c. poterunt nos sepe-
rare à charitate Dei quæ est in Christo. Quin & Christus de ouibus
suis dixit; *nemo eas eripiet de manu mea*: tenebat enim eas. Dixit *Ioan. 10. 28.*
hoc sensu Chrysostomus, *neminem lædi nisi à se ipso*: si enim vo-
luerit manere cum Christo, ac Spiritum S. sibi custodire, ne-
mo inde auellet eum. *Quinto*: quia gaudij materia perpetua 5.
est. Est autem materia hæc, *primo*, Christus, teste Augustino, Materia gaudij piorum.
qui *semel mortuus iam non iterum moritur. Secundo*: quies, & pax
conscientiæ. De qua Chrysostomus: *Nihil est quod homini ma-* *Tract. 101. in Ioan.*
iorem voluptatem pariat, quam puritas conscientiæ. Item, *nihil adeo o-* *Hom. 12. in*
culos malorum, atque inquieta conscientia obscurat. Internum gau- *2. ad Cor. Homil 61. & 63.*
dium est summum. *ad popu.*

Tertio: certa vitæ futuræ, vt Apostolus testatur, *spes*, sicuti e- *Rom. 5. 2.*
nim qui ex remotissimis venit regionibus, multum gaudet,
cum videt domum suam, etiamsi in pluuijs adhuc sit, & via
lutulenta: ita sancti lætantur cum cœlum vident, etsi in tribu-
lationibus sint. Vt proin merito hortetur nos Apostolus vt
semper gaudeamus. Potest certe & gaudium in tribulatione ha- *1. Thess. 5. 17.*
beri; eo quod ipsa ducat ad cœlum. Sicuti enim non dolent,
qui spe magni lucri laborem aliquantum subeunt; sic neque
boni, quia ex aduersis maiorem sibi coronam sperant. Imo
nec interna bonorum tristitia, quam animo sentiunt, eorum
gaudium tollit, aut minuit; quin auget potius: quia charita-
tem accendit, & gratiam meretur. Vnde cum dixit Aposto-
lus: *tristitia mihi magna est, & continuus dolor*: propter Iudæorum *Rom. 9. 2.*
incredulitatem; non propterea minus sentiebat gaudium,
cum dolor ille noui gaudij materia esset; vtpote opus virtu-
tis; quod charitatem auget. nam sicuti ignis tanto est calidior
& lucidior, quanto pluribus nutritur lignis: sic & charitas ar-
dentior fit, & clarior, maioremque habet lætitiam, quanto
plura bona facit.

Secundo, possunt verba hæc intelligi, de gaudio cœlesti; q

non solum nemo tollit, sed in multis quoque indies augetur. Ne minimam quidem tristitiam cœli admittunt, non dolent filiorum damnationem parentes, nec parentum, filij. Vnumquemque gloria sua quietat: nemo maiorem, quam habeat, petit. omnia desideria impleta sunt, omnesque vires, membra, & sensus. Animæ quidem aliquatenus vnionem desiderant cum corpore, propter naturalem ad illud inclinationem; sunt enim in corpore creatæ: nihilominus ita Diuinitate implentur, vt ex desiderio hoc, nihil de beatitudinis perfectione decedat. Crescit earum gaudium, propter bona opera, quæ illarum occasione hic quotidie fiunt: præsertim cum animæ illæ cœlum ingrediuntur, quibus aliquam beatitudinis occasionem præbuerunt. Contra damnatorum tristitia nunquam imminuitur, sed potius augetur, per mala, quibus ipsi vel exemplo suo, vel doctrina, viam strauerunt. Vnde sicut Apostolorum, qui mundum hunc conuerterunt, gloria semper ad extremum vsque diem crescit: sic Arrij, Mahomethis, aliorumque hæresiarcharum, & peruersorum Doctorum, cruciatus crescunt, donec hæresis, vel malum cuius ipsi occasio sunt, omnino deficiat. Hæc cogita, & vide ne alijs malum des exemplum, consilium, aut doctrinam; sed contra bonas monitiones, & exempla. Sic enim accipies augmentum coronæ: per mala vero incrementum damnationis.

ORATIO.

Domine Iesu Christe Saluator mundi, mœstorum consolator, & Aduocate apud cælestem Patrem, qui Apostolis tristitiam suam prædixisti, tuumque solamen promisisti, stabileque gaudium addixisti. Rogamus te Sanctam Ecclesiam tuam præsentia tua recrea. Continuam tristitiam quæ seruos tuo affligit aspice. Hæretici persequuntur, mundus oppugnat, tentat diabolus, vexat caro, & malum omne quod quotidie occurrit contristat. Tu vero solus solatium & refugium in omni necessitate es. Inimicos doma, & nos in ijs super andis

perandis confirma, tristitiam in gaudium muta, & die bonorum, malorum memoriam suggere. Breuitatem vitæ, & æternitatem ob oculos pone, vt hic libentius modicam passionem cum æternitate & fructu percipiamus, quam postea modicam voluptatem cum æterna miseria commutemus. Da gratiam vt in te solo nos oblectemus, in sola tua absentia tristemur. Quia tu verissimum es gaudium, nec extra te est aliud quam mera tristitia. Vt tuam suauitatem gustare ac desiderare queamus, iuua: omnemque amaritudinem quæ sine te in omnibus creaturis est deserere & fugere. Per te Iesu Christe, *qui cum* Patre, *& Spiritu Sancto viuis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Euangelium Ioannis XVI.



N illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, vt ego vadam: Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me De iustitia vero, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

Breuis

Breuis Euangelij Exegesis.



MVlta Apostolis Christus post vltimam cœnam, de suo ad Patrem transitu, & passione dixerat: quodq; ipsi à Iudæis essent extra Synagogam eijciendi, & occidendi, tanquam ipsorum mors Deo sacrificium esset. Tristes ergo de his Apostoli, nihil percunctantur amplius: sed subiecit Christus; *Dixi vobis quia vado ad Patrem.* & licet ante Thomas, ac Petrus, me rogarint; *quo vadis?* tamen iam nemo interrogat; cum soleant abiturum amici de statu loci, ac viæ multa rogare. sed quia de persecutionibus dixi vobis, tristitia impleuit cor vestrũ: neq; iam mei, sed vestri vos cura tenet. timẽtes, ne absentia mea vobis mali initium fiat: sed credite mihi, expedit vobis vt ego vadã, missurus de cœlo consolatorem spiritalẽ. Agit cum Apostolis Christus, quod cũ familia sua mercator peregre abiturus, promittit enim merces pretiosas, eaq; spe domesticos solatur. atq; ideo Christ⁹ Spiritus S. conditiones accurate deinceps explicat, & tria officia. *Primo:* Mundum, id est, malos omnes arguet. & quidem de tribus *primo:* de peccato, cui omnes sunt obnoxij. *secundo:* de eorũ iustitia, quæ est iniusta. *tertio:* de iudicio; nempe, cuius id sit, & quãdo iustum sit. *primo* igitur, omnes peccati cõuincet; quia fide carent, quæ peccata dimittit. *secundo:* ostẽdet per me solum dari iustitiam veram, & me esse à peccato immunem. ego enim mũdum morte mea redimã, atq; in cœlos deinde ascendam non reuersus. Sufficiens autem, imo euidens iustitiæ meæ signum est, quod ad Patrem ascendo. *tertio:* ostendet

tiam in Trinitate personam, mittere possit, & donare. *Secundo*, dignitatem ostendit, & præstantiam Spiritus S. cuius præsentia Christi supplere potest absentiam. Hinc enim euidenter Chrysostomus conuincit, Spiritum S. Deum quoque esse: absentiam namque Christi, infiniti, & omnipotentis Dei, creatura nulla, (siquidem omnes finitæ, & limitatæ virtutis sunt) supplere potest: debet enim id quod suppletur, ei cui suppletur esse æquale: sicut millium coronatorum iacturam, non nisi mille coronatis supplemus. Discis itaque doni huius magnitudinem, quod de cœlo misit nobis Christus, vt amorem sui, pluriumque donorum excitaret spem. *Tertio*: fortitudinem docet, qua instantem sibi passionem laturus sit. Solet deducendis ad mortem, præsertim grauiorem, reis, solatia ab alijs, & robur, quo ad fieri potest, suggeri: Christus contra ipse grauissimos passurus cruciatus discipulos solatur, à quibus solatium accipere debuisset. Verum noluit humana solatia, sed in horto coram Patre effundens animam suam, ab illo solatium meruit, & confortationem Angelicam. Disce in aduersis omnibus patientiam, & quicquid immiserit Deus longanimiter tolera, animum ad eum eleuans, qui nobiscum est in tribulatione: sicuti Moysi in rubo apparuit ardente, sed incombusto. Arbores roborantur vento, folia vero arida deijciuntur. Aurum probatur igne, sed lignum consumitur, & incineratur. Adfuit tribus pueris in fornace Angelus, eos autem qui eam accendebant, consumsit flamma. *Quarto*: ostendit quam voluntarie fuerit passus; dicens, *vado*, quasi diceret, non coactus, sed spontaneè. item; *vado*, iam statim, sine dilatione; nolo enim vt definita mihi à P. passionis hora prætereat. commendans celerem, & expeditam, non in prosperis solum, sed etiam in aduersis, obedientiam.

Luc. 22. 43. *Psal. 90. 15.* *Exod. 3. 21.* *Dan. 3. 92.*

Quinto: quid à Spiritu Sancto petamus, docet. nempe, peccati cognitionem, & iustitiæ; memoriam iudicij, in veritate ac doctrina Christiana progressum, honorem Saluatoris nostri Christi, & amorem. Ideoque oportune Ecclesia Euangelium hoc, tempore inter Pascha & Pentecosten medio, nobis præscripsit; vt semper passionis Christi memores, recogitaremus, quam fortiter, & voluntarie, item qua de causa, passus sit.

sit. nempe, vt cœlos nobis aperiret, ac Spiritum S. & cœlestia inde charismata mitteret.

II. Via ad cœlum. *Act. 14. 22* *Vado ad eum qui misit me.* Nota *primo*, quod iturus ad passionem Christus, ad Patrem se ire dicat, qui eum misit. *Primo*: quia directa ad cœlum via tribulationes sunt: Nam *per multas tribulationes oportet nos intrare regnum Dei.* Si ergo vitam habes commodam, & quicquid animo collibitum fuerit; time ne forte exerres à via hac. Et cum de immissis à Deo tribulationibus aduersum Deum quereris, significas, non amari à te viam istam. *Secundo*, vt doceat omnes, qui in hac viuunt lachrymarum valle miseriæ plena, ad Deum ire, à quo *Matt. 20.* missi sunt in vineam laboraturi, non vt otio torpeant. Eunt autem hi ad Deum sicut Christus, vt rationem ei de omnibus, quæ eis fuerant mandata, reddant. Nihil prætermiserat Christus, nec momentum ei temporis abierat vacuum, neque articulum minimum mouit, neque verbum vllum dixit, neque cogitationem aliquam, quæ vtilitate careret, admisit: sed omnia accuratissime ad Patris sui honorem impleuerat. Ibat ergo hoc Patri nuntiaturus, & dignam ab eo mercedem recepturus.

Nota *Secundo*, quod dicitur: *Ego vado.* significat enim, *Primo*: extunc inchoatam fuisse Christi passionem, præsertim, in animo eius, cum tristitiam vidit Apostolorum, quæ primum passionis eius initium fuit.

Secundo: quod libenter, & cum magno desiderio ad mor-Præparatio ad mortem tem iuerit, vt nos doceret, *primo*, semper esse paratos ad instantem mortem, ac cogitare quasi iam ad eam eamus. Promittit vitam longiorem mundus, & adolescentiæ annos cum omni voluptate transigi suadet, vt senectam dein diuino cultui destinemus. Tu vero contra cum Christo dicas: *Vado.* quis scit si hac nocte, aut ante eam tollat me factor meus? neque enim certior sum quod nocte hac viuam, quam quod moriar. Eadem vtriusque incertitudo est, & vtrumque mihi fortuitum: vt proin dicere debeam, forte vespere hoc viuam, forte moriar. Peregrinum te cogita instabilem, qui in hoc mundi diuersorio non diutius maneas, quam donec vocet te Dominus tuus. Stultus sine dubio

dubio est, qui in hospitio emit aliquid, quod ibidem relinquendum est. Stultiores vero, qui magnificas hic ædes struunt, agros coemunt, opes corradunt, hic mansuras; aut aliud quicquam cuius nullum in cœlo pretium sit; voluptates scilicet, vanas oblectationes, & corporis speciem. Præstaret ad cœlum præmitti, quicquid hic nobis ipsis subtrahere possumus: quis enim scit, an non opinione sua citius vocandus sit, auditurusque: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, & quæ parasti cuius erunt?* Luc. 12. 20.

Discessurus ex hospitio, diligenter caues, ne quicquam in eo relinquas; quid ergo est, cur in mundo multa velis relinquere, nocitura tibi post mortem plus, quam prof... *Secundo* discimus: libenter, exemplo Christi, mori. est... certe latentis alicuius mali indicium, si à morte Christianus multum abhorreat. Carcerem ingressus, tria vides captiuorum genera. Mors voluntaria.

Primi, propter debita detinentur, quæ iam vel soluerunt, vel iusserunt solui. *Secundi*, ob leue aliquod, & exiguum crimen, verbi gratia, si crumenam alicui abstulerint. *Tertij*, propter facinora, qui & mortis rei sunt; siue lenioris, siue durioris, vt cruri fragij, aut combustionis. Tria genera captiuorum.

Primi, iudicem expectant, sperantes dimissionem. *Secundi*: aliquam quidem virgarum, aut ignominiæ pœnam timẽt, hanc tamen præ æterna captiuitate malunt. *Tertij* vero, à iudicis aduentu omnino horrent, à quo non nisi mortem sperant, & grauissima tormenta: malunt perpetuos carceres, quam talem dimissionem. *Tales* sunt, homines sæculares; quibus in ore est, si permittat mihi mundum Deus, ego libens permittam ei cœlum. *Secundi* autem, pij sunt; qui ob peccata sua siue venialia, siue mortalia confessa, purgatorium timent: malunt tamen hoc, quam vt in his mundi viuentes miserijs, nunquã Deum videant. *Primi*, porro ei sunt, qui pro viribus Deo student placere, ac mortalia omnia, imo & venialia grauiora cauent. Desiderant hi aduentũ Domini. neq; horrent; quia frequenti cõfessione ab omni peccato se expiant, & crebra Eucharistiæ susceptione animã omni virtute ornãt, mortificãt seipsos, bonis exercitijs animi passio- Tria genera hominũ.

passiones expugnant, bonorum operum thesaurum congregant in cœlo, qui eos ibi expectet. Nemo est, qui non ad primum hoc genus accedere possit; imo omnes in hoc esse deberemus, aut saltem eo laborare, vt pacato corde Christi aduentum, ac mortem præstolaremur. vt si sub mortis hora tentaturus nos veniat diabolus, cum B. Martino dicere possimus: *Quid hic adstas cruenta bellua: nihil in me funeste reperies. Vado ad eum qui misit me. Tu vero ad eum abi qui te misit.* Oportet ad hæc præparari, dum valemus: sub mortem cum Antiocho quidem, & Ægypti primogenitis, (quos omnes vna nocte occidit Deus) clamatur; sed rarus est, qui tunc vere pœniteat. Sera enim pœnitentia, raro vera: Eo quod morbis, tristitia, curis, ac metu tantum distrahamur, vt exigua sit de peccatis sollicitudo, ac difficulter ea cum vero dolore confiteamur.

2. Mach. 9.13. Exod. 11.6. Sap. 18.18.

Nota *tertio*: quomodo ad Patrem vadat Christus; apud quem, imo & in quo semper erat; *Creditis*, ait, *quod ego in Patre, & Pater in me est*? Secundum diuinitatem vnus erat cum Patre, secundum humanitatem autem eo minor erat. tamen etiam vt homo nunquam à Deo abfuit, cum ei per Incarnationem esset vnitus. Itaque aduertas oportet, quod ad Deum non corporis gressibus, sed cordis itur affectibus: Multi corpore Deo præsentes sunt, in templo, in sacro, in Eucharistiæ susceptione, qui nihilominus longissime ab eo absunt: quia in mortali sunt peccato.

Ioan. 10.38.

Tres sunt, quibus ad Deum itur, modi. *Primo*, cum à peccatis conuertimur. De quo Apostolus: *Eratis*, ait, *longe, nunc autem facti estis prope.* Sed hoc modo Christus nunquam ad Patrem iuit; quia nunquam ab eo per peccatum abfuit.

Tres modi eundi ad Deum. Ephes. 2.13.

Secundo: cum ex mundo hoc discedimus, Deum clare visuri. Sed neque hoc modo Christus ad Patrem iuit; quia à primo conceptionis initio, anima eius Deum clarissime vidit.

Tertio: cum in iudicij die assumptis corporibus Deo anima simul fruetur & corpus; acceptis claritatis, incorruptibilitatis, & impassibilitatis dotibus. CHRISTVS quo ad hic in terra vixit, non adfuit Patri hoc modo: erat enim corpus eius passibile; fami, siti, æstui, fatigationi, & doloribus obno-

obnoxium. Itaque ad cœlum ire debuit, in quo ceu gloriæ loco Deus videtur: vt illic anima ſimul & corpore glorioſus eſſet, & immortalis, ac impaſſibilis. Hoc ergo modo ad Patrem iuit, vt eadem nos via ſequamur. ſed noſtrum nemo, ſiue animæ, ſiue corporis gloriam poteſt accipere, niſi ante primo modo ad Deum iuerit; nempe, niſi à peccato fuerit conuerſus, & Deo gratus. Si quis autem in gratiæ ſtatiæ ſtatu moritur, anima ſtatim ad Deum vadit, corpus vero ſequetur poſtea.

Grauiter profectò dolendum eſt; quod pauci viam hanc terant: *omnes*, ait Iſaias, *in viam ſuam declinauerunt*: *vnus ad villam, alius* vt Chriſtus refert, *ad negotiationem*. Atque ita abeunt tandem ad locum quem meruerunt. Quomodo de Iuda dixit Petrus, quod *abijt in locum ſuum*; nempe infernum. Via Dei eſt vita bona, proximi ædificatio, & ad virtutem deductio: ſi te ipſum quæris, à via hac longe erras. Mittebatur in Niniuem Ionas, & *fugit in Tharſis*. Tu quoque ſi ex eruditione, dignitate, diuitijs, ac officijs, quietem quæris, nihil recogitans donata tibi à Deo iſta, ad laborem, & proximi vtilitatem, Ionam imitaris.

Iſai 53. 6. *Matth. 22 5.* *Act. 1 25.* *Ion. 1. 3.*

Nota *Quarto*: verba iſta, *qui miſit me*. vt modum diſcas, quo in mundum Chriſtus venit. neque enim vt ſeruus miſſus eſt à Domino, ſed vt filius à patre, eiuſdem cum Patre maieſtatis. Poteſt autem miſſio hæc, duobus modis intelligi. *Primo*, vt natiuitas eius, & generatio ex Patre, miſſio ſit: quo modo arbores dicuntur mittere fructus ſuos, quos germinant: *Secundo*, cum factus homo, ex vtero matris ſuæ eſt natus. Tunc enim vt homo miſſus eſt, qui & ſecundum humanitatem apud Prophetam: *Dei ſeruus* dicitur. atque ita non Pater ſolus, ſed & Spiritus Sanctus eum miſit: vnde apud Iſaiam habemus: *Miſit me Dominus, & Spiritus eius*, Corpus enim Chriſti tota Trinitas aptauit, & ex B. Virginis vtero in mundum produxit. Miſſus eſt autem, vt voluntatem Patris impleret, & quo ad vixit, ſemper miſſionis huius meminerat; illud frequenter repetens, *Pater qui miſit me*, &, *Miſſus ſum à Patre, &c.*

Miſſio Chriſti qualis. *Iſai. 49. 5.* *Iſai. 48. 16.*

Primo, vt tanquam Dei legatus audiretur. *Secundo*: quia de legatione

legatione sua semper cogitabat. Disce & tu, *primo*, missum te quoque à Deo, & quidem vt facias voluntatem eius. Itaque vesperi examina, an non propriam magis, aut diaboli voluntatem die iam elapso feceris, quam Dei.

Secundo, ad quem vadas; ad Dominum scilicet à quo missus es, quique te expectat, rationem excepturus de omnibus, quæ ad animarum salutem donarat tibi, de tempore, ingenio, nobilitate, pecunia, sanitate, honore, dignitate, potestate, viribus, &c.

Cant. 2. 9. *Tertio*: vbi hic Dominus sit, *non longe*, scilicet, *ab vnoquoque nostrum*. Sponsa eum *post murum* stare dixit; quia statim ac corpus hoc egredimur, Christum videmus, qui rationem exigit.

Quarto; quo modo ad eum vadas. Sæcularibus illud curæ est, vt in via hac pulchre vestiti sint, magnis instructi opibus, & commodis: sed furũ similes sunt, quos magna ad patibulum caterua deducit, multis implicitos funibus, ac laqueis. Quid enim temporalia, hæc nisi funes sunt, quibus vincimur; & laquei, quibus suffocamur? & quid sunt ministri, subditi, quiq; honorant nos, qui nisi spectatores prosequentes nos ad infernum? Negligunt exteriorem cultum iusti, de interiore virtutum profectu solliciti, & cum mortem corporis euitare non possint, illam laborant non tam mortem, quam vitæ habere portam, & introitum. Itaque omni studio, remota negligentia, pietati vacant, ac bonis operibus: nulla enim sciunt diabolo potentiora arma, quam si *Serm. 19. in Cant.* hominibus otiosam, & securam vitæ negligentiam persuadeat: teste Bernardo.

III.

Ioa. 13. & 14 *Et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis?* Interrogauerat Petrus; *Domine quo vadis?* & Thomas; *Domine nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire.*

Dubium.

Resp. 1. *Tract. 94. in Ioan.* Quomodo ergo hic dixit Christus; *nemo ex vobis interrogat me quo vadis?* Quinque sunt huius dubij solutiones. *prima*, est Augustini: qui putat loqui hic Christũ, de ascẽsione sua in cælos, coram omnibus futura: vt sensus sit; breui, vobis alijsque videntibus adscendam ad cœlos, videbitis autem ita euidenter adscendentem me, vt necessum non sit interrogare;

quo

quo vadis? Ex hac autem explicatione, discimus. Nemini licitum dubitare de Christi adscensione, sed laborandum Christianis omnibus, vt eum sequantur, atque ita hic viuant, vt ex operibus euidenter cognoscant alij, quo vadant: nempe, ad Christum in cœlos. Multi vitam religiosam veste, & cæremonijs externis, profitentur: sed non reddunt nos de via sua certos, quia & lupos ouina vestis tegit. *Secunda*, est Ruperti: 2. Responsio.
qui verba ista de passione Christi exponit; quasi dicat Christus, antequam passionis meæ apud vos meminissem, interrogabatis me quo irem, ostendentes vos paratos sequi: sed postquam me dixi ad mortem ire, nemo me interrogat; quasi de fuga soliciriores sitis, quam vt me sequamini.

Tertia, huic similis est: Post modicum discedam à vobis, 3. Resp.
atque capiar, vinciar, & ita misere tractabor, vt præ metu non sitis mihi locuturi, relinquentes me solum in manibus inimicorum, imo ne quidem ita appropinquabitis, vt loquamini mecum, aut interrogetis me. Notantur hic omnes, qui Christum sequuntur, quamdiu panem frangit: id est, quam diu nihil pro Christi nomine patiuntur. Sunt hi similes amicis religiosæ virginis, qui eam ad Cœnobium vsque deducunt, sed ingredientem dein solam dimittunt.

Quarta, est Cyrilli: qui Discipulos hic à Christo benigne 4. Resp.
putat reprehensos, quod inchoatas semel interrogationes non prosequerentur. Audierant paulo ante, fore vt pro Christi nomine extra Synagogam fierent, multaque paterentur, ex quo de se ipsis ita fuerunt solliciti, vt ad Christi viam parum attenderent.

Vnde notantur hic, *primo*: qui damna propria, Diuinæ in- Reprehẽsi hic.
iuriæ; & vtilitatem propriam, Diuino honori præferunt; 1.
Pharaonis instar, qui propter ea quæ præstabant filij Israel, Exod 7. 12.
eos dimittere noluit, vt sacrificarent in deserto. *Secundo*: 2.
qui in tribulatione sua, & animi angore, Deum non orant; sed proprijs se cogitationibus imminentis mali occupant. *Tertio*; qui cum dubitant, non consulunt prudentiores; sed 3.
vel sibi ipsis innituntur, vel sibi consentientibus; quomodo & Apostoli nonnunquam cum se mutuo colloquebantur, non consulto CHRISTO. *Quinta*, est Euthymij: 5. Responsio.
qui

qui illud, *quo*: explicat per *quorsum*, vel *ad quid, quid facturus*? Quia enim dixerat Dominus, *Vado ad eum qui misit me*, nihil erat necessum, rogare quo, vel ad quem vadis: sed quid apud Patrem facturus es? Atque ita respondisset Dominus; vado, vt pro mundi peccatis moriar, ac dein post resurrectionem vadam cum vulneribus in cœlum, vt ea tanquam Mediator hominum, & Aduocatus, Patri semper exhibeam, & per ea pro mundi salute orem.

Negligentia nostra in rogandis saluti vtilibus. Reprehendimur cum Apostolis, & nos: qui de eis quæ ad salutem adeo necessaria sunt, tam parum interrogamus; vt, *primo*: Cur tanta passus sit Christus, & mortuus? Hinc enim peccati disceremus fœditatem, quod nullo nisi Æterni, & in-

1. finiti Dei, sanguine, ac morte potuit expiari, vt peccata dein vitemus, & cum eorum aliqua in nobis aduertimus, statim ea per Sacramentum Confessionis, in quo Christi sanguine lauamur, deponamus. nisi enim per CHRISTI merita à peccatis liberemur, adhærebunt nobis perpetuo; neque vnquam, nec æternis quidem inferni flammis, expiabuntur.

2. *Secundo*, cum eos qui sanctæ conuersationis sunt, vitam videmus austeriorem ingredi, renuntiatis sæculi voluptatibus, honoribus, opibus, vt in cœnobio paupere pœniteant tota vita, rogare deberemus, ad quid, & cur hoc faciant? Sicuti S. Adrianum fecisse alibi diximus. Qui cum esset 28. annorum nobilis adolescés, videretque fortitudinem 23. Martyrum in ferendis tormentis, rogauit eos, ac dein responsione eorundem ita exarsit, vt pro Christo quoque passus sit. Tu ergo si similiter sanctos Religiosos interrogares, responderent tibi: *primo*: vt sine timore stemus ad tribunal Christi, vbi ratio exigitur exacta, & condonatio præstatur nulla. nam de verbo otioso, & de inani cogitatu interrogabimur, & puniemur. *Secundo*: propter cœli gloriam; quæ tanta est, vt nulla huius *temporis Passio ad eam condigna sit*. Porro si cogites dein, cur duo hæc illos moueant, te non item, qui rigido illi iudicio non minus quam illi sisteris, & cœli gloriam desideras; fors & tunc moueberis, vt eos imitatus mundo renunties.

Dom. 2. Quadrag. § 6.

Rom. 8. 18.

Tertio:

Tertio: Cum aliquem videmus morientem, interrogare similiter debemus; quo vadis, quo vadit anima? quid fiet ei? Crescunt quotidie anni mei, & quid tandem fiet mihi. Sicuti videtur mirari Christus, cur non interrogauerint eum Apostoli: ita & mirum est, cur nec ista interrogemus, aut saltem cogitem⁹ nos. Fortassis id fit, *Primo:* quia mori vile quid est, ac exiguum; sed mors tollit omnia, quod sane exiguum non est. *Secundo:* quia reditum quis sperat; sed non est post mortem vllus ad vitam hanc reditus. *Tertio:* Opera tua non examinanda speras; sed & *de omni verbo otioso rationem reddes,* [a] *& iustitiæ quoq; iudicabūtur.* [b] *Quarto:* misericordem tibi Deum spondes; sed post mortē iustitiæ tempus est, vbi *per ignem* examinabimur, & per cribrum colabimur. aut fors *Quinto* putas; quæ de vita futura dicuntur, minus vera esse, aut mortem abesse à te longius; sed verbum Dei, ex quo ista habemus, nescit falli. vitæ autem terminus opinione tua tibi vicinior est: venit enim mors, sicut fur cum minimè expectatur. Veræ ergo caussæ, cur ista minus cogitentur; tres sunt. *prima*, est: mundus, qui inani voluptate cor, ac sensus nostros ita occæcat, & negotijs suis occupat, vt veritatem intueri non possimus. *secunda*, est: caro. quæ, ex nimio vitæ præsentis amore, sibi persuadere non potest animæ à corpore discessum, & cogitationem hujus rei ceu melancholicam vitat, ne ex ea tristitiam, scrupulos, & phantasias capiat. *tertia*, est: diabolus. qui peccatorem non aliter, quam Samsonem Philistæi, excæcat. Misericordem esse Deum persuadet, & peccata negat istius fœditatis, qua communiter describuntur. Tres hi aduersarij nostri sunt, ideoque volunt nos fallere. Caue ergo à verbis eorum; neque enim in iudicio Dei defendent, nec iuuabunt nos.

Caussæ negligentiæ reijciuntur.

a Matt. 12. 36
b Psal. 7. 4. 3.
1. Cor. 3. 13.
Malach. 3. 3.

Caussæ veræ.

Iudi. 16. 21.

IV.

Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Nota *primo:* benignitatem Christi, qui post repræhensionem excusat Apostolos. quasi dicat, quod non interrogetis me, malitiæ non est; sed tristitiæ: quæ sola vos ab interrogatione impedit. *Aduocatum* itaque se nobis esse *apud Patrem*, vt & Ioannes dixit, commonstrat; qui excuset nos, & peccata imminuat. nusquam excusauit Scribas. Peccantes ex malitia, malo exitio permisit. Caiphas enim, vt sanctus Clemens

1. Ioan. 2. 1.

8. Constit. Apost. c. 2.

mens scribit, se ipsum interfecit: Annas quoque, cum alijs qui in Christum scientes, & volentes, contra conscientiam peccarunt, misera omnes morte, vt Nicephorus narrat, perierunt. Pilatus, referente Orosio, & Adone, cor sibi Viennæ in Gallijs transfodit. Herodes, vt Iosephus testatur, & Egesippus, in magnis quoque angustijs in Hispania obijt. Conuenerant enim omnes, (dicunt Apostoli) non ex ignorantia, sed ex ambitione, *aduersus sanctum puerum tuum Iesum quem vnxisti.* certi se peccare. Discis itaque, quomodo, dilectorum sibi peccata Christus, omni quo potest modo, excuset: præsertim, si ex infirmitate fiant, vel ignorantia. orauit pro crucifigentibus se militibus, & pro decepta à Principibus plebe; excusans eos, quod *nescirent quid faciebant*: & vt Apostolus ait, *exauditus est pro sua reuerentia.* Nam Centurio Longinus cum militum aliquibus conuersus est, & ipsa Pentecostes die baptizabantur, *tria Iudæorum millia*; ac paulò post alia *quinque millia.* Confide ergo in seruitio Christi, à malitia sollicite cauens, quod si autem ex infirmitate peccas, vel ignorantia; habebis eum tibi aduocatum, qui excusabit te; sicuti Petrum excusauit, & Paulum: qui misericordiam consecuti sunt; alter, quia ex infirmitate negauerat; alter, quia *ignorans* persecutus fuerat Ecclesiam Dei.

Lib. 2. c. 10. Oros. l. 7. ca. 1. Adon in Chroni. Ioseph. lib. 2. belli Iudai. c. 8. Egesip. l. 2. excidij Ierosoly. c. 5. Act. 4. 27. Hebr. 5. 7. Metaph. 16. Octob. Act. 2. & 4. 1. Tim. 1. 13.

Nota *secundo*: humani cordis conditionem, quod gaudio dilatatur, & quodammodo fit infinitum; ita vt nec mundo toto impleri possit. Alexander, audita Democriti sententia, quod infiniti essent mundi, tristatus est; quod omnes expugnare non posset, qui necdum vnum expugnasset. non poterāt cor eius etiam centum mundi explere. cum nihil cor nostrum impleat, nisi quod eo maius est; nimirum, solus Deus. de quo Ioannes: *maior est Deus corde nostro.* Cum hic in cor nostrum aduenerit, omnino explebimur, nihil aliud desideraturi: *Implebimur*, ait Dauid, *in bonis domus tuæ.* &, *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; item. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* Ratio est; quia beati sic accipiunt Deum, vt simul ille in ipsis, & ipsi in illo sint: quemadmodum spongia in mare proiecta aquam habet intra, & extra se. Sic beato dicitur; *Intra in gaudium Domini tui.* Cor nostrum triangulum

1. Ioan. 3. 20. Psal. 64. 5. Psal. 16. 15. Psal. 35. 9. Matt. 25. 23.

lum est, sola Trinitate impletur. mundus vero rotundus est, neque implet angulos. Tristitia porro cor nostrum arctatur; statimque impletur. vnde dixit hic Christus: *tristitia impleuit cor vestrum.* imo etiam vel minima tristitia omne statim gaudium excludit. Videmus hæc quotidianis exemplis. In prosperis lætamur, & effundimur; si aduersa audimus, de facto alicubi detrimento, amici obitu, aut simili, arctamur statim, & tristitia implemur. Bacchanalium tempore lætamur, saltamus, ridemus, & quicquid volupe est facimus: adueniente autem quadragesima, cum pœnitentiam audimus, & confessionem, tristamur. Cor nostrum verniculis simile est, qui sereno cœlo prodeunt, acicula vero læsi abduntur. Arbores æstas dilatat, hyems præcidit: sic cor nostrum lætis inhiat, tristibus stringitur, ne ea capiat.

Nota *tertio*: Tristitiam discipulorum ex futura Christi absentia: norant enim eripiendum sibi magnũ thesaurum. Nos à puerorum ingenio parum absumus; qui perditum plorant pomum, fractas domunculas luteas, &c. grauiora vero damna parentum non sentiunt. temporalium amissionem dolemus, non Dei: cũ tamen tanto debeat esse dolor maior, quanto bonum amissum est digni⁹. sicuti magis dolet qui 100. quã qui 50. coronatos amisit. cum ergo Deus sit bonum infinitum, infinita de eius amissione tristitia requiritur. Heli audita populi fuga, non legitur commotus, neque audita filiorum suorum morte: sed postquam Arcam [illegible] captam (*erat enim cor eius pauens pro Arca Dei*) *cecidit de se*[illegible] *retrorsum*: præ tristitia, & mœrore. Peccato vno Deum perdimus: quod quisquis non sentit, lætitiam veram ignorat; quia sine Deo nulla est. Animum examina, an de peccato plus doleas, quam temporali damno: & videbis, an Deum supra omnia diligas. 1. Reg. 4.

Nota *quarto*: Christũ Apostolis de tristitia loqui, vt eos dein cõsoletur: vlcus dum saniem trahit, vrit: apertum vero, & purgatum, nihil dolet. sic tristitiæ lenimen est, in alterius sinum eam exonerasse. cum vero Christus per se Apostolorũ tristitiã videret, nõ erat necessum eam ab ipsis aperiri. consolatur autẽ Cur Christus Apostolos soletur?

1. eos, vt nos doceat. *Primo*: Mœstis libentes adesse, eosque vel
Prouc.16.24. re ipsa iuuare, si possumus; vel vt minus verbo. *Fauus mellis*, ait Sapiens, *composita verba, dulcedo animæ sanitas ossium*. lenitur
2. enim dolor, & homo roboratur. *Secundo*: Ne quibuslibet præsertim garrulis, dolorem aperiamus, quibus in eo labor est, vt de eo qui læsit detrahant, atque ita & seipsos, & te nouo maiorique vulnere; peccato scilicet mortali, sauciant: ac Deum, qui verus lætitiæ fons est, eripiunt. Christum accede, & in
1.Reg.1.15. Thob.3.10. conspectu Domini animam effunde; exemplo Annæ, Thobiæ, & Saræ, sentiesque solatium; sicut illi. sin minus; Sacerdotem adi, & contitere, fors in te tristitiæ caussa est; non in alio, qui læsit: saltem consilium minuendæ tristitiæ inuenies.

IV. *Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam.* Duplex
a Hom 77.in Ioan. hic sensus. *Prior* Chrysostomi,[a] & Cyrilli:[b] vt, *sed*, coniunga-
b Lib.10. in Ioan.c.31. tur cum illis; *ego veritatem dico*: nempe, etsi videam vos meo discessu tristes, necesse tamen est, vt veritatem vobis dicam. Non silet vtilia, etsi tristia. vt discamus, *primo*: Veritatem in se lætam, sed afflictis tristem esse: sicut mel in se dulce, vulnera mordet. Multis veritas odiosa, qui Concionatoribus illud
Isai.30.10. 2.Tim.4.3. Isaiæ inclamant: *Nolite nobis dicere quæ recta sunt; loquimini nobis placentia* quos Apostolus dicit, *prurientes auribus coaceruare sibi magistros ad sua desideria*, qui aures scalpant. Videmus id hodie, cum carnalibus Dei Verbum videtur; Monachorum, & Monialium, ac Sacerdotum licita esse matrimonia, dico sacrilegia. Opera bona nō mereri; carnis afflictiones, & ieiunia nō prodesse: &c. quibus à virtute homines ad vitia abripiũtur. *Secundo*: Veritatem, si res exigat, non tacendam. Non licet Superiori, vel Concionatori, ad peccata subditorum, vel auditorum conniuere: imo nisi ea reprehendant, ipsis imputabuntur: sin reprehendant pro officio suo, liberauerunt animam suam. Qui aquam superne fundit, prætereuntes monet, vt caueant; qui vero non audit: sibi imputet si madescat: si alter non præmonuit, damnum quod sequitur, ferre debet. Decla-
Ezech.3. & 33. rat hoc late apud Ezechielem Deus. *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel. Si me dicente ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via*

sua

sua impia, & viuat, ipse impius in impietate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & à via sua impia, ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam, liberasti.

Non est officij Superiorum tanta facilitas, quantam multi putant. dabunt illi Deo pro singulis subditis, vt Apostolus docet, rationem. sicuti & Concionatores, pro dissimulatis populi peccatis. Disce itaque. *Primo*: non irasci monitus ab eis: *Melior est* enim *manifesta correptio, quam amor absconditus.* præstat enim monitos à peccato surgere, quam non monitos in eo permanere. *Secundo*: Nec quærere, nec suscipere officium tale, nisi fortem te noris, & imperterritum. Monet Sapiens: *Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitatem, ne forte extimescas faciem potentis.* Superiores, & Concionatores, Iudices sunt; illi, subditorum; hi, peccatorum; quæ discernere debent, ac corripere. Vnde ab officio suo aliene faciunt, qui ex concionibus magis laudem quærunt, vel lucrum suum, instar histrionum; quam spiritalem populi vtilitatem. Infidus est, qui accepto à Sponso munere vt sponsæ illud deferat, eius animum ad se vellet pellicere. Sponsus noster Christus est, per Concionatores quasi nuntios munera transmittit; sacrilegus ergo est, qui sui honorem, non Dei amorem, ex eis captat. Idem est parentum crimen, qui cum sint nutritij liberorum suorum, ex eis tamen voluptatem quærunt, neque, pro meritis corripiunt, arbitrati se eos multum diligere, si ad Beneficium, vel Officium promoueant. Sed non ille amor semper vtilis.

Hebr. 13. 17.

Tren. 27. 5.

Eccle. 7. 6.

Posterior expositio, *Sed*, coniungit cum *Expedit.* vt sit sensus: Vos meo discessu tristamini; sed mihi credite; nō oberit ille, imo proderit vobis. atque ita cōsolatur discipulos Christus, spe commodi, quod ex eius abitu percepturi erant. veritatis autem meminit, vt fidem conciliaret, quasi dicat, verè, ita est. Nota *Primo*: Nō ideo profuisse Christi absentiam, quasi præsentia obfuerit, ex qua habemus omne bonum: cum præiuerit nos Christus verbo *vitæ æternæ*, & exemplo: dederitque pretium nostræ redemptionis, sine quo omnes adhuc in pec-

Ioan. 6. 61.

qQQ 3 catis,

Abitus Christi expediebat. catis, & carcere vincti lugeremus. Expediebat ergo. *Primo*: Quia cum initio sperarent Apostoli regnum Christi tempo-
1. rale, vt patet ex petitione filiorum Zebedei, & euntibus in
Matth 20.21 Emaus; ex decessu eius didicerunt regnum fore spiritale; hic,
Luc. 24.21. per gratiam; in futuro, per gloriam. Præsens ergo Christus Apostolis dedit cibum paruulorum, perfectiorem vero doctri-
2. nam post abitum dedit, per Spiritum sanctum. *Secundo*: Quia
3. post abitum dedit nobis Christus, quod morte meruerat. *Tertio*: Vt Apostolorum amorem purgaret, qui Christo in terris agente humanitati inhærebant, ob virtutum omnium in ea splendorem, cum ad Diuinitatem transire debuissent. *Quar-*
4. *to*: Non terræ solũ, sed & cœli Dominus, Patri potius in gloria considere debebat, atq; inde omnia gubernare, nosque semper intueri, vt sic ipso inspectore omnia fiant; neque vno Iudææ loco claudatur, vt ante; sed vbique sit, per Venerabile Sacramentum. in quo non adest nobis solum, sed & inest co-
Matt. 28. vlt. piosissime implens, quod spopondit: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.*

Nota *secundo*: Moneri hic parentes, & amicos, ne doleant de conuersione suorum, si post Christum crucẽ ferant. Quærit mundus amicis suis honorem temporaneum; etiam inutilem. & si quis mundo idoneus ei renuntiet, omnes dolent: cum tamen talis vere quietem inueniat, eiusque merita etiam ad amicos omnes redundent: fit enim vitæ perfectione Aduocatus imperfectionum.

Nota *tertio*: *Vobis*. Significat enim, Christi mortem, & ascẽsionem nobis magis, quam ipsi vtilem fuisse. Dicere poterat Christus: Quid doletis vos? doleam ego, cui abitus tristitiæ erit, ac passionis initium: ego tamen nihil doleo. Agit ergo hic Christus instar potentis Mercatoris, qui alijs negotiatur, non sibi: sic Christo mors sua non proderat, sed nobis.

Nota *quarto*: Id omne expedire, quod immittit Deus. ab ipso nihil malum, sed hoc omne à nobis solis. Cogita in aduersis, cur ea Deus immittat, & proficies: aliquando te ita videbis demeruisse, cum Dauid; aliquando te probari, cum Tho-
2. Cor. 12. bia, & Iob, aliquando, vt cum Apostolo, in humilitate permaneas; aliquando, vt alijs compatiaris: nescit enim mala aliena, qui

qui non ſenſit propria. In proſperis ſimiliter, cauſſam cogita, & quicquid Deus exigit, diligenter præſta.

Si enim non abiero, Paraclitus nõ veniet ad vos: ſi autem abiero mittam eum ad vos. Hæc eſt diſceſſus Chriſti ratio. non quod eius corpus impediret Spiritus S. aduentum; cum hic illud in vtero B. Mariæ formarit, imo nec noſtra corpora illius aduẽtum impediant; ſed ob cauſſas ſupra dictas. Habuerunt Apoſtoli Spiritum S. ante mortem Chriſti, baptizati enim acceperunt remiſſionem peccatorum, quæ non fit ſine Spiritu S. acceperunt quoq; eundem in die Paſchæ, cum inſufflans Dominus diceret: *Accipite Spiritum S.* Denique PP. & Sancti omnes ante Chriſti aduentum eundem ſpiritum habuerunt; quia ſine eo nulla ſanctitas. quicquid ergo hic dicitur, de inſigni quadam ſpiritus plenitudine intelligi debet, quæ data eſt Apoſtolis, in die Pentecoſtes, cum *ſono tanquam aduenientis ſpiritus vehementis*, nobiſque datur in Sacramento Confirmationis. Porro decem inuenio rationes apud alios, cur Spiritum ſanctum non conueniebat venire, Chriſto præſente. *Primò:* Euthymius id refert in decretum Trinitatis; quæ voluit, vt Perſonæ omnes quaſi ſucceſſiue, ſaluti noſtræ cooperarentur. Pater mittendo Filium, & trahendo nos: Filius docendo, & patiendo: Spiritus ſanctus perficiendo. Vide quantum opus ſit humana ſalus. Pater potentiam impendit, & virtutem: Filius ſapientiam, & ſanguinem: Spiritus ſanctus omnia dona. quanta dignitas curari à tota Trinitate. *Secundo*: ait Rupertus, id factum: quia alioqui non inueniſſet Paraclitus in Apoſtolis, de quo eos conſolaretur. Vide itaque, *Primo*: Lætitiam Apoſtolorum continuam ex præſentia Chriſti. quam beatum ſit in Deo quieſcere, nemo niſi expertus nouit. *Secundo:* In Chriſto eſſe omne bonum. hunc ſi habes, omnia habes. *Tertio*: Quia non egebant Apoſtoli duobus conſolatoribus, quos Chriſtus præſens abunde verbo, & moribus ſolabatur. neque enim perfectionis eſt, in triſtibus ad multos diſcurrere. *Quarto*: Vt tum ex conſolatione, tum ex miraculis, cognoſceretur Spiritus ſancti Diuinitas. quod ſi præſente Chriſto Apoſtoli miracula feciſſent, ea non attribuiſſent homines Spiritui ſancto, ſed Chriſto; qui miracula ipſe

[Margin notes: VI. (beside "Si enim non abiero"); *Ioan. 20. 22.* (beside "diceret: Accipite"); *Act. 2. 2.* (beside "die Pentecoſtes"); Cur non cõueniebat mitti Spiritũ S. Chriſto hic agente. 1. (beside "Primò"); 2. (beside "Secundo: ait Rupertus"); 3. (beside "Tertio"); 4. (beside "Quarto")]

Matth. 10.7. faciebat, & Apostolis dixerat: *Infirmos curate, mortuos suscitate, &c.* postquam vero absente Christo Apostoli nec minorem senserunt consolationem, nec minora fecerunt miracula; imo maiora: Christ⁹ enim nullos sua vmbra legitur sanasse; omnes
5. facile collegerunt, Spiritũ S. non esse Christo minorem. *Quinto:* Ne putaretur Spiritus S. à solo Patre mitti, adeoq; ab eo so-
6. lo procedere: vt Græci volunt. *Sexto:* Quia debebant Apostoli à Spiritu S. doceri, ac destinari, tanquam Doctores in mundum vniuersum: Christo autem præsente destinari non poterant, debebant enim ei adesse, tanquam operum omnium te-
7. stes. *Septimo:* Quia debebat Christus, ante Spiritus S. aduentũ, pati; *primo:* vt inter Deum, & homines, pacem, debiti solutione, conciliaret. *secundo:* vt sanguinis sui lauacro, corda hominũ Spiritui S. purgaret. *tertio:* vt donorum plenitudinẽ nobis impetraret, dantur quidem duci ante prælium munera quędam; sed honoris plenitudo victoriæ reseruatur: sic accepit nobis Christus ante passionem dona quædam, sed eorum perfectio
8. post passionẽ dilata est. *Octauo:* debebat Christus ante Spiritus
Ioan. 1. 16. S. aduentum resurgere; non decet membra ante Caput perfici, nec fons scaturit nisi plenus: Christo autẽ, ante resurrectionem, aliquid deerat, ad plenitudinem corporis; nimirum,
Ioan. 7. 39. gloria. Hinc B. Ioannes: *Nondum*, ait, *erat spiritus datus, quia Iesus*
9. *nondum erat glorificatus.* *Nono:* Quia conueniebat Christum prius ascendere in cęlum, cum Patribus. *primo:* Vt Spiritum S. ibi
Ioan. 14. 16. pro nobis peteret. *Et ego*, inquit, *rogabo patrem & alium paraclitum dabit vobis.* ostendit enim Patri vulnera sua, & merita. *Secundo:* vt cœlum terræ conciliaret. partes diffidentes nõ solent sibi mutuo nisi noxia transmittere. ante mortem terra à cœlo diffidebat, ob rupta Dei fœdera: Christus mediator pacis, cę-
Psal. 67. 19. lo primitias terræ intulit, & quasi liba humanæ naturæ. *Ascendit* enim *in altum captiuam ducens captiuitatem, & accepit dona in hominibus.* dona inquam cœlo gratissima; tum, ob gloriosum Christi corpus, magnis illic votis desideratum; tum, ob Patres ruinam illic Angelorum impleturos. conueniens itaque erat,
Psal. 84. 13. vt cum *terra dedit fructum suum*, cœli redderent suum. Datus ergo in Pentecoste Spiritus sanctus, qui etiam hodie in omnibus Ecclesiæ Sacramentis datur: manet enim conciliata semel amici-

amicitia, & quotidie hinc homines istuc abeunt. *tertio:* vt ipse Spiritum sanctum mitteret: *si abiero*, ait, *mittam eum ad vos.* quasi diceret; nisi abiero, nullus mittet. In Diuinis, missio præsupponit duo: originem scilicet, & manifestationem ad creaturas. ideoque Spiritus S. à Patre, & Filio mittitur. habet tamen Christus hoc peculiare, quod eum mittat, non tantum vt Deus, sed vt Rector Ecclesiæ, & Pontifex. *Decimo:* Quia Apostoli, præsente Christo, nimium inhærebant corporali eius præsentiæ: vt Augustinus,[a] Gregorius,[b] Beda,[c] Bernardus,[d] & alij docent. Nihil magis Spiritum sanctum impedit, quam amor corporalium, etiam licitus: quia vt viscus, animæ alas ligat, eamque in terra detinet. contingit quidem terrenorum amatoribus nonnulla consolatio, sed breuis, & quidem eo fine, vt dulcedine eius allecti ab illis se expediant: constans Dei solatium, illorum proprium est, qui relictis omnibus, cum Dauid inquiunt: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* quem sequuti Antonius, Hilarion, Simeon Stylites, Benedictus, Bernardus, Franciscus, Dominicus, &c, ante omnes, B. Apostoli, quibus dictum: *Expedit vobis vt ego vadam.* Nolo enim vos soli humanitati meæ inhærere, neque id expedit: ad Diuinitatem transite. *Nos*, ait ille, *ex hoc neminem nouimus secundum carnem & si cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus.*

Missio in Diuinis.

10.

a Tract. 94. in Ioan.
b 8. Moral. c. 17. & 2. dial. c 38.
c In c. 16. Ioã.
d Serm. 6. de Ascen. Dom.

Psal. 76. 3.

2. Corin. 5. 16.

Nota *primo:* quantam requirat Spiritus S. in templo suo perfectionem. affectus ille Apostolorum malus non erat, & tamen purgandus. quid de alijs erga creaturas affectibus sperãdum? Augustinum audi, *qui virum, aut vxorem, aut liberos, aut alias necessitudines, aliaque pietatis nomina humano more carnaliter sic amat, vt tamen eos Christo Domino non præponat, malitque ipsis carere, quam Christo: propter carnalem autem quem in ijs habet affectum talibus bonis carere sine dolore non possit, ædificare supra fidei fundamentum, fœnum, ligna, stipulam, quæ post hanc vitam exurenda & concremenda sunt. quoniam naturalis & si hæc dilectio sit; affectu tamen, illo dilecta carnali non sine dolore amittuntur.* Impurior est amor sensualis, instabilitate enim quadam rei præsentię inhæret: impurissimus vero est amor carnalis, & Spiritũ S. frustra exspectat. idem est de amore omnis creaturæ, & cuiuslibet quod Deus

21. de Ciui. c. 26.
Lib. de fide & ope. c 16. q. 1. Dulcitij.

non est: hunc tolle, si Dei amorem vis, non permittebatur Israelitis fermentum, cum Pascha comederent: neque datum eis manna, nisi deficiente farina Ægyptia; quod rursus subtractum, cum acceperunt farinam Chanaan. Vis cœlestia? abijce terrena, si pro sordib⁹ ædium quis gemmas offerret, & aurum; quomodo ad mutationẽ talem aduolares? Christus vero pro temporalibus, multo reddit pretiosiora, vt proco suo respondit B. Agnes: initium spiritualium, est contemptus carnalium: his qui non vult carere, nec illis vult gaudere.

Exod.12.15. *Exod.16.7.* *Iosue 5.12.* *B. Amb. in eius vita.*

Hereticorũ obiectio. Nota *secundo*, Hæreticos his Christi verbis oppugnare præsentiam eius in Eucharistia, tanquam impediat aduentũ Spiritus sancti, aut duobus consolatoribus nihil sit opus. Sed Respondeo *primo:* Non negat nobis Christus his verbis, omnem sui præsentiam, dixit enim postea: *Ecce ego vobiscum sum, vsq; ad consummationẽ sæculi:* Vbi de præsentia sui in Eucharistia loquitur, hic ergo negat præsentiam visibilem: adeoque non se nobis negat, sed modũ præsentiæ mutat. *Secundo*, Sacramenta Christi, & Spiritus sanctus, non sunt duo consolatores; sed vnus: vtitur enim illis tanquam visibilibus inuisibilis gratiæ suæ vasis, cum autem Christus suis visibiliter adesset, inuisibili consolatore alio opus nõ erat. Quoties ergo Eucharistiam sumis, ora Spiritum sanctũ vt te purget, & charitate inflãmet, ac cum Patre, & Filio ad te veniens, mansionẽ apud te faciat.

Resp. 1. *Matth.28.20.* *Resp. 2.*

VII. *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.* Fructũ S. Spiritus describit hic Christus; nempe quod armabit Apostolos, *Dabitq; eis os, & sapientiam, cui nõ poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij.* Audierant illi ante, multa se passuros à mundo, nunc se victuros audiunt. De certamine suo quoties meminit Christus, antagonistam suum nominat *diabolum*, seu *Principem mundi:* venerat enim *vt dissolueret eius opera.* Apostolorum vero hostem, *mundum* ponit: vt Princeps Principem, satelles triumpharet satellitem, dedit interim Spiritus sanctus mundo auxilia, quibus expedire se posset à diaboli satellitio. Porro prælium hoc, statim ipso Pentecostes die B. Petrus initiauit: quando statim 3000. hominum mundo eripuit, atque dein posteri omnes ad nos vsque illud continuarunt; loquente in eis, & per eos, Spiritu sancto.

Luc. 21.15. *Ioan. 12.31.* *Ioan.14.30.* *Matt.12.29.* *Actor.2.41.* *Matt.10.19.*

Nota

Nota *primo: Mundi* nomine nō significari machinam hanc, quam vidit Deus, *quod esset bona*: sed qui mundum indebite amant. Duo rerum genera creauit Deus, spiritus, & corpora: quorum vtrumque in homine coniunxit; spiritui, cœlum, corpori, terra, seu mundus hic, locus est. Terram ad tempus habitamus, donec paretur in cœlo locus, & quidem ea lege, vt animus interea in cœlis sit, atque ita *cœli ciues simus, & Dei domestici, habentes conuersationem in cœlis*: vt proin spirituales nominemur. Qui vero cœlis absunt, & nihil nisi terrena sapiunt, hi terram habitant, & sicut habitatores ciuitatis dicuntur *ciuitas*: sic illi *terra*, vel *mundus*. Sunt qui per *mundum*, intelligunt Iudæos; ex his enim electi Apostoli, quibus dictum: *Ego vos elegi de mundo*, sed quia illi etiam Gentibus destinabantur, rectius infideles, malosque omnes accipimus. Dolendum Christianos qui de mundo electi, ei in baptismo renuntiarunt, iterum spreto voto, & Sacramentorum vnctione, à Christo ad mundum transfugere sacrilege, & mundi nomen recipere.

Mundus quid? *Gen. 1. 31.* *Ephes. 2. 19.* *Phil. 3. 20.* *Ioan. 15. 19.*

Nota *secundo: Arguere*, seu ἐλέγχειν, duo significare. *Primo*, reprehendere, corripere verbo, vel facto, vt cum Timotheus monetur *peccantes coram omnibus arguere*. Atque ita B. Augustinus hic accipit, & B. Bernardus, *Spiritus sanctus*, inquit, *arguit malum de peccato quod dissimulat: de iustitia, quam non ordinat, dum sibi, non Deo eam dat: de iudicio quod vsurpat, dum tam de se, quam de alijs temere iudicat*. Mundus non se corripit, ideo à S. Spiritu corripi debet. Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Mundus excæcatus est, &, vt Sapiens ait, *via stulti recta in oculis eius*. Bonos Spiritus sanctus non corripit, sed solatur: elige vtrum malis bonitatem, vt consoletur te, an peccata, vt corripiat. Sed Dauidem attende, correptionis metu exclamantem: *Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me*; & fac vt solatium merearis. *Secundo*; significat *conuincere*, vt cum Dominus diceret. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Sic Spiritus sanctus conuincet errores mundi, & ad veritatem ducet. Porro non dixit Christus *persuadebit*; sed, *arguet*: quia etsi Spiritus sanctus efficacissime suadeat, non

Arguere, quid? *1. Tim. 5. 20.* *Tit. 2. 15.* *Tract. 95. in Ioan.* *Serm. 21. ex breui.* *1. Cor. 11. 31.* *Prou. 12. 15.* *Psal. 6. 1.* *Ioan. 8. 46.*

non tamen omnibus persuadet: omnes interim conuincit, vt respondere non possint, sic quotidie hæreticos conuinci videmus, & malos metu iudicij, vel inferni, nec tamen persuadentur. Quia etsi vincatur intellectus, voluntas tamen manet immota: contra vero si voluntas iubet, intellectus aliquando acquiescit, non conuictus. Disce verbi diuini vim, nec resiste, cum Iudæis, Stephanum, *cuius spiritui non poterant resistere*, lapidantibus: si nunc resistis vocanti benignè, non poteris resistere verbo aspero: cum spiritu labiorum interficiet impium, & à se ablegabit.

Act. 6. & 7

Matt. 25. 41.

Mundus dupliciter arguitur.

Nota *tertio*, Mundum de tribus arguendum: quæ, iuxta duplicem acceptionem verbi *arguere*, dupliciter intelligi possunt. *Primo*, Reprehendet Spiritus sanctus tria. *Primo*, Peccatum, quod ex illicito terrenorum amore quotidie mundus admittit, imo per generationem transmittit. *Secundo*, Iustitiam mundi, ex peccato cæcitas nascitur, ac dein superbia, quæ, vt in primis parentibus vidimus, peccatum excusat, seque iustificat. Omnes mali sumus, & boni haberi volumus. *Tertio*, Iudicium, quo cum Adamo culpam in alios transferimus. Hæc tria mundus habet. *Primo*, Peccatis plenus est. *Secundo*, Laudari vult, & commendari, tristis si reprehendatur. *Tertio*, Se vbique laudat, alios accusat. Quia plenus amore sui, vacuus amore proximi. Principem suum imitatur, qui *Rex super omnes filios superbiæ*. *Primo*, Tam plenus est peccati, vt *peccatum* nominetur in Scriptura; vt ex Methodio, ostendit Epiphanius. *Secundo*, Amorem fingit Euæ quasi condolet, Scripturam falso citat. *Tertio*, Ab inuidia nomen habet, diabolus est, *accusator fratrum*, calumniator, &c. Vbi mala non sunt, ea, quasi sint, comminiscitur: vt patet in B. Iob. Principem hunc proximi eius, nempe hæretici, sedulo æmulantur. *Primo*, Peccatum habent, quod per Antonomasiam tale dicitur, quia omne bonum tollit. *Secundo*, Hæresin mentita verbi Dei larua vestiunt, vt populo placeat. *Tertio*, Ecclesiasticos, & pios vbique rident.

1.

Iob 41. 25. *Hierem. 6 4.* *Gen. 3. 1.* *Matth. 4. 6.* *Apoc. 12. 10.* *Iob 1. 11.*

Secundo, Instruet Spiritus sanctus mundum de tribus. *Primo*, Peccasse eum ostēdet, & peccati naturam, ac vim. *Secundo*, Iustitiam docebit, eiusque viam, & authorem. *Tertio*, Extremū iudicium reuelabit.

Nota

Nota *quarto*, Hanc redargutionem, ad finem vsque mundi duraturam: semper erunt peccatores, & semper doctores dati, vt loquitur Apostolus, *Ad consummationem Sanctorum.* Concionatorum ergo est, peccata detegere, iustitiæ viam ostendere, ac iudicij metũ inculcare; summa enim doctrinæ Christianæ est, declinare à peccato, & facere quod iustum est, vt ad iudicium paremur. Ephes. 4. 12.

VIII. *De peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Incipit hic Christus verborum suorum explanationem. In qua Nota. *primo*, Primum Spiritus sancti officium esse, vt peccata arguat. *Primo*, Quia nihil Deus odit, nisi peccatum. *Nolite*, ait Apostolus, *contristare Spiritum sanctum Dei*: nõ quod Deitas tristitiæ capax sit, sed quia à nobis recedit, propter peccata, non secus, quam si tristaretur. Christum peccata contristarunt, *vsq; ad mortem*, & Sancti nihil hic æque, vt peccata deflent. Ostendit itaque Spiritus sanctus, quod *omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*: multitudinem quoque peccati, & fœditatem, ac tyrannidem. *Secundo*, Vt contra calumniam Iudæorum ostendat, fuisse Christum à peccato liberum. Iudæos vero, aliosque omnes, esse peccatores. Factũ hoc per B. Petrum die Pentecostes, quando cognita peccati sui grauitate, timentes num forte esset irremissibile; vt ait Augustinus, exclamarunt: *Quid faciemus viri fratres?*

Ephes. 4. 30. Matt. 26. 38. Rom. 3. 23. Tract. 31. in Ioan. Actor. 2. 37.

Nota *secundo*, Multis modis peccata à Spiritu sancto argui. *Primo*, Per conscientiæ stimulum, qui instar spinæ carni inhærentis sine interpolatione pungit: hunc qui non sentit, Spiritum sanctum se omnino amisisse timeat: sentiebat Magdalena, donec audiret: *Fides tua te saluam fecit*, & sentit quisque tanto subtilius, quanto cõscientiæ est tenerioris. Nota: etiam à diabolo fieri quendam peccati sensum, qui dicitur *scrupulus*, sed vt scabiosum pruritus irritat, ad noua vulnera, neglecta aliorum curatione: sic scrupulosi scabunt se, & peccata refricant, negliguntque peccatorum aliorũ emendationem. Spiritus sanctus ad quietem ducit; Diabolus ad superbiam, & suipsius complacentiam. *Secundo*, Per lumen animi. Primum diaboli in peccatores opus, est offusio tenebrarum, Spiritus sancti cõtra est, redditio luminis: ita vt quo quisque sanctior, eo in

Arguuntur peccata. 1. Luc. 7. 50. 2.

eo in peccata sua oculatior. Omnis B. Bernardi querela, de proprijs est infirmitatibus. *Tertio*, Per Doctores, aliosque instructores; quibus caue obmurmures. *Melior est manifesta correptio, quam amor occultus*, &: *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.* Cum de peccato monentem audis, Spiritum sanctum audire te cogita, cuius est illa corripere.

3. Prou. 27. 6.

4. *Quarto*, Per bonam vitam eorum, qui vnius tecum naturæ. Multum initio conuersionis fluctuauit sanctissimus Augustinus, sibi diffidens: & audiuit loquentem sibi Spiritum: *Tu non poteris quod isti & istæ? An vero isti & istæ in semetipso possunt, ac non in Domino Deo suo?* Hoc modo per B. Antonium, Benedictum, Dominicum, per quos, tanquã puros, Spiritus sanctus refulgebat, tracti multi. Cum ergo aliorum sanctitatem, tua vero peccata vides, cogita: Cur isti tam pie, ego tam impie? an non vnus vtrisque iudex, mihi nihilo quam illis indulgentior? ita fiet, vt cum B. Augustino displiceas tibi ipsi, & Spiritum sanctum, aliosque monentes audias.

Lib. 8. Cõfess. cap. 11.

5. *Quinto*, Per miracula, quæ fiunt in honorẽ Eucharistiæ, Sanctorum, vel imaginum: vt peccata vitemus: item quibus peccata ipsa puniuntur, vt Heliodoro, [a] Herodi, [b] Ananiæ & Saphiræ [c] contigit. *Sexto*, Per Sanctorum zelum, & labores, quos subeunt, vt è peccatis eruamur. Lapidatus Apostolus Lystris, Philippis virgis cæsus & tamen prædicare non destitit. De B. Abrahamio scribit B. Ephrem, qui anno 370. vixit in Syria; quod ordinatus ab Episcopo Sacerdos pago gentilium conuertendo præfectus sit, in quo alij hoc ipsum frustra tentarant. Ille in pago Ecclesiam exstruit ex patrimonio, ac idola euertit: percussus ab illis, & pedib⁹ extra pagum protractus, semimortuus ad Ecclesiam redit, pro illis deprecans. Atque ita continuum biennium exegerunt, ille patiendo, ipsi percutiendo. Tandem, *videte*, inquiunt, *quanta vir iste à nobis patitur, sine dubio sanctus est, & vera docet: esse scilicet beatam aliquam vitam, cuius intuitu ista patiatur: & miseram aliam, quam peccatores experientur. Eamus ergo, & credamus cum illo.* Atque ita omnes baptisati sunt. Erat hoc Spiritus sancti opus, sicuti & illud de quo statim: vtitur enim Spiritus sanctus labore Sanctorum & astu, de quo Apostolus: *Cum essem astutus dolo vos cepi.* Erat huic Abrahamio neptis Maria,

a 2. Mach. 3. b Act. 12. 23. c Actor. 5. 9.

6. Actor. 14. 19 Actor. 16. 22. In gestis eius 6. Martij. Apud Sur.

2. Cor. 12. 16.

ria, quæ mortuis parentib' ad eum venit septennis, & per 20. annos sanctissime in alia cella vixit; tandem à lenone stuprata, quasi desperans, inscio auunculo fugit. Qui re intellecta, vehemẽter cõtristatus, Deum orat, vt de statu eius cognoscat: & meretricem audit. Statim ergo vestem mutat cum habitu mercatorio, lupanar ingressus meretricem petit, eamque cuius nomen tunc celeberrimum, Mariam: hanc sibi asside re iubet, eique colludit: finita cœna quasi coiturus, alios omnes exire iubet: Deinde, quis sit, aperit, eamque iuuante eodem Spiritu, quo instigante hoc inceperat, secum abducit. Quæ trienni pœnitentia Deum sic placauit, vt multis postea miraculis clara, annos quinquaginta sanctissime vixerit. Simili arte vsus B. Barlaam, in conuersione B. Iosaphat, vt alibi dictum. *Dom. 12. post Pent. §. 11.*

Nota *tertio*, Spiritum sanctum siue doceat, siue corripiat, neminem excludere, docet tamẽ pauperes prius, quam diuites, iuxta illud Apostoli: *Videte vocationem vestram fratres, quia non multi Sapientes secundum carnem, non multi potentes, nõ multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi & infirma & immobilia, & cõtemptibilia elegit Deus.* Corripit vero diuites prius, quam pauperes: sicut palatia prius, quam casæ, tempestatem sentiunt, exemplo sint Antiochus, Herodes, Pharao, Saul, & multi, quorum rara supplicia: nec amicis parcit, vt in Moyse patet, & Aaron: quibus Deus propitius quidem, *vlciscens tamen in omnes adinuentiones eorum:* Id est, quæ ipsi contra Deum adinueniebant. Vnam murmurationem Maria lepra luit. Nadab & Abiu interfecti, quod offerrent ignem alienum. Noli sanctitati tuæ inniti: si peccasti; sanctitas præterita non proderit; vt monet Ezechiel, imo facilius puniuntur hic iusti, quam iniusti, qui seruantur in futurum. *1. Cor. 1. 26. Num. 20. 10. Psal. 98. 8. Num. 12. 10. Leuit. 10. 1. Ezech. 18. 7.*

Nota *quarto*, Quia Christus dixit in singulari *de peccato*, quasi de vno: quærunt Patres, quod sit illud vnum peccatum? Aliqui peccatum crucifixionis Christi intelligunt; de quo B. Petrus: *Certissimè sciat omnis domus Israel quia & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc Iesum quem vos crucifixistis, vos iustũ & sanctũ negastis, & petistis virũ homicidã donari vobis, authorẽ verò vitæ* *De quo peccato agat hic Christus. Act. 2. 3. 4. 5.*

vitæ interemistis. In nomine Domini Iesu Christi quem vos crucifixistis, in hoc iste adstat coram vobis sanus, Iesum vos interemistis suspendentes Actor.13.28. *in ligno.* S. Paulus de Iudæis, *ait & nullã causam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato vt interficerent eum.* Iacob.5.6. & S. Iacobus, *addixistis, & occidistis iustum, & non restitit vobis.* Atque huc reuocari possunt omnia peccata: hæc enim Christum magis crucifixerunt, quam exterior actus Iudæorum. Cum ergo hoc in peccatis nostris cogitamus, & flemus, instruit nos Spiritus sanctus. Alij peccatum infidelitatis intelligunt, quod obiecit Ioan.8.24. Iudæis Christus: *Si non credideritis quia ego sum, morіemini in pec-* Ioan.10.38. *cato vestro.* &, *si mihi non vultis credere operibus credite.* Peccatum hoc Spiritus sanctus corripuit, dum miraculis ostendit, extra Christum salutem non esse. Nota: duo esse incredulitatis genera.

Duo genera infidelitatis.

1. *Primum*, est eorum, qui fidem audierunt, eamque vel Actor.17.32. impugnant, cum Iudæis, & Ethnicis, vel rident, cum Atheniensibus; vel ob metum, aliaue temporalia, non acceptant. Atque hæc in se graue peccatum est, grauius tamen in his, qui fidem semel amplexi, cum hæreticis, & Apostatis, reijciunt: Matt.26.24. quibus merito dici posset, quod Iudæ: *Melius erat si nati nõ fuissent.* *Secundum*; Eorum est, qui fidem non audierunt. Atque hæc peccatum non est, damnabuntur tamen qui ea laborant, ob alia peccata cõtra legem naturæ: sic Christus Tyrijs dixit, & Sidonijs, ac terræ Sodomorum fore remissius iudicium, Matth.11.22. quam Corozaim, Bethsaidæ, & Capharnaum: hi enim fidem audierunt, illi non. Disce itaque, quantum crimen sit, contemptus verbi Dei: & cum reuerentia illud audi, ac serua: fouetur enim exercitio, sicuti ars. Alij putant non intelligi peccatum certum; in Græco enim non est articulus: sed absolute, περὶ ἁμαρτίας. Atque ita significatur, Spiritum sanctum, inuenturum in omnibus, quod reprehendat: plus tamen, vel minus: erunt enim in quibus solum est peccatum originale: huic expositioni fauent sequentia; *quia non crediderunt in me*, non quod omnium infidelitas peccatum sit, sed quia à peccatis quæ habet, liberari nemo potest, nisi per Christum, eiusque Sacramenta. Quod etiam hodie Spiritus sanctus mundum docet.

Nota *quinto*, Quod dicitur, *in me*, vt videas an & te incredulita-

dulitatis Spiritus sanctus arguet. Multi, ait Augustinus, *Deum*, & Christum credunt, tanquã fidei obiectum, & quod Deus sit: multi *Deo* credunt dicenti, sed credere oportet *in Deum*, id est, fide, & charitate in eum tendere: quod filijs Dei proprium est. Vide ergo, ne & tu arguaris: habent quidem Catholici omnes fidem veram, sed nõ effugient correptionem, nisi in Deum credant fide viua: imo erit mortua eorum fides damnationis maioris occasio; cum audient à Christo: Credidisti Deum iustum, mala punientem, bona præmiantem: credidisti me paratum ad dandam gratiam: credidisti peccato vno gratiam amitti, inferni reatum contrahi: cur ergo non cauisti? Audi hic loquentem, vt in futuro securus sis.

IX. *De iustitia vero; quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me.* Post notitiam peccati iustitia sequitur, quæ peccatum purget. Parum est videre sordes, nisi tollas: docet ergo Spiritus sanctus peccatum iustitia pelli, sicut lumine tenebras: dein cum plures sint de iustitia opiniones; docet quæ vera sit, alias vero confutat.

Nota *primo*, Arguere Spiritum sanctum mundũ de iustitia. *Primo*, Castigando peccatores, qui de peccatorum pœna securi, otio & voluptati indulgent. Multi pœnitentias ad Monasteria, & Ecclesiasticos relegant; ipsi interim vitijs, mundoque vacant, sed non dedit Christus Euangelium solis Ecclesiasticis, vt recte Basilius: verum omnibus Christianis. Audi illum: *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.* & : *Qui habet aures audiendi audiat.* Omnibus conditum cœlum, & licet non omnes æque sancti, omnes tamẽ puri: nihil enim coinquinatum illuc introibit. *Secundo*, Arguendo de iustitia bonorum operum; ait Augustinus. Hac de causa dati omnib⁹ sæculis sancti, qui, ceu specula, virtutis exhiberent speciem, accenderent amorem; quosque si nõ assequi, saltem sequi omnes vellent. Quisquis Capuccinum videt, etiam media hyeme nudis pedibus, vnica toga, lecto stramineo, & eleemosynis solis contentum, anni partem ferè mediam st[illegible]ne ieiunare, aliasque corporis castigationes adhibere, habet vnde sui eum pudeat, quia nihil boni agit: & si non ex toto, saltem ex parte

Serm. de abdica. rerum.
Marc. 13. 37.
Matth. 11. 15.
Matth. 10. 27.
Tract. 95. in Ioan.

imitetur, quantum vires ferunt, & Deus concedit, det eleemosynas, aut ieiunet, aut, vt minus, fractis animi passionibus, Domini Sacramenta frequentet. Sic Iudæos monet Christus, vt se audiant in medio eorum habitantem, cum Regina Austri etiam de longe venerit auditura Salomonem: qui tamen præ Christo nihil. *Tertio*, Arguendo de iustitia mundi, quam mundus iustitiæ Dei præfert. Tria sunt iustitiæ genera. *Prima*; est, Legis. Quam putabant Iudæi ad salutem sufficere. *Secunda*, Philosophica. Qua turgidi Gentilium Philosophi audebant dicere populo; *nos sequimini, si vultis bene viuere*: vt refert B. Augustinus: sed vtramque reijcit, quasi insufficientem Apostolus. *Tertia* Politica, Christianorum; qua se putant iustos, qui non furantur, occidunt, &c. & Ecclesiæ præcepta exterius custodiunt; licet interius vitijs abundent: Pharisæi instar, quem reprehendit Dominus. Atque hæc iustitia vera quoque non est, nec vtilis: quia charitatis vita caret, hæc cum audis gaude, & à Spiritu sancto te instructum puta. *Quarto*, Ostendendo iustitiam Christi: quæ duplex est. Vna Christi propria, & intrinseca, quam negare videbantur Iudæi, dum peccati eum accusarent: sed purgauit eum S. Spiritus; ait Chrysostomus, & Apostolus clamat: *Habemus Pontificem, tentatum per omnia, pro similitudine, absque peccato*: Id est, qui omnia admisit infirma, præter peccatum. *Altera est*: qua nos Christus iustificat; quæ *iustitia* dicitur, quia Patri suo Christus, quod iustum est, soluit: de hac autem docet nos Spiritus sanctus. *Primo*, Peccata non remitti per opera nostra, sed per passionem, & Sacramenta Christi. *Secundo*, Sine merito Christi neminem accipere iustitiam; peccatum enim, sicut offensam habet infinitam, ita non nisi infinita satisfactione purgatur: hanc autem solus Christus, ob personæ infinitatem, præstare potest. *Tertio*, Animas hominum hac verè mundari: *Vt non tantum nominemur filij Dei, sed & simus*, redditur enim nobis similitudo Dei, quam peccatum abstulerat: de qua Paulus; *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Qui & eandem, alibi vocat; *gloriam Dei*: quia animæ gloriam, ac splendorem conciliat. *Quarto*, Etiam opera nostra à Christo

Matt. 12. 24.
Tria genera iustitiæ.
Tract. 45. in Ioan.
Rom. 1. & 2.
Duplex Christi iustitia.
Hom. 77. in Ioan.
Hebr. 4. 15.
1. Ioan. 3. 1.
Rom. 5. 5.
Rom. 3. 7.

Christo iustitiam accipere. Vnde Christus, *attendite*, ait, *ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis*. & B. Ioannes: *qui facit iustitiam*, id est, opera iusta, *iustus est*. In bonis duæ sunt iustitiæ: *Vna*, in anima: quæ eos facit Dei filios: & dicitur *iustitia*, quia animæ dat quod debet habere; similitudinem scilicet Dei: omnes etiam iniusti Dei imaginem habent, similitudinem vero soli iusti. *Altera* in operibus, quæ iusta sunt, cum Deo placent: picturam dicimus veram, quæ prototypon refert, & anima dicitur iusta, quæ Deum exprimit, actusque suos regulæ suæ adæquat. *Quinto*, Docendo boni initium non esse ex nobis, sicut enim si pauperem diues curet, sanitas eius diuiti ascribitur: sic iustitia nostra Christo, & sicut pauper labore suo vix victum quærit, sin pecuniam deponat apud mercatorem diuitem, lucratur quintuplum: sic opera nostra ex se nihil, nisi forte terrenum aliquid, merentur: sin vero in ea Christi gratia influat, merentur plurimum. Vnde non iniurij Christo, sed pij sumus: dum nos dicimus mundos, & opera nostra meritoria; fatemur enim, hæc non nisi à Christo nobis data. Laus medici est, si infirmum ita sanet, vt alios quoque iuuare possit.

Matth. 6. 1.
1. Ioan. 3. 7.

Nota *secundo*: Rationem, qua iustitia mundi arguitur, scilicet; quia Christus vadit ad Patrem, per mortem: nam inde ostendimus alias omnes iniustitias inutiles; quia Christus vt vtilem daret, mori debuit: tanta enim est peccati malitia, vt sola Christi morte sanari potuerit. Docuit hoc de Christo B. Petrus: *Non est in alio aliquo salus nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri*. Item B. Paulus, in illis præsertim epistolis, quæ contra Iudaisantes scribuntur: vt ad Romanos, Galatas, Ephesios, Colossenses, Hebræos. Nominat autem Christus mortem suam, itionem ad Patrem. *Primo*, Vt se ostendat eam nõ tam timuisse, quam optasse, tanquã portam ad Patrem. *Secundo*, Ne & nos mortem horreamus, imus enim, si in statu gratiæ morimur, ad Patrem: nam etsi quotidianis teneamur peccatis, & fors alicuius pœnæ necdum solutæ reatu; tamen à regno nõ excludemur, nisi ad tempus, donec omnia sint purgata.

Actor. 4. 12.

Hom 77. in Ioan. Nota *Tertio*, Chrysostomum, quia superiora intelligit de iustitia Christi propria, alium hic sensum facere: nempe, Spiritus sanctus ostẽdet me iustum, quia ascendi ad Patrem, qui iniustos non admittit. Malos habere domesticos, Principum huius sæculi est; qui vitia vel ignorant, vel amant: Deus vero summa puritas, & cordium scrutator, nihil ad se coinquinatum admittit. Vide ergo purus sis, & animi etiam passiones doma, etsi enim peccata non sint, operibus tamen bonis sæpe peccatum leue aspergunt. cogita Deum etiam *iustitias iudicaturum*; *Psal. 74. 3.* an scilicet opera feceris, ex omni parte bona. Mitius hic purgamur, & citius: roga ergo, vt Deus hic te purget, ne in futuro puniat; & vehementius, & diutius.

Nota *Quarto*: Duabus de caussis additum à Christo; *iam non videbitis me*: *Primo*: secundum Chrysostomum; ad declarationem iustitiæ, & sanctitatis Christi, quæ tanta est, vt æternitate gloriæ præmietur. *Secundo*: ad declarationem iustæ satisfactionis Christi pro nobis. neque enim opus erit Christũ regredi ad nos, vt sæpius offerat: sicut factum in Lege Veteri: sed Patri assidet Sacerdos in æternum, pro eis intercedens, *Heb. 10. 11.* pro quibus in cruce seipsum obtulit. Vnde Apostolus: *Omnis quidem Sacerdos* (Veteris Testamenti) *Præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias quæ non possunt auferre peccata: Hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei. Vna enim oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* Magnum fidelibus solatium; Christus pro eis satisfecit, vnum restat, vt per Sacramenta, & opera (quæ ex fide & charitate nascuntur, vt ait Apostolus) *Galat. 5. 6.* nobis Christi satisfactionem applicemus.

X. *De iudicio, quia Princeps huius mundi iam iudicatus est.* Iudicium iustitiæ effectus est, & sicut per iustitiam peccatum manifestatur, sic per iudicium manifestatur iustitia Christi. Arguit autem Spiritus Sanctus iudicium. *Primo*; Quia docet superesse post hanc vitam aliud iudicium, quod etsi olim Gentes, & hodie Christianorum non pauci difficulter credant, probari tamen facile potest, sicut probauit illud contra Simonẽ *Actor. 17. 12. Clem. lib. 1. Recogn.* Magum B. Petrus; ex iustitia Dei. si enim iustus est Deus, vt vere est, ergo bona præmiat, & mala punit. Atqui non hic,

ybi

vbi bonos sæpe premunt mali, vt Lazarum epulo: ergo in futuro. Quantam vtilitatem homini consideratio huius iudicij conferat, Sapiens innuit cum diceret, *Lætare iuuenis in adolescentia tua & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ & ambula in vijs cordis tui, & intuitu oculorum tuorum & scito quia pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.* Quasi dicat age quod libet, sed Deum cogita iudicaturum; ita fiet, vt non agas, nisi quod licet. Nec male B. Gregorius: *Omnis*, ait, *qui peruersa agit esse Dei iudicium nescit: si enim pensare pondus tremendi examinis posset, ira diem vtiq; timendi præcaueret. Vitare namq; terror iudicis non nisi ante iudicium potest. Modo non cernitur, sed precibus placatur. Cum verò in illo tremendo examine sederit, & videri potest, & placari iam non potest: quia facta prauorum quæ diu sustinuit tacitus, simul omnia reddet iratus.* Ab hoc dogmate, tanquam vtilissimo, B. Ioannes prædicationem suam incepit: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur.* Christus quoque eiusdem frequenter meminit, quia timore plures trahuntur ad bonum, quam amore. *Secundo*, Ostendit Christum esse iudicem, de quo B. Petrus dixit: *Ipse est qui constitutus est à Deo Iudex viuorum, & mortuorum.* & S. Paulus: *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Bonis solatium est, quod à Redemptore suo iudicandi sint: malis vero terrori, quia viui eum contempserunt. Pij dicunt: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Impij autem merito dicent; si Christus contra nos, quis pro nobis? *pugnabit enim totus orbis terrarum contra insensatos.* Proponet quoque Spiritus sanctus impijs, teste Augustino, propriam condemnationem, dum principem suum diabolum vident damnatum. Serui Dominorum sceleribus cooperati merito sibi timent, cum Dominos vident puniri; si ergo Luciferum primum, nobilissimumque Dei opus, vna cogitatio damnauit, quid te futurum? *Tertio*, Ostendit mundi quinque iudicia iniusta. *Primo*, Illud quo damnauit Christum. *Secundum*, Quo præ Christo sequuntur diabolum. *Tertium*, Quo præ Christo sequuntur mundum. *Quartum*, Quo pios spernunt, tanquam stultos: imitati aulicos Regis Ioram. *Quintum*, Quo

Marginal notes: *Luc. 16. 17.* — *Eccl. 11. 9.* — *1 4. Moral. cap. 34.* — *Matth. 3. 10.* — *Act. 10. 42.* — *2. Cor. 5. 10.* — *Rom. 8. 31.* — *Sap. 5. 21.* — *Tract. 95. in Ioan.* — Mundi quinque iniusta iudicia. — *4. Reg. 9. 11.*

Prou.13.10. Quo se mutuo iudicant: sicut enim *inter superbos semper iurgia*, sic sæculares sibi mutuo displicent. Ratio qua mundi iudicium arguetur, scilicet, *Quia Princeps huius mundi iam iudicatus est:* significat, *primo.* Diaboli damnationẽ, adeoque miseriam seruorum eius. Qui carnifici, aut alijs famulãtur in re abiecta, abiecti sunt; abiectior tamen omnibus peccator: quia dæmoni famulatur, turpis turpi. Cum B. Stephanus circa annũ 1210. videret populum suum, instigante dæmone, à templo abesse Dominicis, & festis, ac crebra monitione nihil proficeret, mandat diabolis, vt populo non læso se spectandos, horribili specie, exhibeant. Prodeunt ergo in forum, tabernas, ludum saltatorium, forma terribili, ignea, & turpi, cum omnium horrore: tunc Episcopus populo, ait: *Hi sunt quos sequimini, ego misi eos ad vestri terrorem.* Atque ita populus resipuit. *Secundo,* Diaboli impotentiam. *Primo* enim, Ligatus à Christo nõ tam nos vexat, quam vexatur. Nomen Iesu, B. Mariæ, Sanctorum, non fert; horret aquã benedictam, & exorcismos, etiam puerorum (quales fere olim Exorcistæ) item campanas benedictas. Solent olim consulturi idola Pontifices proclamare: *procul hinc sint lotus, & vnctus*: vt alias dixi. Quia ad Baptisati, vel cõfirmati hominis præsentiam, idola obmutescebant. Nostro sæculo, vxorem Catholicam multa vexatione induxit maritus Caluinista, vt concionem audiret Caluinistarum: fecit illa, Confessionis & Eucharistiæ Sacramento munita: sed vt accessit, Prædicans obmutuit: hoc vnum addens, *Inter præsentes est qui Papistarum panem sumpsit: itaq; progressum sermonis, à quo nunc impedior, aliàs compensabo.* Maritus autem, re intellecta, ad fidem rediit. Diabolum noli metuere, sed fac vt merita tua ille metuat. Solo Antonij nomine multis olim locis eijciebatur. Simeonis Stylitæ etiam imagines fugiebat, quas ideo Romæ Catholici ponebant in officinis suis, vt Theodoretus eorum temporum scriptor narrat. Si diabolum times, vrgebit importune, instar mulieris viro dominantis. Aggredere eum prior vitæ sanctitate, Sacramentorum vsu, Crucis signo, &c. & fugiet. *Secundo*, Abstulit ei Christus omnes subditos; egit enim quod vrbium faciunt expugnatores: qui vt alios sibi subdant; prius propugnatores, defensoresque subiugant: sic

Margin notes: Indicium diaboli. 1. — Sur. 7. Sept. — 2. Impotẽtia diaboli. 1. — Domin. 3. Quad. §. 11. Bredenbach. l. 7. cap. 47. — Athan. in eius vita. In Philoth. cap. 26. — 2.

ſic diabolus plura in nos iam non poteſt, quam ipſi volumus. *Tertio*, Ludiaciariam poteſtatem ſoli Chriſto conuenire, vt diſcas, *primo*: Non iudicare alios, hoc enim Chriſti eſt; *Tu quis es*, ait Apoſtolus, *qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, vel cadit*. Vnde peccant detractores, & qui de intentione aliorum occulta iudicant. *Secundo*, Iudicia Chriſti probare: quiſquis iudex eſt, à Chriſti iudicio, (quod Scriptura, & vtroque iure continetur) non diſcedat. Qui vero iudicandi authoritatem non habent, poſſunt ſententias in Scriptura iudicatas, & definitas, proloqui: v. g. Neminem ſaluandum qui in peccato mortali moritur: hoc enim de homicidis, ebrijs, hæreticis, Apoſtolus docet: & qui negat, Chriſti iudicium improbat. *Rom. 14. 4.* *1. Cor. 6. 9.* *Galat. 5.*

XI. *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo*. Huc vſque quid per Apoſtolos acturus eſſet Spiritus ſanctus explicuit Chriſtus; nunc quid eos docturus ſit, addit: etſi enim per triennium iam Apoſtoli Chriſto adfuiſſent, necdum tamen omnia nouerant: atque ita, quia omnes naturaliter ſcire deſiderant, acuit Apoſtolorum deſiderium. Verba illa: *Multa habeo vobis dicere*. ſignificant, *primo*: Chriſtum, vt etiam ex Euangelijs patet, multa dixiſſe Apoſtolis. *Secundo*, Necdum dixiſſe omnia neceſſaria: reſtabant, ait Chryſoſtomus, plura dicenda, quam dicta. Quæres. Quomodo dicat Chriſtus alibi; *Omnia quæ audiui à Patre meo nota feci vobis*, ſi hic dicat, multa adhuc deſiderari? Reſpondeo, *primo*: Nunquam Apoſtolis à Chriſto communicata omnia: ſcientia enim eius diuina eſt infinita: humana vero eſt de creaturis omnibus. *Secundo*, Chriſtus à Patre miſſus fuit, adeoque vt Legatus mandata habuit: vult ergo ſe communicaſſe *omnia*; non abſolute, ſed quæ Pater mandauerat communicari: atque eodem ſenſu ait: *Conſummatũ eſt*. *Tertio*, Graui de cauſa dixit Chriſtus *multa habeo vobis dicere*: vt ſciamus non omnia fidei myſteria, ante Chriſti mortem, propoſita Apoſtolis; multo minus ab Euangeliſtis conſcripta, qui etiam multa, eorum quæ ante mortẽ Chriſtus dixit, omiſerunt. B. Ioannes enim omnia pene habet ab alijs diuerſa, & concludit, plurima adhuc ſupereſſe non ſcripta. *Tertio*, Significant: myſteria quæ adhuc reſtabant, non eſſe *Hom. 1. in Acta.* *Quæſtio.* *Ioan. 15. 15.* *Reſp. 1.* 2. 3. *Ioan. 21. 25.*

Ioan. 3. 10. proposita ob Apostolorum inidoneitatem: sicut inidoneus quoque fuit Nicodemus, intelligendo mysterio baptismi, erant ergo mysteria hæc Lege, in qua Apostoli adhuc erant, perfectiora. Origenes,[a] Iustinus,[b] Nazianzenus,[c] quædam hic conijciunt: nos autē *omnia* dicamus, quæ postea ipsis tradita sunt, erant autem hæc duplicis generis. *Primo*, Quædam spectabāt fidem; vt, *Primo*, Diuinitas Spiritus sancti Pater diuinitatē suam creatione, Christus incarnatione manifestauerat, restabat ergo vt & Spiritus sancti diuinitas innotesceret. *Secundo*, Status regni Christi, putabāt Apostoli illud fore temporaneum, nec capiebant quod dictū Pilato: *Regnum meum nō est de hoc mundo.* Oportebat enim Christū regnare spiritualiter in animabus. *Tertio*, Gentes quoque ad gratiam vocandos; quod ostensum postea Petro. *Quarto*, Christianos liberandos à lege Mosaica; quod postea decretū in Cōcilio Apostolorum. Probabile etiam Sacramentorū institutionē illis obscuram fuisse, ac præsertim quod sacrificium Missæ alijs omnibus sacrificijs succederet, vt prophetauerat Malachias. *Secundo*, Alia spectabant Ecclesiæ Regimen; de quo Apostoli pauca scripto, plurima verbo docuerunt. B. Clemens octo libros de eo scripsit. Apostoli 84. Canones, quos venerata semper Ecclesia, etsi Concilium Quini-sextum ponat canones 85. Multa quoque habet S. Dionysius, aliqua S. Martialis vnus ex 72. discipulis. *Quarto*, Apostolorum ignorantiam non fore diuturnam, perfecit enim eos Spiritus sanctus: sicut quos baptismus regenerat, quasi pueros, Confirmatio consolidat. Quærunt aliqui: an non potuerit Christus, Apostolos perficere? Respond. Potuit, sed (vt Ecclesiæ ritum initiaret, quæ alio Sacramento gerat, alio roborat) noluit: idque vt esset maior SS. Trinitatis obseruantia; Pater enim creauit nos, Filius redemit, Spiritus sanctus perfecit. *Quinto*, Significant, etiam Christū hæc ipsa Apostolos docuisse; sensus enim verborum est, multa adhuc supersunt dicenda, quia tamē adhuc eis apti non estis, postea docebo ea per Spiritum sanctum vt discamus, multa esse in Ecclesia, quæ Christus ipse nō docuit, etsi doctrinæ eius contraria nō sint. Fecit Christus quod magistri solent, qui discipulos pro captu suo Grammaticam, Rhethoricam, vel alias facul-

Marginal notes: a *Lib. 2. in Celsum.* b *Quæst. 112.* c *Orat. 5.* Docuit Spiritus sanct. Apostolos duplicia mysteria. 1. *Actor. 1. 6.* *Ioan. 18. 36.* *Actor. 10. 11.* *Actor. 15. 20.* *Malach. 1. 11.* 2. *Cano. 1.* *In Eccles. Hierarch.* *In duabus Epist.*

facultates docent; qui iam perfecti, auditis multa possunt superaddere: non tamen contraria. Dum viueret Christus, Apostoli rudiores erant, sed profecerunt postea. & proficit etiam hodie Ecclesia, vestigijs doctrinisque maiorum insistens. Nota *Primo*: Ecclesiam nunquam Christo, vel Apostolis contraria docuisse. *Secundo*: Eam quotidie proficere: dum innotescunt magis, quæ prius erãt obscuriora. *Tertio*: Non sufficere vt quis verbum Dei audiat; sed gustare illud debet, quod citra Spiritus S. auxilium non fit. *Quarto*: Christum semper habere quo te prouehat. in cœlo discendi terminus erit, *in terris* vero *ea discamus, quæ nobiscum*, ait Hieronymus, *permanebunt in cœlis*. Spōsa in Canticis tria ponit gymnasmata. *Primum*, est domus matris, seu cubile genitricis: id est, Ecclesia. vbi fidem discimus, & mores. hic sunt qui abdicatis omnibus, ad altiorem cognitionem perueniunt. *Secũdum*, est *Foramina petræ, & cauernæ maceriæ*. id est, meditatio Christi. in qua omnis vitutum perfectio, cui studuerat B. Paulus, cum dixit: *Nõ iudicaui me aliquid scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum*. facile contẽnit omnia, qui hũc cogitat. *Tertium*, est *Cella vinaria*; in qua ordinatur charitas. nẽpe, humilitas: quæ *Primo* cellę instar, quasi sub terra est. humilium enim *vita* vere *abscondita est cum Christo in Deo*. *Secũdo*; calorem habet Diuini amoris; sicut cellæ hyeme sunt calidiores. *Tertio*: prudentiam habet; quã ordinat charitas ad propriam, & alienam salutem. Exemplo sint Antonius, Benedictus, Dominicus, qui humilitate, prudentiaq; sua, innumeros Christo erudierunt.

Ad Paulin. c. 7.

Cant. 3 & 8.

Tres scholę Ecclesiæ.

1. Timo. 3. 15.

Cant. 2. 14.

1. Cor. 2. 2.

Cant. 2. 4.

Coloss. 3 3.

Nota *quinto*: Christũ iterato dixisse; *Multa habeo dicere*. Semel Iudæis, secundo Apostolis. Iudæis multa habet dicere, vt eos iudicet: Apostolis, vt doceat. Vide quomodo locuturus tibi Christus; peccata tolle, ne ille tolli te iubeat. loquentem hic audi, vt ad sapientiam in cœlos admittaris.

Ioan. 8. 26.

XII.

Sed cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Quod Apostoli ante passionẽ Christi intelligere non poterãt, tum ob imperfectionẽ, tum ob tristitiã; intellexerunt, postea, docente eos Spiritu S. Nota *Primo*: Particulam *ille*, nõ cõiungi cũ *Spirit'*, sed cũ *Paraclitus*: vt patet ex Gręco. significatur ergo, Paracletus essę spiritus veritatis, vt sciamus eum nos veritate

consolari. Mendacia forte ad tempus solatia sunt, sed postea augetur dolor. *Quærentes mendacium* reprehendit Dauid. quicquid autem promittit mundus, mendacium est, nescit peccator animi quietem, ꝓpria hæc Spiritus S. est, cuius veritas, etsi amarior initio, dulcescit tamen postea: instar vuæ. Grauis est iudicij, & mortis expectatio; sed vbi homo eam diligenter inspicit, grauis non est: mors, vitæ initium est; iudicium, aduentus sponsi, infernus, virtutis vinculum; quo à malo continemur. Veritatem itaque dilige, & liberatum à malo in gaudia æterna transmittet.

Psal. 4. 3.

Paraclitus cur Spiritus veritatis?

Nota *secundo*: sæpe in vltimo Christi sermone Paraclitũ vocari *spiritũ veritatis*. *Primo*: Quia ab ipso solo omnis veritas, etiã
1. Gentilibus data, ante Christũ: vt ab explicandis, indagandisq; rerum naturis, Christiani liberi maiorib⁹, dignioribusq; intẽ-
2. derent. *Secundo*: Quia, vt ait Chrysost. cũ lex vetus vmbras habuisset, ille vobis veritatẽ dedit. *Tertio*: Quia solus ille est verus
3. spirit⁹; expers omnis mutationis, cui Angeli, & animæ, qui etiam spiritus dicũtur, subiacent. vt discamus eos ad puritatem
4. magis accedere, qui cum Spiritu S. magis cõmunicant. *Quarto*: Quia spiritus est Filij Dei, cui nomẽ *Veritas*: eumq; declarat
5. mundo. *Quinto*: Quia, vt Chrysost. ait, fide dignus est, cũ nihil nisi veritatem doceat. *Sexto*: Quia firmus est, & perpetuus. fir-
6. mitas autẽ, Hebræis dicitur veritas; iuxta illud Ezechię; *fiat tãtum pax & veritas in diebus meis*. Mundus incõstantiæ, Spiritus S.
7. perseuerantiæ, author est. *Septimo*: Quia est spiritus Dei verax, contrarius spiritui terreno. sicut enim duę sunt sapientię, teste B. Iacobo, vna *de sursũ*, altera *terrena*: sic duo sunt spiritus; quorũ vnus cœlestes facit, docens nos vera; alter terrenos, docens mendacia. Veritatem ama, etsi duram; quia dat eam Spirit⁹ S. mendacium fuge, etsi blandum; quia *pater eius* diabolus.

Homil. 74. in Ioan.

Ioan. 14. 6.

Homil. 79. in Ioan.

Isai. 39. 8.

Iacob. 3. 21.

Nota *tertio*: Spiritum S. dici *Spiritum veritatis*: quando toti Ecclesiæ, & Præsulibus promittitur; non quando singulis hominibus. vt discamus doctrinæ infallibilitatem, nõ esse priuati hominis; sed Ecclesiæ, & eius, cui dictum; *Ego rogaui pro te, vt nõ deficiat fides tua*; ac Successorum illius. Quisquis noua iactat, audiendus non est, etsi Spiritũ veritatis sibi vendicet: nisi eundem signis probet. Optimè Augustinus, *Domine veritas tua, nec mea*

Luc. 22. 32.

12. Conf. c. 25.

mea est, nec illius, aut illius, sed omnium nostrum, quos ad communionem publicè vocas, terribiliter admonens nos, vt nolimus eam habere priuatã, ne priuemur ea. veritas, Ecclesiæ est: non singulorum. his enim alio nomine Spiritus S. promittitur; nempe, spiritus *mansuetudinis, sapientiæ, Dei, Christi,* &c. 1. Cor. 4. 21. Ephes. 1. 17.

Nota *quarto*: Spiritum hunc dari, vt veritatem doceat, non Apostolos solum, sed & posteros: aperte enim dixit Christus. *Ego rogabo Patrẽ, & aliũ Paraclitũ dabit vobis, vt maneat vobiscũ in æternum quem mundus non potest accipere: quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* 2. Corin. 1. 22. 1. Pet. 1. 11. Ioan. 14. 16.

Vnde discis. *Primo*: Spiritum S. semper adfuturum Ecclesiæ, ideoq; ipsam nõ posse errare. *Secundo*: Hoc spiritu mundum, & eos qui extra Ecclesiã sunt, carere: vbi nec cõsolatio, nec veritas. Caue ergo hæreticis credas, etsi verbum Dei iactent; neq; enim Dei, sed verè diaboli verbũ habent. *Tertio*: Terrenos huius spiritus capaces nõ esse; *animalis* enim *homo nõ percipit ea quæ sunt spiritus*. *Quarto*: Spiritum S. tria Ecclesiæ promisisse. *Primo*: Fidẽ in Spiritũ S. hæc enim Ecclesiæ ꝓpria est, præ Synagoga. *Secundo*: Assistentiã, directionẽ, defensionẽ. *Tertio*: Intimã præsentiam. neq; enim adest tantum, sed & inest: quia *membra nostra templũ sunt Spiritus S. qui in nobis est*: ait Apostolus. quod contra hæreticos notãdum, qui negant eũ vlli inesse. fatemur nos eum inesse aliquibus, adesse alijs: *apud vos manebit*, inquit Christus, *& in vobis erit*. adest malis. *primo*: In eorum vtilitatem propriam; suggerens bona, & voluntatem mouens. *secundo*: In vtilitatem aliorum; dum linguas malorum mouet, vt alios bene instruãt. sicut linguã asinæ mouit. Sic adfuit Balaã Israëlitis benedicẽti, & Caiphæ prophetanti. Simili modo adest Prælatis malis; non tamen eis inest, propter eorũ peccata. Porrò etiam hinc disce; quia solis iustis Spirit⁹ S. inest, & Ecclesia ab his dicitur *sancta*, nunquã defuturos in Ecclesia iustos Prælatos, nec subditos: sicut arbori viuæ, non folia solũ, sed & rami viuunt. 1. Cor. 2. 14. 1. Cor. 6. 19. Num. 22. 28. Num. 23. 24. Ioan. 11. 50.

Nota *quinto*: Spiritui sancto tribui doctrinam omnis veritatis; non absolute, quia hanc nec Apostolis, nec Ecclesiæ dedit, sed *Primo*: circa ea quæ insinuarat Christus, cum diceret: *multa habeo vobis dicere*. quod Spiritus sanctus ita præstitit, vt non rem solum, sed & verba suggesserit quod in Spiritus S. quomodo doceat omnem veritatem. Ioan. 14. 26.

B. Ioan-

Epiph. hær. 51 B. Ioāne mirum, qui cum pene 50. annis post mortem Christi Euāgelium scripserit, multos tamen Christi sermones narrat verbotenus dictos. *secundo*: Quę in Christi verbis, Apostoli nō intelligebant: vt de solutione templi, ea Spiritus S. explicauit. *Tertio*: docuit verū, & mysticū sensum, legis, & cæremoniarū, quarum partē B. Paulus explicat. *Quarto*: Docuit prophetias. *Quinto*: Ea quę Ecclesiæ gubernationē spectant. sicut instruct⁹ in monte Moyses, de tabernaculo, & requisitis eius. Docebit nos, ait Augustinus, Spiritus S. omnem veritatē in gloria cęlesti, quod certum est in hac vita veritatem eius audientibus, & iuxta eā viuentibus. sicuti enim hic altiora facili⁹ docti capiūt, quā indocti: sic maiorē illic scientiam à Deo accipiet, qui veritatē hic magis audiuit, & inuiolatā seruauit. Violatur autē, *primo*: admixtione falsi dogmatis. quod faciunt hæretici, quos Augustin⁹ leprosis perpetua scabie maculatis cōparat. *secundo*: mala vita, seu peccatis, quæ mendacia sunt. Spiritus sanctus omnem veritatem docet, & præter eam nihil. Vis ergo ab eo doceri? mendacium fuge.

Lib. 2. qq. Euang. c. 40.

Nota *Sexto*: Pro eo quod nos habemus, *docebit vos omnē veritatem* habere Græcos; *Ducet vos in omnē veritatem*. quos Ecclesia sequitur, dū orat: *Mētes nostras quæsumus Domine Paraclitus qui à te precedit illuminet, & inducat in omnē sicut tuus promisit filius veritatē.*

Feria 4. Pen.

Fuerunt qui hinc Spiritus S. Diuinitatē impugnātes, eū dicebāt Dei ministrum, quasi ducere solis ministris conueniat, cū dixerit Dauid: *Deduxisti me Domine, quia factus es spes mea*. Verum, nō serui tantum, sed & Patres ducunt. Colligimus tamē hinc, *Primo*: Ecclesiā paulatim pcedere, sic post Pentecosten, didicit B. Petrus. vocationē gentium; & in Concilio Ierosolymitano, Christianos non obligari lege. Hinc Ecclesia *Aurora consurgens* vocatur: quia sapiētior fit, dum nox huius vitæ, proficit in diē Domini. *Secundo*: Ecclesiam instructioni suæ cooperari debere. ducitur enim, nō fertur. In Concilio Ierosolymitano Apostoli *primo*: scrutabātur Scripturas, *dein* per Spiritum S. concludētes, scribunt: *Visum est Spiritui S. & nobis*. Testatur B. Clemens fuisse illic omnes Apostolos, & diligenter alia Ecclesiæ vtilia inquisiuisse. Eadem diligentia in omnibus Concilijs adhibita est. *Tertio*: Spiritum S. non permittere, vt in rebus fidei Ecclesia erret.

Psalm. 60. 3. Act. 10. 14. Cant. 6. 9. Act. 15. 28. Li. 6. Apost. Constit. c. 12.

erret. *Quarto*: Ecclesiam esse in via ad cœlum, quo salutaribus Doctrinis ducitur. *Quinto*: Esse hominem liberum; quia non trahitur, nec rapitur, sed ducitur. *Sexto*: Ecclesiã, instar animalium Ezechielis, semper proficere: non regredi, nec respicere. Tantũ enim abest, vt semel decreta retractet, vt in eisdẽ quotidie magis solidetur; quantq; eã hæreses, etsi perdere velint. Arianismus, Diuinitatem Christi; Macedoniani; Diuinitatem Spirit' S. Nestoriani, Incarnationẽ; Iconomachi, cultũ imaginum; Berengarius, Eucharistię veritatẽ celebriorẽ reddidit. & nostri temporis hæretici occasionẽ dedere, vt grauissima, quæ impugnabant, mysteria iustificationis, gratiæ, liberi arbitrij, Missæ, in Concilio Tridentino explicata sint: nõ quod Patres *noua* dixerint, sed (vt faciendum monet Lerinensis) *noue*: seu, nouis conceptibus antiqua explicarint. Cõtingit interim, statuta quæ mores concernunt, mutari nonnunquam: vt in præcepto Apostolorũ de sanguine, & suffocato. item in eo quod Eucharistia soleat aliquando post cœnam sumi. nec est quod hę mutationes quenquã offendant; pendent enim ex circumstantijs, possuntq; ab eodem abrogari, à quo rogari: hic hodie exoleuerunt quidã ieiuniorũ dies, & festi: similiter in quadragesima permittitur vsus lacticiniorũ, tẽpusq; prandij anteuertitur: solent enim ad vesperam vsq; cõtinuare ieiunia. Gratias itaq; Deo age, ꝙ in Ecclęsia viuas, & ora in eadem perpetues. *Ezech. 1. 9.* *In com. c. 27.* *Act. 15. 10.* *1. Cor. 11. 21.*

XIII. *Non enim loquitur à semetipso, sed quæcunq; audiet loquetur*. Insinuat hic Christus. *primo*: Spiritum S. docturũ necessaria: nempe, quod audiet à Christo. neq;, ait Rupertus, spiritus mendax est, vt noua doceat: sicut ille qui Pseudoprophetas docuit. nihil enim loquetur de suo. quo notatur, non quod Spiritus S. falsa diceret, si de suo diceret: sed, *primo*: Ne quis aliter præsumat docere, quã ab Ecclesia audiuit. vnde cõfutãtur hic Nouatores, quibus merito illud Apostoli respondere possumus: *Si quis aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quo euangelizauimus vobis anathema sit* & Ioannes. *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam nõ adfert, nolite eum recipere in domum, nec Aue ei dixeritis.* *Galat. 1. 8.* *2. Ioan. 10.*

Voluit Deus ab homine hominẽ regi, ac instrui: atq; initio quidem Apostolis Spiritũ S. ipsę misit, postea tamen non sine hominum ministerio. *Secundo*: Vt doctrinæ Catholicæ digni-

tatem

Hom. 77. in Ioan. Nota *Tertio*, Chrysostomum, quia superiora intelligit de iustitia Christi propria, alium hic sensum facere: nempe, Spiritus sanctus ostẽdet me iustum, quia ascendi ad Patrem, qui iniustos non admittit. Malos habere domesticos, Principum huius sæculi est; qui vitia vel ignorant, vel amant: Deus vero summa puritas, & cordium scrutator, nihil ad se coinquinatum admittit. Vide ergo purus sis, & animi etiam passiones doma, etsi enim peccata non sint, operibus tamen bonis sæpe peccatum leue aspergunt. cogita Deum etiam *iustitias iudicaturum*; an scilicet opera feceris, ex omni parte bona. Mitius hic purgamur, & citius: roga ergo, vt Deus hic te purget, ne in futuro puniat; & vehementius, & diutius.

Psal. 74. 3.

Nota *Quarto*: Duabus de caussis additum à Christo; *iam non videbitis me*: *Primo*: secundum Chrysostomum; ad declarationem iustitiæ, & sanctitatis Christi, quæ tanta est, vt æternitate gloriæ præmietur. *Secundo*: ad declarationem iustæ satisfactionis Christi pro nobis. neque enim opus erit Christũ regredi ad nos, vt sæpius offerat: sicut factum in Lege Veteri: sed Patri assidet Sacerdos in æternum, pro eis intercedens, pro quibus in cruce seipsum obtulit. Vnde Apostolus: *Omnis quidem Sacerdos* (Veteris Testamenti) *Præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias quæ non possunt auferre peccata: Hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei. Vna enim oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* Magnum fidelibus solatium; Christus pro eis satisfecit, vnum restat, vt per Sacramenta, & opera (quæ ex fide & charitate nascuntur, vt ait Apostolus) nobis Christi satisfactionem applicemus.

Heb. 10. 13.

Galat. 5. 6.

X. *De iudicio, quia Princeps huius mundi iam iudicatus est.* Iudicium iustitiæ effectus est, & sicut per iustitiam peccatum manifestatur, sic per iudicium manifestatur iustitia Christi. Arguit autem Spiritus Sanctus iudicium. *Primo*; Quia docet superesse post hanc vitam aliud iudicium, quod etsi olim Gentes, & hodie Christianorum non pauci difficulter credant, probari tamen facile potest, sicut probauit illud contra Simonẽ Magum B. Petrus; ex iustitia Dei. si enim iustus est Deus, vt vere est, ergo bona præmiat, & mala punit. Atqui non hic, vbi-

Actor. 17. 31. Clem. lib. 1. Recogn.

vbi bonos sæpe premunt mali, vt Lazarum epulo: ergo in futuro. Quantam vtilitatem homini consideratio huius iudicij conferat, Sapiens innuit cum diceret, *Lætare iuuenis in adolescentia tua & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ & ambula in vijs cordis tui, & intuitu oculorum tuorum & scito quia pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.* Quasi dicat age quod libet, sed Deum cogita iudicaturum; ita fiet, vt non agas, nisi quod licet. Nec male B. Gregorius: *Omnis*, ait, *qui peruersa agit esse Dei iudicium nescit: si enim pensare pondus tremendi examinis posset, ira diem vtiq; timendi præcaueret. Vitare namq; terror iudicis non nisi ante iudicium potest. Modo non cernitur, sed precibus placatur. Cum verò in illo tremendo examine sederit, & videri potest, & placari iam non potest: quia facta prauorum quæ diu sustinuit tacitus, simul omnia reddet iratus.* Ab hoc dogmate, tanquam vtilissimo, B. Ioannes prædicationem suam incepit: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur.* Christus quoque eiusdem frequenter meminit, quia timore plures trahuntur ad bonum, quam amore. *Secundo*, Ostendit Christum esse iudicem, de quo B. Petrus dixit: *Ipse est qui constitutus est à Deo Iudex viuorum, & mortuorum.* & S. Paulus: *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Bonis solatium est, quod à Redemptore suo iudicandi sint: malis vero terrori, quia viui eum contempserunt. Pij dicunt: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Impij autem merito dicent; si Christus contra nos, quis pro nobis? *pugnabit enim totus orbis terrarum contra insensatos.* Proponet quoque Spiritus sanctus impijs, teste Augustino, propriam condemnationem, dum principem suum diabolum vident damnatum. Serui Dominorum sceleribus cooperati merito sibi timent, cum Dominos vident puniri; si ergo Luciferum primum, nobilissimumque Dei opus, vna cogitatio damnauit, quid te futurum? *Tertio*, Ostendit mundi quinque iudicia iniusta. *Primo*, Illud quo damnauit Christum. *Secundum*, Quo præ Christo sequuntur diabolum. *Tertium*, Quo præ Christo sequuntur mundum. *Quartum*, Quo pios spernunt, tanquam stultos; imitati aulicos Regis Ioram. *Quintum*, Quo

[Margin notes: Luc. 16. 17. — Eccl. 11. 9. — 15. Moral. cap. 34. — Matth. 3. 10. — Act. 10. 42. — 2. Cor. 5. 10. — Rom. 8. 31. — Sap. 5. 21. — Tract. 95. in Ioan. — Mundi quinque iniusta iudicia. — 4. Reg. 9. 11.]

Prou.13.10. Quo se mutuo iudicant: sicut enim *inter superbos semper iurgia*; Indicium diaboli. sic sæculares sibi mutuo displicent. Ratio qua mundi iudicium arguetur, scilicet, *Quia Princeps huius mundi iam iudicatus*
1. *est:* significat, *primo.* Diaboli damnationẽ, adeoque miseriam seruorum eius. Qui carnifici, aut alijs famulãtur in re abiecta, abiecti sunt; abiectior tamen omnibus peccator: quia dæmo-
Sur. 7. Sept. ni famulatur, turpis turpi. Cum B. Stephanus circa annũ 1210. videret populum suum, instigante dæmone, à templo abesse Dominicis, & festis, ac crebra monitione nihil proficeret, mandat diabolis, vt populo non læso se spectandos, horribili specie, exhiberent. Prodeunt ergo in forum, tabernas, ludum saltatorium, forma terribili, ignea, & turpi, cum omnium horrore: tunc Episcopus populo, ait: *Hi sunt quos sequimini, ego*
2. *misi eos ad vestri terrorem.* Atque ita populus resipuit. *Secundo*, Impotẽtia diaboli. Diaboli impotentiam. *Primo* enim, Ligatus à Christo nõ tam
1. nos vexat, quam vexatur. Nomen Iesu, B. Mariæ, Sanctorum, non fert; horret aquã benedictam, & exorcismos, etiam puerorum (quales fere olim Exorcistæ) item campanas benedictas. Solent olim consulturi idola Pontifices proclamare:
Domin. 5. Quad. §. 11. *procul hinc sint lotus, & vnctus*: vt alias dixi. Quia ad Baptisati, vel *Bredenbach. l. 7. cap. 47.* cõfirmati hominis presentiam, idola obmutescebant. Nostro sæculo, vxorem Catholicam multa vexatione induxit maritus Caluinista, vt concionem audiret Caluinistarum: fecit illa, Confessionis & Eucharistiæ Sacramento munita: sed vt accessit, Prædicans obmutuit: hoc vnum addens, *Inter præsentes est qui Papistarum panem sumpsit: itaq; progressum sermonis, à quo nunc impedior, aliàs compensabo.* Maritus autem, re intellecta, ad fidem redijt. Diabolum noli metuere, sed fac vt merita tua
Athan. in eius vita. ille metuat. Solo Antonij nomine multis olim locis eijcie-
In Philoth. cap. 26. batur. Simeonis Stylitæ etiam imagines fugiebat, quas ideo Romæ Catholici ponebant in officinis suis, vt Theodoretus eorum temporum scriptor narrat. Si diabolum times, vrgebit importune, instar mulieris viro dominantis. Aggredere eum prior vitæ sanctitate, Sacramentorum vsu, Crucis signo,
2. &c. & fugiet. *Secundo*, Abstulit ei Christus omnes subditos; egit enim quod vrbium faciunt expugnatores: qui vt alios sibi subdant, prius propugnatores, defensoresque subiugant: sic

sic diabolus plura in nos iam non potest, quam ipsi volumus. *Tertio*, Iudiciariam potestatem soli Christo conuenire, vt discas, *primo*: Non iudicare alios, hoc enim Christi est; *Tu quis es*, ait Apostolus, *qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, vel cadit*. Vnde peccant detractores, & qui de intentione aliorum occulta iudicant. *Secundo*, Iudicia Christi probare: quisquis iudex est, à Christi iudicio, (quod Scriptura, & vtroque iure continetur) non discedat. Qui vero iudicandi authoritatem non habent, possunt sententias in Scriptura iudicatas, & definitas, proloqui: v. g. Neminem saluandum qui in peccato mortali moritur: hoc enim de homicidis, ebrijs, hæreticis, Apostolus docet: & qui negat, Christi iudicium improbat. *Rom. 14. 4.* *1. Cor. 6. 9.* *Galat. 5.*

XI. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*. Huc vsque quid per Apostolos acturus esset Spiritus sanctus explicuit Christus; nunc quid eos docturus sit, addit: etsi enim per triennium iam Apostoli Christo adfuissent, necdum tamen omnia nouerant: atque ita, quia omnes naturaliter scire desiderant, acuit Apostolorum desiderium. Verba illa: *Multa habeo vobis dicere*. significant, *primo*: Christum, vt etiam ex Euangelijs patet, multa dixisse Apostolis. *Secundo*, Necdum dixisse omnia necessaria: restabant, ait Chrysostomus, plura dicenda, quam dicta. Quæres. Quomodo dicat Christus alibi; *Omnia quæ audiui à Patre meo nota feci vobis*, si hic dicat, multa adhuc desiderari? Respondeo, *primo*: Nunquam Apostolis à Christo communicata omnia: scientia enim eius diuina est infinita: humana vero est de creaturis omnibus. *Secundo*, Christus à Patre missus fuit, adeoque vt Legatus mandata habuit: vult ergo se communicasse *omnia*; non absolute, sed quæ Pater mandauerat communicari: atque eodem sensu ait: *Consummatū est*. *Tertio*, Graui de causa dixit Christus *multa habeo vobis dicere*: vt sciamus non omnia fidei mysteria, ante Christi mortem, proposita Apostolis; multo minus ab Euangelistis conscripta, qui etiam multa, eorum quæ ante mortē Christus dixit, omiserunt. B. Ioannes enim omnia pene habet ab alijs diuersa, & concludit, plurima adhuc superesse non scripta. *Tertio*, Significant: mysteria quæ adhuc restabant, non esse *Hom. 1. in Acta.* *Quæstio.* *Ioan. 15. 15.* *Resp. 1.* 2. 3. *Ioan. 21. 25.*

Ioan. 3. 10. proposita ob Apostolorum inidoneitatem: sicut inidoneus quoque fuit Nicodemus, intelligendo mysterio baptismi, erant ergo mysteria hæc Lege, in qua Apostoli adhuc erant, perfectiora. Origenes, [a] Iustinus, [b] Nazianzenus, [c] quædam hic conijciunt: nos autē *omnia* dicamus, quæ postea ipsis tradita sunt, erant autem hæc duplicis generis. *Primo*, Quædam spectabāt fidem; vt, *Primo*, Diuinitas Spiritus sancti Pater diuinitatē suam creatione, Christus incarnatione manifestauerat, restabat ergo vt & Spiritus sancti diuinitas innotesceret. *Secundo*, Status regni Christi, putabāt Apostoli illud fore temporaneum, nec capiebant quod dictū Pilato: *Regnum meum nō est de hoc mundo*. Oportebat enim Christū regnare spiritualiter in animabus. *Tertio*, Gentes quoque ad gratiam vocandos; ꝙ ostensum postea Petro. *Quarto*, Christianos liberandos à lege Mosaica; quod postea decretū in Cōcilio Apostolorum. Probabile etiam Sacramentorū institutionē illis obscuram fuisse, ac præsertim quod sacrificium Missæ alijs omnibus sacrificijs succederet, vt prophetauerat Malachias. *Secundo*, Alia spectabant Ecclesiæ Regimen; de quo Apostoli pauca scripto, plurima verbo docuerunt. B. Clemens octo libros de eo scripsit. Apostoli 84. Canones, quos venerata semper Ecclesia, etsi Concilium Quini-sextum ponat canones 85. Multa quoque habet S. Dionysius, aliqua S. Martialis vnus ex 72. discipulis. *Quarto*, Apostolorum ignorantiam non fore diuturnam, perfecit enim eos Spiritus sanctus: sicut quos baptismus regenerat, quasi pueros, Confirmatio consolidat. Quærunt aliqui: an non potuerit Christus, Apostolos perficere? Respond. Potuit, sed (vt Ecclesiæ ritum initiaret, quæ alio Sacramento generat, alio roborat) noluit: idque vt esset maior SS. Trinitatis obseruantia; Pater enim creauit nos, Filius redemit, Spiritus sanctus perfecit. *Quinto*, Significant, etiam Christū hæc ipsa Apostolos docuisse: sensus enim verborum est, multa adhuc supersunt dicenda, quia tamē adhuc eis apti non estis, postea docebo ea per Spiritum sanctum vt discamus, multa esse in Ecclesia, quæ Christus ipse nō docuit, etsi doctrinæ eius contraria nō sint. Fecit Christus quod magistri solent, qui discipulos pro captu suo Grammaticam, Rhethoricam, vel alias facul-

Marginalia: a Lib. 2. in Celsum. b Quæst. 112. c Orat. 5. Docuit Spiritus sanct. Apostolos duplicia mysteria. 1. Actor. 1. 6. Ioan. 18. 36. Actor. 10. 11. Actor. 15. 20. Malach. 1. 11. 2. Cano. 2. In Eccles. Hierarch. In duabus Epist.

facultates docent; qui iam perfecti, auditis multa possunt superaddere: non tamen contraria. Dum viueret Christus, Apostoli rudiores erant, sed profecerunt postea. & proficit etiam hodie Ecclesia, vestigijs doctrinisque maiorum insistens. Nota *Primo*: Ecclesiam nunquam Christo, vel Apostolis contraria docuisse. *Secundo*: Eam quotidie proficere: dum innotescunt magis, quæ prius erãt obscuriora. *Tertio*: Non sufficere vt quis verbum Dei audiat; sed gustare illud debet, quod citra Spiritus S. auxilium non fit. *Quarto*: Christum semper habere quo te prouehat. in cœlo discendi terminus erit, *in terris vero ea discamus, quæ nobiscum*, ait Hieronymus, *permanebunt in cœlis.* *Ad Paulin. c.7.* Spõsa in Canticis tria ponit gymnasmata. *Primum*, est domus matris, seu cubile genitricis: id est, Ecclesia. vbi fidem discimus, & mores. hic sunt qui abdicatis omnibus, ad altiorem cognitionem perueniunt. *Secũdum*, est *Foramina petræ, & cauernæ maceriæ*. id est, meditatio Christi. in qua omnis vitutum perfectio. cui studuerat B. Paulus, cum dixit: *Nõ iudicaui me aliquid scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum*. facile contẽnit omnia, qui hũc cogitat. *Tertium*, est *Cella vinaria*; in qua ordinatur charitas. nẽpe, humilitas: quæ *Primo* cellę instar, quasi sub terra est. humilium enim *vita* vere *abscondita est cum Christo in Deo*. *Secũdo*: calorem habet Diuini amoris; sicut cellæ hyeme sunt calidiores. *Tertio*: prudentiam habet; quã ordinat charitas ad propriam, & alienam salutem. Exemplo sint Antonius, Benedictus, Dominicus, qui humilitate, prudentiaq; sua, innumeros Christo erudierunt.

Cant.3. & 8. Tres scholę Ecclesiæ. *1. Timo.3 15.* *Cant.2.14.* *1. Cor.2.2.* *Cant.2.4.* *Coloss.3 3.*

Nota *quinto*: Christũ iterato dixisse; *Multa habeo dicere*. Semel Iudæis, secundo Apostolis. Iudæis multa habet dicere, vt eos iudicet: Apostolis, vt doceat. Vide quomodo locuturus tibi Christus; peccata tolle, ne ille tolli te iubeat. loquentem hic audi, vt ad sapientiam in cœlos admittaris. *Ioan.8.26.*

XII. *Sed cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quod Apostoli ante passionẽ Christi intelligere non poterãt, tum ob imperfectionẽ, tum ob tristitiã; intellexerunt, postea, docente eos Spiritu S. Nota *Primo*: Particulam *ille*, nõ cõiungi cũ *Spirit⁹*, sed cũ *Paraclitus*: vt patet ex Gręco. significatur ergo, Paracletus esse spiritus veritatis, vt sciamus eum nos veritate

consolari. Mendacia forte ad tempus solatia sunt, sed posteà
Psal.4.3. augetur dolor. *Quærentes mendacium* reprehendit Dauid. quicquid autem promittit mundus, mendacium est, nescit peccator animi quietem, ꝓpria hæc Spiritus S. est, cuius veritas, etsi amarior initio, dulcescit tamen postea: instar vuæ. Grauis est iudicij, & mortis expectatio; sed vbi homo eam diligenter inspicit, grauis non est: mors, vitæ initium est; iudicium, aduentus sponsi, infernus, virtutis vinculum; quo à malo continemur. Veritatem itaque dilige, & liberatum à malo in gaudia æterna transmittet.

Paraclitus cur Spiritus veritatis? Nota *secundo*: sæpe in vltimo Christi sermone Paraclitũ vocari *spiritũ veritatis*. *Primo*: Quia ab ipso solo omnis veritas, etiã
1. Gentilibus data, ante Christũ: vt ab explicandis, indagandisq; rerum naturis, Christiani liberi maiorib⁹, dignioribusq; intẽ-
2. derent. *Secundo*: Quia, vt ait Chrysost. cũ lex vetus vmbras ha-
Homil 74. in Ioan. buisset, ille vobis veritatẽ dedit. *Tertio*: Quia solus ille est verus
3. spirit⁹; expers omnis mutationis, cui Angeli, & animæ, qui etiam spiritus dicũtur, subiacent. vt discamus eos ad puritatem
4. magis accedere, qui cum Spiritu S. magis cõmunicant. *Quar-*
Ioan.14.6. *to*: Quia spiritus est Filij Dei, cui nomẽ *Veritas*: eumq; declarat
5. mundo. *Quinto*: Quia, vt Chrysost. ait, fide dignus est, cũ nihil
Homil.79. in Ioan. nisi veritatem doceat. *Sexto*: Quia firmus est, & perpetuus. firmitas autẽ, Hebræis dicitur veritas; iuxta illud Ezechię; *fiat tã-*
6.
Isai.39.8. *tum pax & veritas in diebus meis*. Mundus incõstantiæ, Spiritus S.
7. perseuerantiæ, author est. *Septimo*: Quia est spiritus Dei verax, contrarius spiritui terreno. sicut enim duę sunt sapientię, teste
Iacob.3.21. B. Iacobo, vna *desursũ*, altera *terrena*: sic duo sunt spiritus; quorũ vnus cœlestes facit, docens nos vera; alter terrenos, docens mendacia. Veritatem ama, etsi duram; quia dat eam Spirit⁹ S. mendacium fuge, etsi blandum; quia *pater eius* diabolus.

Nota *tertio*: Spiritum S. dici *Spiritum veritatis*: quando toti Ecclesiæ, & Præsulibus promittitur; non quando singulis hominibus. vt discamus doctrinæ infallibilitatem, nõ esse priua-
Luc.22.32. ti hominis; sed Ecclesiæ, & eius, cui dictum; *Ego rogaui pro te, vt nõ deficiat fides tua*, ac Successorum illius. Quisquis noua iactat, audiendus non est, etsi Spiritũ veritatis sibi vendicet: nisi eun-
12. Conf. c.25 dem signis probet. Optimè Augustinus, *Domine veritas tua, nec*

mea

mea est, nec illius, aut illius, sed omnium nostrum, quos ad communionem publicè vocas, terribiliter admonens nos, vt nolimus eam habere priuatã, ne priuemur ea. veritas, Ecclesiæ est: non singulorum. his enim alio nomine Spiritus S. promittitur; nempe, spiritus *mansuetudinis, sapientiæ, Dei, Christi*, &c. 1. Cor. 4. 21. Ephes. 1. 17.

Nota *quarto*: Spiritum hunc dari, vt veritatem doceat, non Apostolos solum, sed & posteros: aperte enim dixit Christus. *Ego rogabo Patrẽ, & aliũ Paraclitũ dabit vobis, vt maneat vobiscũ in æternum quem mundus non potest accipere: quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* 2. Corin. 1. 22. 1. Pet. 1. 11. Ioan. 14. 16.

Vnde discis. *Primo*: Spiritum S. semper adfuturum Ecclesiæ, ideoq; ipsam nõ posse errare. *Secundo*: Hoc spiritu mundum, & eos qui extra Ecclesiã sunt, carere: vbi nec cõsolatio, nec veritas. Caue ergo hæreticis credas, etsi verbum Dei iactent; neq; enim Dei, sed verè diaboli verbũ habent. *Tertio*: Terrenos huius spiritus capaces nõ esse; *animalis* enim *homo nõ percipit ea quæ sunt spiritus*. *Quarto*: Spiritum S. tria Ecclesiæ promisisse. *Primo*: Fidẽ in Spiritũ S. hæc enim Ecclesiæ ꝓpria est, præ Synagoga. *Secundo*: Assistentiã, directionẽ, defensionẽ. *Tertio*: Intimã præsentiam. neq; enim adest tantum, sed & inest: quia *membra nostra templũ sunt Spiritus S. qui in nobis est*: ait Apostolus. quod contra hæreticos notãdum, qui negant eũ vlli inesse. fatemur nos eum inesse aliquibus, adesse alijs: *apud vos manebit*, inquit Christus, *& in vobis erit*. adest malis. *primo*: In eorum vtilitatem propriam; suggerens bona, & voluntatem mouens. *secundo*: In vtilitatem aliorum; dum linguas malorum mouet, vt alios bene instruãt. sicut linguã asinæ mouit. Sic adfuit Balaã Israëlitis benedicẽti, & Caiphæ prophetanti. Similì modo adest Prælatis malis; non tamen eis inest, propter eorũ peccata. Porrò etiam hinc disce; quia solis iustis Spirit⁹ S. inest, & Ecclesia ab his dicitur *sancta*, nunquã defuturos in Ecclesia iustos Prælatos, nec subditos: sicut arbori viuæ, non folia solũ, sed & rami viuunt. 1. Cor. 2. 14. 1. Cor. 6. 19. Num. 22. 28. Num. 23. 24. Ioan. 11. 50.

Nota *quinto*: Spiritui sancto tribui doctrinam omnis veritatis; non absolute, quia hanc nec Apostolis, nec Ecclesiæ dedit, sed *Primo*: circa ea quæ insinuarat Christus, cum diceret: *multa habeo vobis dicere*. quod Spiritus sanctus ita præstitit, vt non rem solum, sed & verba suggesserit quod in B. Ioan- Spiritus S. quomodo doceat omnem veritatem. Ioan. 14. 26.

erret. *Quarto*: Ecclesiam esse in via ad cœlum, quo salutaribus Doctrinis ducitur. *Quinto*: Esse hominem liberum; quia non trahitur, nec rapitur, sed ducitur. *Sexto*: Ecclesiã, instar animalium Ezechielis, semper proficere: non regredi, nec respicere. Tantũ enim abest, vt semel decreta retractet, vt in eisdẽ quotidie magis solidetur; quantoq; eã hæreses, etsi perdere velint. Arianismus, Diuinitatem Christi; Macedoniani; Diuinitatem Spirit⁹ S. Nestoriani, Incarnationẽ; Iconomachi, cultũ imaginum; Berengarius. Eucharistię veritatẽ celebriorẽ reddidit. & nostri temporis hæretici occasionẽ dedere, vt grauissima, quæ impugnabant, mysteria iustificationis, gratiæ, liberi arbitrij, Missæ, in Concilio Tridentino explicata sint: nõ quod Patres *noua* dixerint, sed (vt faciendum monet Lerinensis) *nouè*: seu, nouis conceptibus antiqua explicarint. Cõtingit interim, statuta quæ mores concernunt, mutari nonnunquam: vt in præcepto Apostolorũ de sanguine, & suffocato. item in eo quod Eucharistia soleat aliquando post cœnam sumi. nec est quod hę mutationes quenquã offendant; pendent enim ex circumstantijs, possuntq; ab eodem abrogari, à quo rogari: hic hodie exoleuerunt quidã ieiuniorũ dies, & festi: similiter in quadragesima permittitur vsus lacticiniorũ, tẽpusq; prandij anteuertitur: solent enim ad vesperam vsq; cõtinuare ieiunia. Gratias itaq; Deo age, ꝙ in Ecclęsia viuas, & ora in eadem perpetues.

Ezech. 1. 9.

In com. c. 27.

Act. 15. 20.

1. Cor. 11. 21.

XIII.

Non enim loquitur à semetipso, sed quæcunq; audiet loquetur. Insinuat hic Christus. *Primo*: Spiritum S. docturũ necessaria: nempe, quod audiet à Christo. neq;, ait Rupertus, spiritus mendax est, vt noua doceat: sicut ille qui Pseudoprophetas docuit. nihil enim loquetur de suo. quo notatur, non quod Spiritus S. falsa diceret, si de suo diceret: sed, *primo*: Ne quis aliter præsumat docere, quã ab Ecclesia audiuit. vnde cõfutãtur hic Nouatores, quibus merito illud Apostoli respondere possumus: *Si quis aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quo euangelizauimus vobis anathema sit* & Ioannes. *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam nõ adfert, nolite eum recipere in domum, nec Aue ei dixeritis.*

Galat. 1. 8.

2. Ioan. 10.

Voluit Deus ab homine hominẽ regi, ac instrui: atq; initio quidem Apostolis Spiritũ S. ipse misit, postea tamen non sine hominum ministerio. *Secundo*: Vt doctrinæ Catholicæ dignitatem

tatem videamus, siue enim scripta sit, siue non, totius Trinitatis, seu Dei, verbum est. vnde Apostolus: *Tenete*, ait, *traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam.* atq; ita impletur, quod ex Hieremia idem Apostolus citat; *Dabo legē meā in mentem eorū, & in corde eorum super scribam eam.* Non sunt itaq; traditiones, quasi hominū mandata, spernendæ. Apostolis Christ⁹ nec scripsit, nec vt scriberent præcepit. Maior quoq; Apostolorū, Discipulorum numerus non scripto, sed verbo mūdum conuertit. Scriptores vero maximā partē reliquerunt intactā; quæ in corde Ecclesiæ scripta, nec Gētilium persecutionibus, nec hæreticorum poterit argumētis eradi. Hæc sunt quæ, teste Augustino, per vniuersam Ecclesiam seruantur, nec vsquā primum instituta legūtur, verbi gratia. Sacrificium Missæ pro viuis & defunctis; septem Sacramenta, inuocatio Sanctorum, cultus imaginum, &c. quæ etsi reijciant hæretici, nunquam tamen vbi, quando, à quo, sint instituta ostendent, si Apostolos omittunt.

2.Thess. 2.15. *Hebr. 8.10.* *Ierem. 31.33.* *Episto. 118. ad Ianua.*

Secundo: insinuat Christus, Spiritum S. non tantum docere veritatē, sed & doctrinam à Christo inchoatā perficere. ideo enim dixit Christ⁹ *nō à semetipso loquetur; sed quæcūq; audiet.* quasi dicat. Non est meæ impotentiæ quod vos non perficiam, vt proinde Spiritu S. indigeatis, tanquā potentiore: quicquid ille eos docet, à me accipiet. indicat itaq; *primo*: Spiritum S. nihil docturum Christo cōtrarium. atq; ita traditiones, quæ in Spiritus S. instructione fundantur, non esse verbo scripto contrarias. *Secundo:* Spiritum S. esse cum Patre, & Filio, eundē Deum: vt ait Didymus. quia cum Patre & Filio loquitur: sicut Filius ideo cum Patre vnus est, quia cū illo eadem facit. iuxta illud; *Non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quæcunque enim ille fecerit, hæc & similiter filius facit.*

Lib. 2. de Spiritu sancto. *Ioan. 5.19.*

Quicquid Trinitas facit ad extra, Personis omnibus commune est. *Tertio:* Spiritum S. à Patre, & Filio procedere. neq; enim Spiritus S. corporaliter audit, vt nos; neq; sic à Deo discit, vt humanitas Christi: sed *audire* dicitur, quia & naturam, & sapientiam accipit. Nota ergo hic. *Primo:* Spiritus S. Deitatē. qui vt Christus Patris Filius; sic ipse Patris, & Filij, vnus est Spirit⁹. *Secundo:* Spiritum S. non loqui quicquid scit; hoc enim est infinitum,

Spiritus S. quomodo audiat?

finitum, sed quicquid audit: id est, accipit, vt doceat nos. *Tertio*: Fœlices quibus tantus Doctor; qui à Patre potentiam, à Filio confert sapientiam. ad omne opus bonum. ora, vt cum his donis ille te visitet, corroboret, illuminet, accendat, omnes animæ vires, & membra corporis moueat. ad sui gloriam, tuam salutem, & proximi vtilitatem.

Et futura annuntiabit vobis. Subdit hæc Christus. *Primo*: vt Apostoli maiore Spiritus S. desiderio accenderentur. ducimur enim omnes, amore cognitionis futurorum. & Apostoli de his, vt Chrysostomus notat, Christum frequenter interrogarant. eratque magna dignitas; non solum Prophetas alios intelligere, sed & Prophetas fieri. *Secundo:* Vt ostendat Spiritum sanctum esse Deum, cui propria futurorum cognitio. Dæmones de his conijciunt solum, &, vt in Prophetis Achab patet, errant frequenter. contingit tamen vt errent; ttribus de caussis. *Primo:* quia rem iam alibi factã vident, & vbi adhuc ignota est, nuntiant. sic in Ægypto solent Nili incrementa, vel decrementa prædicere; vt testatur B. Antonius, pro varietate imbrium Æthiopiæ. *Secundo:* Ex cognitione humanæ dispositionis, & temperamenti, vel aëris. sic & Medici norunt mortem homini instare, vel regioni pestem. *Tertio:* Quia in consulentium pœnam permittit Deus, vt dum vera audiunt, eis credant. vt testatur B. Augustinus. *Tertio*: Quia voluit Christus, etiam in Ecclesia esse spiritum Prophetiæ, quem habuerunt Apostoli omnes; & B. Ioannes eo multa prædixit, sicut & B. Paulus. fuitque idem spiritus in Ecclesia omnibus sæculis, aut pene quinquaginta annis, quibus aliqui hoc dono specialiter claruerunt. *Quarto*: Vt esset inter nos frequens de futuris sermo. Vnde boni Prælati est, de iudicio, ac inferno multa proponere subditis, & ex peccatorum grauitate, impendentem pœnam æstimare. XIV.

Hom. 77. in Ioan.

3. Reg. 22. 40. Dæmones quomodo prædicant aliquando vera.

1. *Athan. in vita eius.* 2. 3. *22. de Ciui. c. 11.* *1. Tim. 4. 17.*

Quinto: Vt à Deo prudentiam petamus. Affectat prudentiam suam mundus; quam Paulus *prudentiam carnis nominat*: scilicet, ad opes, honores, voluptates. eandem dæmon affectat; dum inutili solicitudine amissionis bonorum, vel amicorum, aut mandati Superiorum non placituri, torquet: sed hæc, quia diabolica sunt, *Rom. 8. 6.*

sunt, nocent. ora, vt prudentiam accipias à Spiritu S. examina quid dicas, vel cogites, & quid inde sequi possit. æterna meditare; expedit enim vt commodum sit, quod erit æternum.

XV. *Ille me clarificabit; quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Tertium hoc Spiritus S. opus. *primo*: mundum arguit, *dein*: Apostolos perficit. *denique* Christum clarificat. quem ostendit non Ioseph, sed Dei Filium: nec hominem purum, sed Deum. ediderat in huius rei testimonium Christus multa miracula: persuasi tamen non omnes, ne passio Christi impediretur. Fides ergo hæc, mundiq; conuersio Spiritui S. seruabatur: qui mundum conuertit. *primo*: Per internas illuminationes. *Secundo*: Per miracula, & prædicationes Apostolorum, quibus strata idola, & nomen *Iesu Christi* vbiq; honoratur, & colitur. *Tertio*: Hæreses contrarias expugnando. Contra Arrianos, Christi ostẽdit Diuinitatem; contra Nestorianos, Personę vnitatem; cõtra Pelagianos, gratiæ eius necessitatem; contra alios, alia Christi dogmata; vt, veram & internam emẽdationem à peccato; Sacrificium Missæ; &c. Fit autem hæc clarificatio pręcipuè in Concilijs generalibus; vbi dicere solent: *Visum est Spiritui S. & nobis.* qui enim olim per Apostolos, idem nunc per Prælatos loquitur. *Quarto*: Martyres roborando. ostendunt enim hi maiestatem eius, pro quo sanguinem fundunt. *Quinto*: Inspirando cõtemptum, & abrenuntiationem sæculi. vt homo ad eremum abeat, vel in monasterio, nõ sua tantũ, sed & se totũ alteri subdat. hæc enim non nisi Dei cõsilio, & impulsu fiunt: dũ homo dignitatem Christi agnoscit, & cum illa exclamat: *Magnificat anima mea Dominum.* Examina teipsum, & vide, quantus tibi Christus: si libenter Eucharistiam suscipis, in pauperib⁹ Christum foues, & in Superioribus honoras, verbaq; eius libenter audis, clarificat eũ Spiritus S. in corde tuo; sin ad bona parcus, ad mala profusus es, necdum timeo Spiritum S. habes.

Mundi conuersio.

Act. 15. 28.

Luc. 1. 46.

Nota. Cur Spiritus S. Christum clarificet; quia *de meo accipiet.* Nempe, Naturam. ex quo concludimus: Si Deus est Spiritus S. & naturam habet à Filio, vtique Filius, seu Christus, Deus quoq; est. clarificat ergo Spiritus S. Christum, quia Deum ostendit. *De meo*, autem dixit Christus; non, *de me*: quia naturam accipit, non Personam. *Accipiet*, dixit; quia in æternum accipit, &

& post dies paucos erat ad Apostolos venturus. Alij sic exponunt; Scripturas, quæ de me sunt, ipse vobis explicabit: conuenit enim vt idem explicet eas, qui dictauit. Habet hunc Spiritum Ecclesia perpetuo, ideoque ab ipsa Scripturæ sensus peti debet; non à priuatis, qui eam oppugnant. Ora Christum vt & tibi Spiritum S. mittat, teque gratia sua impleat, in quo enim hanc, quæ est gloriæ pignus, inuenit; eundem gloria dotabit.

ORATIO.

Domine Iesu Christe qui pro peccatis nostris satisfecisti, & Spiritum S. nobis contulisti, qui ad Patrem abiuisti, vt Spiritum S. demitteres, vt mundum plenum peccatis redargueret, de putatiua sua iustitia in qua gloriabatur: & de iniquo iudicio, quod super te & tuis tulerat: quos instrueret quoque, & veris rationibus euinceret, quanam vera iustitia esset, nos iustificans, & quod verus tu viuorum & mortuorum Iudex esses, qui SS. Apostolos tuos in vera sapientia perficeret, & Ecclesiam: qui denique omnibus gloriam & Maiestatem tuam agnoscendam proponeret. Rogamus te, da nobis cognitionem, & contritionem peccatorum nostrorum: Spiritum S. in corda nostra effunde qui animas ab omni malitia emundet, suaq; exornet iustitia: extremum iudicium nobis iugiter propone, ne in peccata reincidamus: illumina intellectum, vt te agnoscat. Inflamma voluntatem vt te diligat. Confirma facultates nostras, vt in virtutibus persistant. Ecclesiam à prauis dogmatibus, & erroribus praserua: largire Spiritum veritatis qui consoletur nos, & instruat. Errantium intellectum illumina, & lapidea hominum corda emolli, verum iter in cœlos ostende: vt per Spiritus S. doctrinam, tuum sensum hic intelligamus, tuamq; voluntatem perficiamus, & per veram ad te viam perueniamus. Per te Iesu Christe, fili Dei, qui cum Patre, & Spiritu S. viuis & regnas Deus in secula seculorum. Amen.

DOMINICA V.
POST PASCHA.

Euangelium Ioan. 16.



N illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Amen Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Hæc in prouerbijs locutus sum vobis. Venit hora, cùm iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palàm de Patre annuntiabo vobis. Illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amatis, & credidistis, quia à Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum. Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli eius: ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc scimus, quia scis omnia, & non opus est tibi, vt quis te interroget. In hoc credimus, quia à Deo exijsti.

Breuis

Breuis Euangelij Exegesis.

EVangelium hoc immediatè sequitur verba Euãgelij Dominicæ tertiæ post Pascha, vbi Apostolos Christ⁹ de abitu suo consolatur, quia breui se spõdet rediturum, cum tanta gaudij vbertate, vt nemo illud ab eis sit ablaturus. hic autẽ tres superaddit vberioris solatij caussas; quarum *prima*, doctrinam habet vtilissimam; modum sc. impetrandi à Patre, quicquid esset nobis petiturus. Ait. n. etiam si ad Patrẽ eo, nolite vos putare desertos, modum docebo quo, me etiã absente, impetrabitis quæ vultis, sc. petite *in nomine*, seu merito, *meo*. quia enim pro debitis omnib. ego satisfeci, vos quoq; per illud & peccatorum veniam, & donorum gratiam impetrabitis: omnia. n. vobis promerui: & licet hãc orãdi formã nemo hactenus vsurparit, quia necdũ pretiũ solverã; vos tamẽ nũc ea vtimini, quia & ego eã cras in morte mea initiabo. ita fiet, vt non tantum de resurrectiõe mea, sed & de bonis vestris gaudeatis: sicuti plus gaudet, qui non tantum amicum videt peregre venientẽ, sed & ab eo dona multa accipit, tunc enim & ipsius, & sui caussa, gaudet. Hinc ergo Ecclesia orationes pene omnes hac formula cõcludit: *Per Christum Dominum nostrum*. q. d. non nostris, sed Filij tui meritis nitimur Deus. *Secunda*: pleniorem promittit de Patre, & Diuinis rebus instructionem. Hacten⁹, ait, obscure locut⁹ sum vobis; partim ob legis, sub qua eratis, imperfectionẽ; partim ob vestram imbecillitatem: sed quia in morte mea velũ templi scindam, & figuras consummabo, post resurrectionem agam vobiscum apertius. *Tertia*: Patris in eos Mat. 27. 51.

amorem ostendit tam abundantem, vt etiamsi pro eis Christus non intercederet, Pater nihilomin. eos exaudiret: idque, quia ipsi Christum dilexerunt, quē credebant à Patre missum. fides enim nostra amori sociata meretur amari à Deo. atque ideo vt fidem hanc Christus in Apostolis roboraret; *Exiui*, ait, *à Patre, & veni in mundum. iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* q.d. Creditis me à Patre exisse, & bene facitis: sum enim Dei Filius ex Patre natus, & à Patre in mundum missus, vt quæ, salutis vestræ caussa, mihi mandauit perficiam; sicut iam pene perfeci, crastino die consummaturus: ac dein ad ipsum redibo, rationem redditurus meritorum, & corporis gloriam accepturus. Apostoli autem Christū audientes tam aperte, etiam de eis quæ ipsi cogitabant, & rogare volebant, disserere; admirati, se iam videre dicunt, quod ipse omnia cognoscat, nec opus vt quisquam eum interroget: quia non rogatus ad cogitationes respondebat. atq; *in hoc credimus*, aiūt, *quia à Deo existi.* Id est, quod sis Dei Filius, verus cum Patre Deus. Deo enim propria est cordium cognitio: ideoq; etsi te Dei filium iam ante cognouimus, nunc tamen in hoc multo magis roboramur.

Documenta Concionis Duodecimæ.

I. Cur hodie legatur præsens Euangelium.

D*ixit Iesus Discipulis suis.* Vltima hac ante Ascensionem Christi Dominica præsens Euangelium legitur. *Primo:* vt passionis Christi vim discamus; quæ quicquid petimus impetrat, mala auertit, bona conciliat. *Secundo:* Quia, vt testatur Lucas, Christus ante ascensionem suam, cùm Apostolis multa egit de regno Dei, eosque monuit, vt quæ vellent peterent: sicut Elisæo olim dixit, ante raptum suum, Elias; *Postula quod*

Acto. 1. 3.

4. Reg. 2. 9

quod vis, vt faciam tibi, antequam tollar à te. Porro hoc ipſum hic facit Chriſtus, triſtes enim Apoſtolos excitat, vt quæ volunt petant, ne ſe, abſente CHRISTO, putarent deinceps non exaudiendos. ſponſum imitatur, qui peregrinaturus ſponſæ omnia promittit; & Patrem familias, qui abiens vxori pecuniam, omniaque familiæ neceſſaria pleniſſime ſuppeditat. Pecunia noſtra, oratio eſt; qua à Deo omnia, quaſi dato pretio, emimus. *Tertio*, Vt, quia inſtat Aſcenſionis Chriſti feſtiuitas, quam eodem quo Apoſtoli fructu celebrabimus, ad orationem præpararemur. quiſque neceſſitati ſuæ conſulat, neq; terrena petat, ſed cœleſtia: quia non deſcendit Chriſtus, ſed aſcendit. Eadem ex cauſſa, ſequẽti triduo proceſſiones Eccleſia inſtituit; vt quemq; modum doceat orandi, & ad orationem excitet. Qui regiam non vidit alias, geſtus decẽtes neſcit. ſic nos oramus, & petimus, ſed non accipimus; quia vt ait B. Iacobus: *malè petimus.* Maius eſt cum Deo, quam cum Rege loqui. Seraphin vix eum intueri audẽt; ſed faciem, pedeſque, vt ſcribit Iſaias, velant. Sapientem audi; *Ante orationem præpara animam tuam, ne ſis quaſi homo qui tentat Deum,* qui fidibus canet, eas prius componit; ne ridere auditores videatur. ſic Deum oraturus, animum compone; ac vide quid, à quo, & per quẽ, petas. Eccleſiæ precibus tuas adde, ac neceſſitates tuas aperi. Caue vero dies Rogationum cum hæreticis rideas: neque enim ridiculum omne, quod ridendi rident. Dies hos, vt Turonenſis ex literis B. Auiti Epiſcopi docet, S. Mamertus Viennæ in Gallijs Epiſcopus anno 452. reſtituit: nam ante Mamertum celebrabantur quidem, ſed, vt Sidonius ait, *tepide*, & oſcitanter: cum vero Gallias terræmotus concuterent, & incendia vaſtarent, vt poſt Turonenſem refert Ado, ita vt Regis palatium pridie Paſchatis conflagrarit; lupi quoque ac feræ populum paſſim dilaniarent, B. Mamertus his malis excitus, dies illos diligentius cum ieiunijs, & Litanijs, ſeruauit: & populi calamitatem auertit. quem dein imitati Antiſtites alij, in Concilio Aurelianenſi I. decreuerunt.

Iacob. 4. 3. *Eccl. 18. 23.* *Lib. 2. hiſt. fran. c. 34.* *Lib. 7. ep. 1.* *AEtate 6.*

Rogationes, id eſt. Litanias, ante Aſcenſionem Domini placuit celebrari: ita vt præmiſſum triduanum ieiunium, in Dominicæ Aſcenſionis ſolemnitate ſoluatur. Per quod triduum ſerui & ancillæ ab opere relaxen- *Canon. 29.*

tur quo magis plebs vniuersa conueniat, quo triduo omnes abstineant, & etiam Quadragesimalibus cibis vtantur.

Postea ann. 800. per vniuersum orbem Leo III. eas seruari voluit. vnde Concilium 12. vel vt alij 13. ann. post celebratum, Cap. 33. *Placuit nobis, vt Litania maior obseruanda sit à cunctis Christianis diebus tribus* (ante Ascensionem Domini) *sicut legendo reperimus. & sicut SS. Patres nostri instituerunt, non equitando, nec pretiosos vestibus induti, sed discalceati, cinere, & cilicio induti, nisi infirmitas impedierit.* Ex quibus, exsibilato Nouatorum sibilo, liquet harum processionum pietas, & antiquitas.

II. *Amen, Amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Magna promissio, & nemini olim concessa, nisi Salomoni: tū quod Dauidis esset filius, tum quod tam magnificū sacrificium Deo obtulisset. illle tamen vnam solum rem petijt, Christ⁹ vero omnia spōdet. quia morte sua omnia meruit. Assuerum legimus semimortuæ Esther dixisse; *Quid vis Esther Regina, quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam partem regni petieris dabitur tibi.* Figura quidem hæc liberalitatis Christi, sed non plena: neq; enim Christus regni spondet dimidium, vt ille, sed integrū. nam quod hic ait: *si quid*, idem est, cum illo: *Omnia quæcūq; orantes petitis, credite quia accipietis, & fient vobis.* Nihil hic circumscriptum; sed quo petitio maior, eo gratior. Reges nos Christus, & super bona sua constituit; imo seipsum dat, nosq; quasi Deos facit. Vide ergo quid petas, inimicorum suorum pœnam petijt Esther; hoc tu spiritualiter pete, vt animi passiones, & voluptates, pro te expugnet. hinc enim triumphi spiritualis initiū est. Audet similia diabolus promittere; vt in Christo vidimus, sed nihil dabit, nisi quo lędaris. spopondit Herodiadi Herodes omnia quæ vellet, sed nihil nisi caput B. Ioan. dedit: id est, grauissimi peccati materiam. Christū audi, qui & vult nobis bona, & potest: nō diabolum, qui nec vult, nec potest. Promisit ille non tantum gemina affirmatione dicens: *Amen, Amen:* sed addit: *dico vobis*, id est, ego qui veritas ipsa sum spondeo. hoc enim est quod Apostolus ait: *vt fortissimū habeamus solatium, quia quæ promisit potens est & facere.* Neque est quod diffidamus illi, nam etsi sint, qui se querantur petere multa, impetrare nulla: illi tamen nos non turbent, quia his Christus non

3. Reg. 3. 5.
Esth. 5. 3. & cap. 15.
Mar. 11. 24.
Matth. 5. 17.
Mat. 14. 47.
Matth. 4. 9.
Heb. 6. 18.

non promisit. Discipulis loquitur; id est, Magistro credentibus, qui ergo non credit, sed dubitat: huic Christus nihil promittit. Discipuli est se culpare, quasi vel non intellexerit verba Magistri, vel iussa eius non præstiterit. Dei promissa immota sunt, vitium in nobis est; qui verba Christi non scrutamur satis, nec facienda prestatamus. Vt ergo intelligamus, ea accuratius, discutiamus singula. *Primum*, est *Quid.* Quo significatur *primo:* peccata, quæ nihil sunt, à Deo peti non debere. *Omnia per ipsum facta*; sed, *nihil:* id est, peccatum; ait Augustinus, *sine ipso factum est.* Qui à Deo petit illicitam hostium vindictam, voluptatem, gloriam, bene exauditur; ait Chrysostomus si non exauditur. & B. Iacobus; *petitis*, ait, *& non accipitis eo quod male petatis*, nempe, *vt in concupiscentijs vestris insumatis.* Petebant à Moyse carnem filij Israel, & exaudiuit eos Deus: sed quanta cum populi strage! *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Vocatusque est locus in rei memoriam, *sepulcra concupiscentiæ*: quia sepulti illic, qui male concupiuerant. *Secundo*: significatur petẽdum aliquid Deo dignum, & magnum. Regi iniurius putatur, qui ab eo haustum aquæ petit, vel frustum panis. Temporalia omnia Deo vilia sunt, quæ etiam canibus communicat; infidelibus dico, Turcis, hereticis. indigna sunt quæ sola, & propter se petantur: imo petitio talis, ait Ambrosius, peccatum est, possunt tamen peti, vt propriæ, vel alienæ virtutis instrumenta. *Rex noster*, ait Basilius, *munificentissimus est & augustissimus, & indignè fert quandocunque quis exiguum aliquid à se petit, quandocunque quis nostrũ de rebus ipsum minime ipsi conuenientibus rogat.* Cum enim ait: *Quærite primũ regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis* profecto iudicat, inquit Gregorius, *aliud esse quod principalius datur, aliud quod superadditur: quia enim nobis in intentione æternitas, in vsu verò temporalitas esse debet, & illud datur, & hoc ex abundanti superadditur.*

Explicatio singulorũ verborum.

Quid?

Tract. 1. in Ioann.

Hom. 30. in Genes.

Iaco. 4. 3.

Num. 11. 34.

Serm. 22. in Psal. 118. 1.

Ca. 2. constit. Monast. circa medium.

Matt. 6. 33.

15. Mor. c. 18.

Et rectè monet Cassianus, orationi Dominicę nihil de honore, opibus, & cęt. insertum: quia creator æternitatis, nõ vult nos petere caduca, quæ non erunt in æternum. A Deo ergo *quid* petere, est eius iustitiam, & regnum petere: de quo Ioannes: *Hæc est*, ait Ioannes, *fiducia quam habemus ad Deum quia quodcunque petierimus secundum voluntatem eius audit nos. voluntas* autem

Colla. 9. c. 24.

1. Ioan. 5. 14.

1.Thess. 4. 3. *Dei est*, vt Apostolus docet, *sanctificatio nostra.* Cum ergo hæc petis quę saluti seruiunt, vel necessitati, *quid* petis: nempe, peccati remissam, gratiam, virtutes, perseuerantiam: atq; huc diriges eruditionem, ingenij vigorem, sanitatem, aliaq; corporis bona: quę tamē quia multis initiū fuêre lapsus, (nā Salomonē sapientia, Philosophos doctrina, Samsonē robur, Absalonem species, criniumq; Cæsaries perdidit) sub conditione peti debēt: si forte saluti expediāt. Carnis stimulū à se auferri B. Paul. 2.Cor.12. 9. ter rogauit, sed responsum ei à Domino: *Sufficit tibi gratia mea: virtus in infirmitate perficitur.* i. quanto infirmiori vtor instrumēto, tanto gratia mea celebrior. vt discamus, tētationes aliquādo prodesse, quia manifestāt honorē Dei. imo, & hęreses pro- 1.Cor.11,19. desse, Apostol. insinuat: *vt qui probati sunt manifesti fiant.* sicut Paleas frumento disiungit ventus. interim quia hæresis peccatū est, adeoq; inter ea quæ absolute sunt mala, rogādus est Deus, vt eā tollat, & ex cōuersione hæreticorū, nomē suū glorificet. Tract.73.in Ioann. Inter ea quę absolutè peti possunt, etiā hoc ponit Augustin. vt petamus, ne Deus nos exaudiat, si per ignorantiam aliquid forte petimus saluti noxium: in omni enim oratione scopus alius esse non debet, nisi honor Dei, & salus nostra.

Petieritis. Secundum est: *Petieritis.* Quo docemur, *Primo*: Quid sit oratio. Ho.30.in Ge. Chrysostom. eam vocat, *colloquium cum Deo.* Hom.5.in Martyr. Iulittam. Basilius, *petitionem rei bonæ:* quæ duo si coniungas; erit Oratio, *colloquium cum Deo ad petendum aliquid boni ab eo.* Orationis definitio. ita vt duæ sint orationis partes; colloquium scilicet, cum Deo, quod mentis eleuationem includit; & postulatio alicuius boni ab eo, qui fons om- Luc.18 11. nis boni. quo sic & nostram miseriā, & illius profiteamur mi- 1.Timo 2.1. sericordiam. Pharisæus, quia nihil petijt, reiectus est. Apostol. Phil.4.6. in oratione requirit obsecrationem, orationē, postulationem, Iacob.1.6. gratiarum actionem. *Secundo*, Fiduciā: quam requirit S. Iacobus. nemo aliquid ab impotēte petit. Includit aūt fiducia hęc Fiducia in quo sita? non fidem certā de futura rei impetratione; sed *primo*, fidē de omnipotentia Dei. *Secundo*: quod Deus & miserias, & petitiones nostras videat. *Tertio*: quod non minus nobis, quā nos ipsi bene velit. *Quarto*: quod exaudiet, si expediat: datur⁹ alioquin aliud, quod expedit. Sic illi qui paralyticū funibus dimiserunt Matt.9.2. per tectum, fide sua ægro sanitatē impetrarunt: vti & leprosus sibi,

ſibi,cum diceret: *Domine ſi vis,potes*:ac duo cœci,qui rogante Domino: *Crrditis,quia hoc poſſum facere vobis*?reſpondebãt: *Vtiq; Domine*. Apoſtolus autẽ pro ſtimulo carnis auferendo rogans, exauditus non eſt;quia gratiam ei ſufficientem, & vtiliorem, Dominus dedit. *Tertio*,Deuotionẽ:vt non ſolo ore,ſed & corde oremus: contrariũ enim in Phariſæis Chriſtus repræhẽdit, ex Iſaia: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me*. Duplex eſt oratio. vna Mentalis, qua in meditationibus vtimur,& qua Moyſes etiam tacẽs *clamare* dicebatur: hæc enim, quia & in ſe attenta eſt,& attentionem fouet,efficaciſſima eſt. vnde: *Concaluit*,ait ille,*cor meum intra me , & in meditatione mea exardeſcit ignis*.q. d. ardenter oro , & dum meditor,magis ardeo. *Altera*,eſt mentalis,& vocalis ſimul;dũ corde attenti ore loquimur. Vbi nota:quatuor eſſe attentionum ſpecies. *Prima*: ad verba attendit. *Secunda*:ad verborum ſenſum. *Tertia*:ad id quod petit. *Quarta*:ad Deum,vel aliud bonũ.atq; omnes quidem ſufficiũt impetrationi; prima tamen imperfecta eſt,magis enim Deus animum audit,quam oris ſonum: neq; orationem incongruam minus intelligit,quam congruam. Gregor. veram orationem dicit *non eſſe vocis ſonum, ſed cordis ſenſum. nam in arcanis Dei auribus, non tam verba, quam deſideria , locum habent*. & alibi. *Veraciter orare eſt amaros in compunctione gemitus, & non compoſita verba reſonare*. Secunda, neceſſaria non eſt.ſufficit enim quod Deus orationem intelligat, & ex Eccleſiæ authoritate ſciamus eam eſſe bonã. Multi horas legunt, imo orationem Dominicam,& non intelligunt. *Tertia* porro,& *Quarta*, perfectiſſimæ ſunt. B.Antonius negabat orationem eſſe plenam,ſi Monachus verba intelligeret. multo enim vtilius eſt verba tranſcendere, & altius aſſurgere.

Matt.9.28.
2.Cor.12.9.
Matt.15.8.
Iſa.29.13.
Oratio duplex.
1.
Exod.14 15.
Pſal.38.3.
2.
Attentio quadruplex.
21.Mor.ca.8. & 33.c.27. in fine.
Caſsian. Collat.9.c.31.

Notandum quoq; attentionem dupliciter haberi. *Primo*: Actualiter; vt cogitationes habeamus ab omni alia re auocatas.ſed quam hoc ſit difficile,exemplo ſuo B.Hierony.docet. *Ego enim*,inquit ipſe de ſe,*creberrimè in oratione mea, aut per porticus deãbulo, aut de ſenore cõputo, aut abductus turpi cogitatione,ea quæ dictu erubeſcenda ſunt gero.Vbi eſt fides? Siccine putamus oraſſe Ionam? ſic tres pueros? ſic Danielem inter Leones? ſic certè Latronem in cruce? Quid autem aliud cogitare debet frater intrãs ad orationem*,ait Sanct. Bernar-

Duplex modus attentionis.
Dial. aduerſus Lucif.c.6
Ion.4.20.
Dan.3. & 14
Matt.27.25.
Ser.de 4. modu orandi in fine.

Psal. 41.5. Bernardus, *quam propheticum illud, ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vsq; ad domum DEI. Omnes siquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare cœlestem, in qua Rex Regum stellato sedet solio, circumdante innumerabili & ineffabili beatorum spirituum exercitu.* Dan. 7.10. *Vndè & ipse qui viderat quia maiorem numerum non inuenit, Millia, ait millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Quanta ergo cum reuerentia? quanto timore? quanta illuc humilitate accedere debet à palude sua procedens, & repens vilis ranuncula? Quam tremebundus, quam supplex, quam denique humilis & sollicitus? & toto intentus animo Maiestati gloriæ, in præsentia Angelorum, in concilio iustorum & congregatione adsistere poterit miser homuncio? In cunctis igitur actionibus nostris multá opus est animi vigilantia, sed præcipuè in oratione:* idque ideò potissimum quod humani generis hostis, nusquam atrocius perseuerantiusq; tentando deseuiat, quam dum oramus.

In vitis Patrum part. 2. Agatho Abbas nihil dicebat oratione difficlius; quia enim vtilitatem eius dæmones norunt, toti hoc agunt, vt mentis distractione eam diuertant.

Regu. 21. ex breuio. Psal. 15.8. Interim & hoc verum, quod Basilius monet: *Inanem mentis agitationem ex propria ipsius inertia nasci, quando rebus nihil necessarijs se occupat, nec recogitat, quod scriptum est; Prouidebam Dominum in conspectu meo semper:* si tamen facimus quod possumus, vt distractio fragilitatis sit, non voluntatis; ignoscet Deus. Præscribit autem idem Basilius, tria distractioni remedia. *Primo*: Vt Deum, & Angelos, cogitemus præsentes. *Secundo*: Vt cogitemus quanta attentione heroi alicui, aut viro aliquantæ dignitatis, loquamur. *Tertio*: Vt iugiter Diuinis intendamus. Addit Cassianus; ex Isaaci Abbatis consilio, vt ante orationem nos præparemus, & secularia animo secludamus. *Alter* modus, est attentio *virtualis*; cum propositum habemus attentionis, etsi actum aliquando non habeamus. & qui attentionem hanc habent, ab Isaia non notantur, quia cor rectum habent. atq; sola hæc attentio in his qui ad horas obligantur, sub peccato mortali requiritur: iuxta illud Innocentij decretum: *sub pœna suspensionis districtè præcipimus in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum Deus dederit studiosè celebrent, pariter & deuotè.*

Margin notes: Ibi regu. 306. Remedia contra distractionē. Collat. 9. c. 3. Isai. 29. 30. De Celebra. Missæ c. Dolentes c. 17. Con. Later.

Cui

Cui contraueniunt, *Primo*: qui volentes distrahuntur. *Secundo*: qui animaduertentes se distractos, non resiliunt. *Tertio*: qui aliud agunt, cum quo attentio non simul consistit. vt qui scribunt, vel ad alia attendunt. atque hi omnes peccatum duplicant; tum, ob inobedientiam contra decretum; tum, ob irreuerentiam in Deum, quam nec homini præstaret. qui cum Rege seria tractans, interea cum morione simul nugaretur, putatur Regi iniurius: quanto igitur magis iniuria Dei est, si ore loquentes cum eo, cùm temporalibus simul, & quidem animo, ludimus? Porro posterior hæc obligatio omnes constringat; etsi enim non omnes, ad certam orationis formam, vel tempus, teneantur: posito tamen quod orent, cum reuerentia orare debent. *Quarto*: Perseuerantiam. Neque enim semel petijsse sat est, sed iteratam petitionem vult Deus. *Primo*: vt petendi continuatio, ait Chrysostomus, feruorem augeat. *Secundo*: Quia initio statim apti beneficio non sumus; ait Augustinus. Itaque oratio *nisi perseuerantiam habeat*, teste Gregorio, *efficaciam quoque non habet*. illa enim desiderij nostri, & fidei in Deum, testis est. Hinc ad perseuerantiam nos Christus exemplis ducit, illius scilicet, qui noctu ab amico panem petit; & viduæ. Si à maligno spiritu inquietemur, perseuerantem orationem vult Deus, teste Athanasio; *quæ enim ingrata hominibus esse solet importunitas, iudici veritatis placet: quia pius ac misericors Deus à se vult veniam precibus exigi, qui quantum meremur non vult irasci*, ait Gregorius, imo monet Christus, vt *sine intermissione* oremus. & Sapiens, *vt non impediamur orare semper*: quod tunc fieri, docet Basilius: cùm ad spiritualia semper anhelamus; sicut ad temporalia seculares. Cassianus autem id de frequentibus ad Deum eiaculationibus explicat, quæ Ægypti Anachoretis in vsu erant. Venerunt aliquando ad Abbatem Lucium duo Monachi Euchitæ, qui cum se *semper* orare dicerent; rogabat ille, an etiam somnum, & cibum caperent? illisq; id affirmantibus, rogabat, rursum, quomodo tunc orarent? at illi obmutuerunt. tunc Abbas, *ego*, ait, *Christi verba aliter interpretor, statis n. horis oro, dein manibus laborãs ad Deũ nonnunquam excurro, & quicquid cibi superest in pauperes distribuo, vt illi orent pro me, cum ego dormio.* Hoc qui facit, continuo orat, & quod

Qui non legant horas attentione debita.

Hom. 30.

Cur Deus identidem nos precari velit.

Serm. 3. de verbis Dom.

Libr. 3. Mora. c. 27.

Luc. 11. 5.

Luc. 18. 5.

q. 66. & 67. ad Antioch.

11. Epi. ca. 2.

Luc. 18. & 21

Eccl. 18. 22.

Orat. 5.

In vitis PP. part. 2.

& quod vult impetrat. Sunt nonnulli qui prolixas orationes damnāt, quia vetuit Christus nos in oratione multum loqui:
Matt. 6. 7. sed recte Augustinus docet, nō prohiberi illic orationes diu-
Epi 121. c. 10. *Luc. 21. 37.* turnas, cùm & Christus in eis pernoctarit; sed verborum am-
Matth. 6. 7. bitu phaleratas, ideo enim subiecit Dominus: *sicut Ethnici faciunt.* Multum precari licet, hoc enim aliud non est, quā Deo desideria animi exponere continuo, apud *quem non tam verba*
22. Mor. c. 18 *valent*, teste Gregorio, *quam desideria.* Vnde SS. plurimi continuata oratione ita delectati sunt, vt alij noctes, alij dies 14. imo cum Moyse 40. ei impenderint.

Patrem. Tertium est, *Patrem*: non addidit *meum*, sed absolute, vt ad eum tanquam Patrem nos confugeremus, sicuti & orationis Dominicæ initium est: *Pater* noster. Exprimit autem hæc vox, *Primo*: Vt Deum amemus, tanquam filij per gratiam. hoc enim ad orationem requiri, Scriptura frequentissimè insinuat:
Psalm. 33. 16. *Oculos Domini*, Dauid dicit, *esse super iustos, & aures eius ad preces eo-*
Ioan. 15. 7. *rum.* & Christus; *si manseritis*, ait, *in me quodcunque volueritis pete-*
1. Ioan. 3. 21. *tis & fiet vobis.* Similiter B. Ioannes: *si non reprehenderit nos cor nostrum fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.*

Isa. 1. 15. Peccatoribus vero per Prophetam dicitur, *si multiplicaueritis orationem non exaudiam. manus enim vestræ sanguine plenæ sunt* &,
Mala. 2. 2. *Ioan. 9. 31.* *Maledicam benedictionibus vestris.* Cœcus quoque, *Scimus*, ait, *quia peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius*
Peccatores aliquando exaudiuntur. *facit hunc exaudit.* Ne tamen peccatores ab oratione propterea auertantur, sciant etiam se sæpius exaudiri: aliquando per Dei misericordiam, aliquando ad sui vindictam. *Prior* modus fit, *Primo*: Ad confirmationem fidei. sic in die iudicij, multos di-
Mat. 7. 22. cturos testatur Christus: *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Quibus tamen respondebit: *Nescio vos.* Neque
Act. 3. 16. enim vita, sed fides miracula operatur: vt insinuat B. Petrus. vnde hæreticis in probationem hæresis miracula à Deo negantur: sicut & malis in approbationem suæ prauitatis: nescit enim Deus verax, & bonus, mendacia probare, vel peccata. Possunt quidem miracula à malo, imo & ab hæretico fieri,

fieri,(vt eis contingit qui sturmas (Gallice Pescrouelle) curant.)non tamen vt eis se iustos probent; sed vt ex his ostendat Deus,etiam Sacramenta effectus suos, per ministros malos,imo & hæreticos,habere posse. *Secundo*: Cùm conuertuntur à peccatis. vt in Niniuitis, & Magdalena patet.atque hi licet exaudiantur semper, quoad culpæ remissam; promisit enim Deus; *Si reuertimini & quiescatis salui eritis*. Non tamen, quo ad condonationem pœnæ.ideoq; Scriptura de hac,quasi sub dubio, loquitur: vt cum Nabuchodonosori dixit Daniel.*Peccata tua eleemosynis redime,&cæt. Forsitan ignoscet Deus delictis tuis*.& Israelitis Ioel: *Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus*? eadem formula Rex Niniuitarum vtitur, & B. Petrus.*Tertio*: Vt ex consideratione Diuinæ benignitatis, quæ etiam inimicos exaudit,resipiscant. sic exauditi multi, qui sanitatem,ingenium,&c.postularunt, qui tamen si deinceps se in malum obdurent, repelluntur. Salomon execrabilem dicit orationem,*eius qui aures suas à diuinæ legis præcepto auerterit*. fit quoque vt exaudiantur in sui ipsorum pœnam; vt Israelitis contigit, carnem impetrantibus. ideoque recte B.Augustinus. *Si hoc à Deo petitur,vnde exauditus lædatur, magis metuendum est ne quod posset non dare propitius, det iratus*. Vis exaudiri misericorditer, vide Dei filius sis, *delectare in Domeno, & dabit tibi petitiones cordis tui*. *Secundo* significatur humilitas. *Filius enim honorat patrem*. & vt Sapiens: *Oratio humiliantis se nubes penetrat*. Deus, enim, *superbis resistit, & humilibus dat gratiam: respiciens ad pauperculum & contritum spiritu*. Est autem humilitas,duplex.*vna*, Interior.qua propriam cogitamus vilitatem dicentes cum Abraham: *Loquar ad Dominum meum cum sim puluis,& cinis*.Mendici, vt prouocent misericordiam,toto habitu,& incessu, miseriam profitentur.neque enim subsidium meretur, qui periculum nescit.*Altera*: Exterior.quam Salomon præstitit,orans flexo vtroq; genu:& Christus ipse,dũ procidit in faciem.nam *vsq; ad terram*,ait Gregor. *humiliare nos debemus,ne mente iaceamus in terra*. Qui alterũ genu flectunt, vel puluinar substernũt,ne vestẽ maculent,reos se nõ cogitant, & nesciunt impendentia pericula: quæ si viderent,citra dubium cum reis in vtrumque genu prouoluti humillime veniam deprecarentur.

Ion.3. Luc.7. Isai.30.15. Dan.4.24. Ioel 2.14. Ion.3.9. Act.8.22. Prou.28.9. Tract.73.in Ioa.in prin. Psal.36.4. Mala.1.6. Eccl.35.21. Iaco.4.6. Isai.66.2. Gen.18.27. 3.Reg.8.54. Matt.27.39. Lib.9.epist.58.in prin.

Quartum

In nomine meo.
Hom. 27. in Euang. Paulo vltra medi.
Tract. 102. in Ioan. in prin.

Quartum est, *In nomine meo. Iesus*, Saluator est. qui ergo salutem, & salutis media petit, ait Gregorius, *in nomine Iesu* petit. Addit Augustinus, *in nomine Christi petere*, qui rectam de Christo fidem habent. *Tertio in nomine Christi petit*, qui vt Christi legatus petit. sustinent enim legati, personas eorum à quibus missi sunt. sic in Sacramentorum administratione, aut consecratione, personam Christi Sacerdos sustinet. optandaque esset precibus nostris tanta dignitas, vt eas Christus haberet pro suis. sed ô! *Tandem* In *Christi nomine petit*, qui per Christum petit. sunt enim in omni oratione quatuor consideranda. *Primo*: quis oret, scilicet, nos. *Secundo*: quem oret; scilicet, Deum. *Tertio*: quid oret. *Quarto*: propter, vel per quid oret. est autem hoc triplex rursus. *Primo*: virtus eius, qui oratur. sic oramus per clementiam, benignitatem, liberalitatem alicuius. qua forma sæpe vtitur Moyses. *Secundo*: Amor amici ei quem oramus. sic Israelitæ frequentius, & Daniel, orarunt *per Abraham electum Dei, & Israel seruum eius*. *Tertio*: Merita alicuius. vt si filius Archistrategi à Rege aliquid per patris labores, & fidem petat. Porro tria hæc in Christi nomine includi possunt, in ipso enim omnia reperiuntur. *Primo*: Patrem oramus per omnipotentiam suam, & sapientiam, ac bonitatem, qua creat, gubernatque omnia, & eis prouidet. *Secundo*: Per ineffabilem amorem erga Christum, omni alio amore multùm excellentiorem. *Tertio*: Per passionem Christi, & merita. qui modus Christo peculiaris est, quia etsi per alios quoque Sanctos nonnunquam oremus, non tamen quasi per illos iustificati simus, pretiumq; reconciliationis acceperimus; sed per solũ Christum, *habemus redemptionem ac remissionẽ peccatorum*: ideoq; & sancti ipsi, per Christum orant: qui solus pretium habet, & immediatus ad Patrem Mediator est. atq; hinc non solum concipimus, sed & roboramus spem nostram; *cum fiducia adeuntes thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur*. Est autem fiducia hæc, aliquid à fide, & spe (quæ omnibus ad salutem necessaria sunt) distinctum: nẽpe, spes roborata, de impetrãdo eo ꝙ quis petit, crescitq; pro varia petẽtis dispositione. Ac *Primo*: oẽs credere debẽt Deũ peccata omnia posse per Christi merita abolere; imo & velle, quãtum in se est. *Secundo*:

In oratione sunt quatuor.

Exod. 32. 11.
Num. 14. 13.
Exod. 32. 13.
Deut. 9. 27.
Dan. 3. 35.

Coloss. 1. 14.

Heb. 4. 16.

qui

qui post confessionem sentit animi quietem, fiduciam remissionis, ait Cassianus, potest concipere, imo B. Ioannes: *si cor nostrum*, ait, *non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*. Pœnitentiæ autem exercitia hanc fiduciam augẽt: vti ex Petro Cluniacensi supra probatum. *Tertio*: sunt quidam eximiæ sanctitatis, qui singularem faciendorum miraculorum fiduciam habent; de quibus Christus: *Quicunque*, ait, *dixerit huic monti tollere & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quodcũq; dixerit, fiat, fiet ei*. Neq; donũ hoc omnib. cõmune est. Collat. 9. c. 32. 1 Ioan. 3. 21. Domin. 4. Quadra § 5. Matth. 11. 23.

Dabit. Insinuat, *Primo*: Bonitatem Dei. *qui*, vt Bernardus, ait, *priusquam egressa sit ab ore nostro oratio eam scribi iubet in libro suo*. *Desiderium* enim *pauperum exaudiuit Dominus et præparationẽ cordis eorum*. *Secundo*: Modum, quem Deus seruat in exaudiẽdo. quia non semper dat quod ore, sed quod corde petimus: vt recte Augustinus. Sic cũ matri exauditionem promisisset Salomõ, illaq; Adoniæ peteret Abisag vxorem; Salomon quia sciebat matrẽ nolle regno excidere, vt hoc eius desiderium adimpleret, alterũ reiecit, & Adoniã occidit. sic & nos temporalia sępè à Deo petimus, quia tamen nollemus per ea à Deo auerti, ne id fiat; sic petita non impetramus. *Tertio*: Petitionum frustrationem non ex Deo, sed ex nobis esse: vt monet Oecumenius alquando gratiam à Deo, vel virtutes petimus; sed media necessaria non adhibemus. Obseruat autem Basil. quinque de caussis nos non exaudiri. *Primo*: Vt petitionis feruor crescat: sicuti creuit in vidua. *Secundo*: Vt vitam corrigamus: sicuti insinuat Isaias. *Tertio*: Quia indigni sumus: sicuti nec Dauid ob effusum sanguinem templum ædificare potuit, nec Moyses ingredi terram promissam. *Quinto*: Quia oportunitates negligimus. sicuti Israelitæ, quia murmurarunt contra terrã promissam, cum iam ei essent vicini, reuocati sunt, nec eo introierunt. Tempus, & modum, habent omnia; qui iuuenis nõ domat passiones, adultus vix superabit. De Esau testatur Apostolus, quod pœnitentiæ locum *non inuenerit*, *etiamsi cum lacrymis inquisisset eam*. Socordes Deus deserit: alij enim sunt, qui cũ maximo feruore vocantẽ sequentur. Cum sponsa pulsanti nõ aperuisset, recessit sponsus; nec à quærẽte inuentus postea, nisi post quęsitionem longam, & verbera, ac vestium spoliationẽ. Dabit. Serm. 5. in Quadrag. Psal. 9. 17. Tra. 73. in Io. 3. Reg. 2. 20. Reg. 261. ex Concis. dispu. Luc. 18. 2. etc. Isai. 1. 7. 2. Reg. 7. 5. Num. 20. 27. Num 14. 30. Heb. 12. 17. Cant. 5. 6.

Multæ

tur quo magis plebs vniuersa conueniat, quo triduo omnes abstineant, & etiam Quadragesimalibus cibis vtantur.

Postea ann. 800. per vniuersum orbem Leo III. eas seruari voluit. vnde Concilium 12. vel vt alij 13. ann. post celebratum, Cap. 33. *Placuit nobis, vt Litania maior obseruanda sit à cunctis Christianis diebus tribus* (ante Ascensionem Domini) *sicut legendo reperimus. & sicut SS. Patres nostri instituerunt, non equitando, nec pretiosos vestibus induti, sed discalceati, cinere, & cilicio induti, nisi infirmitas impedierit.* Ex quibus, exsibilato Nouatorum sibilo, liquet harum processionum pietas, & antiquitas.

II. *Amen, Amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Magna promissio, & nemini olim concessa, nisi Salomoni: tũ quod Dauidis esset filius, tum quod tam magnificũ sacrificium Deo obtulisset. ille tamen vnam solum rem petijt, Christ⁹ vero omnia spõdet. quia morte sua omnia meruit. Assuerum legimus semimortuæ Esther dixisse; *Quid vis Esther Regina, quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam partem regni petieris dabitur tibi.* Figura quidem hæc liberalitatis Christi, sed non plena: neq; enim Christus regni spondet dimidium, vt ille, sed integrũ. nam quod hic ait: *si quid*, idem est, cum illo: *Omnia quæcũq; orantes petitis, credite quia accipietis, & fient vobis.* Nihil hic circumscriptum; sed quo petitio maior, eo gratior. Reges nos Christus, & super bona sua constituit; imo seipsum dat, nosq; quasi Deos facit. Vide ergo quid petas, inimicorum suorum pœnam petijt Esther; hoc tu spiritualiter pete, vt animi passiones, & voluptates, pro te expugnet. hinc enim triumphi spiritualis initiũ est. Audet similia diabolus promittere; vt in Christo vidimus, sed nihil dabit, nisi quo lędaris. spopondit Herodiadi Herodes omnia quæ vellet, sed nihil nisi caput B. Ioan. dedit: id est, grauissimi peccati materiam. Christũ audi, qui & vult nobis bona, & potest: nõ diabolum, qui nec vult, nec potest. Promisit ille non tantum gemina affirmatione dicens: *Amen, Amen:* sed addit: *dico vobis*, id est, ego qui veritas ipsa sum spondeo. hoc enim est quod Apostolus ait: *vt fortissimũ habeamus solatium, quia quæ promisit potens est & facere.* Neque est quod diffidamus illi, nam etsi sint, qui se querantur petere multa, impetrare nulla: illi tamen nos non turbent, quia his Christus

non

Marginal notes: 3. Reg. 3. 5. — Esth. 5. 3. & cap. 15. — Mar. 11. 24. — Matth. 5. 17. — Mat. 14. 47. — Matth. 4. 9. — Heb. 6. 18.

non promisit. Discipulis loquitur; id est, Magistro credentibus, qui ergo non credit, sed dubitat: huic Christus nihil promittit. Discipuli est se culpare, quasi vel non intellexerit verba Magistri, vel iussa eius non præstiterit. Dei promissa immota sunt, vitium in nobis est; qui verba Christi non scrutamur satis, nec facienda pręstatamus. Vt ergo intelligamus, ea accuratius, discutiamus singula. *Primum*, est *Quid*. Quo significatur *Primo:* peccata, quæ nihil sunt, à Deo peti non debere. *Omnia per ipsum facta*; sed, *nihil:* id est, peccatum; ait Augustinus, *sine ipso factum est*. Qui à Deo petit illicitam hostium vindictam, voluptatem, gloriam, bene exauditur; ait Chrysostomus si non exauditur. & B. Iacobus; *Petitis*, ait, *& non accipitis eo quod male petatis*, nempe, *vt in concupiscentijs vestris insumatis*. Petebant à Moyse carnem filij Israel, & exaudiuit eos Deus: sed quanta cum populi strage! *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Vocatusque est locus in rei memoriam, *sepulcra concupiscentiæ*: quia sepulti illic, qui male concupiuerant. *Secundo*: significatur petēdum aliquid Deo dignum, & magnum. Regi iniurius putatur, qui ab eo haustum aquæ petit, vel frustum panis. Temporalia omnia Deo vilia sunt, quæ etiam canibus communicat; infidelibus dico, Turcis, hęreticis. indigna sunt quæ sola, & propter se petantur: imo petitio talis, ait Ambrosius, peccatum est, possunt tamen peti, vt propriæ, vel alienæ virtutis instrumenta. *Rex noster*, ait Basilius, *munificentißimus est & augustißimus, & indignè fert quandocunq; quis exiguum aliquid à se petit, quandocunq; quis nostrū de rebus ipsum minime ipsi conuenientibus rogat.* Cum enim ait: *Quærite primū regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis* profecto iudicat, inquit Gregorius, *aliud esse quod principalius datur, aliud quod superadditur: quia enim nobis in intentione æternitas, in vsu verò temporalitas esse debet, & illud datur, & hoc ex abundanti superadditur.*

Explicatio singulorū verborum.

Quid?

Tract. 1. in Ioann.

Hom. 30. in Genes.

Iaco. 4. 3.

Num. 11. 33.

Serm 22. in Psal. 118. 1.

Ca. 2. constit. Monast. circa medium.

Matt. 6. 33.

15. Mor. c. 12.

Et rectè monet Cassianus, orationi Dominicę nihil de honore, opibus, & cęt. insertum: quia creator æternitatis, nō vult nos petere caduca, quæ non erunt in æternum. A Deo ergo *quid* petere, est eius iustitiam, & regnum petere: de quo Ioannes: *Hæc est*, ait Ioannes, *fiducia quam habemus ad Deum quia quodcunq; petierimus secundum voluntatem eius audit nos. voluntas* autem

Colla. 9. c. 24.

1. Ioan. 5. 14.

1.Thess. 4. 3. *Dei est,* vt Apostolus docet, *sanctificatio nostra.* Cum ergo hæc petis quę saluti seruiunt, vel necessitati, *quid* petis: nempe, peccati remissam, gratiam, virtutes, perseuerantiam: atq; huc diriges eruditionem, ingenij vigorem, sanitatem, aliaq; corporis bona: quę tamē quia multis initiū fuēre lapsus, (nā Salomonē sapientia, Philosophos doctrina, Samsonē robur, Absalonem species, criniūmq; Cæsaries perdidit) sub conditione peti debēt: si forte saluti expediāt. Carnis stimulū à se auferri B. Paul. 2.Cor.12. 9. ter rogauit, sed responsum ei à Domino: *Sufficit tibi gratia mea: virtus in infirmitate perficitur.* i. quanto infirmiori vtor instrumēto, tanto gratia mea celebrior. vt discamus, tētationes aliquādo prodesse, quia manifestāt honorē Dei. imo, & hęreses prodesse, Apostol. insinuat: 1.Cor.11,19. *vt qui probati sunt manifesti fiant.* sicut Paleas frumento disiungit ventus. interim quia hæresis peccatū est, adeóq; inter ea quæ absolute sunt mala, rogādus est Deus, vt eā tollat, & ex cōuersione hæreticorū, nomē suū glorificet. Tract.73.in Ioann. Inter ea quę absolutè peti possunt, etiā hoc ponit Augustin. vt petamus, ne Deus nos exaudiat, si per ignorantiam aliquid forte petimus saluti noxium: in omni enim oratione scopus alius esse non debet, nisi honor Dei, & salus nostra.

Petieritis. Secundum est: *Petieritis.* Quo docemur, *Primo*: Quid sit oratio. Ho.30.in Ge. Hom.5.in Martyr. Iulittam. Chrysostom. eam vocat, *colloquium cum Deo.* Basilius, *petitionem rei bonæ:* quæ duo si coniungas; erit Oratio, *colloquium cum Deo ad petendum aliquid boni ab eo.* Orationis definitio. ita vt duæ sint orationis partes; colloquium scilicet, cum Deo, quod mentis eleuationem includit; & postulatio alicuius boni ab eo, qui fons omnis boni. Luc.18 11. 1.Timo 2.1. Phil.4.6. quo sic & nostram miseriā, & illius profiteamur misericordiam. Pharisæus, quia nihil petijt, reiectus est. Apostol. in oratione requirit obsecrationem, orationē, postulationem, gratiarum actionem. Iacob.1.6. *Secundo*, Fiduciā: quam requirit S. Iacobus. nemo aliquid ab impotēte petit. Fiducia in quo sita? Includit aūt fiducia hęc non fidem certā de futura rei impetratione; sed *Primo*, fidē de omnipotentia Dei. *Secundo*: quod Deus & miserias, & petitiones nostras videat. *Tertio*: quod non minus nobis, quā nos ipsi bene velit. *Quarto*: quod exaudiet, si expediat: datur⁹ alioquin aliud, quod expedit. Sic illi qui paralyticū funibus dimiserunt Matt.9.2. per tectum, fide sua ægro sanitatē impetrarunt: vti & leprosus sibi,

sibi, cum diceret: *Domine si vis, potes*: ac duo cœci, qui rogante Domino: *Crrditis, quia hoc possum facere vobis*? respondebāt: *Vtiq; Domine*. Apostolus autē pro stimulo carnis auferendo rogans, exauditus non est; quia gratiam ei sufficientem, & vtiliorem, Dominus dedit. *Tertio*, Deuotionē: vt non solo ore, sed & corde oremus: contrariū enim in Pharisæis Christus repræhēdit, ex Isaia: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me*. Matt.9.28. 2.Cor.12.9. Matt.15.8. Isa.29.13.

Duplex est oratio. vna Mentalis, qua in meditationibus vtimur, & qua Moyses etiam tacēs *clamare* dicebatur: hæc enim, quia & in se attenta est, & attentionem fouet, efficacissima est. vnde: *Concaluit*, ait ille, *cor meum intra me*, *& in meditatione mea exardescit ignis*. q. d. ardenter oro, & dum meditor, magis ardeo. *Altera*, est mentalis, & vocalis simul; dū corde attenti ore loquimur. Vbi nota: quatuor esse attentionum species. *Prima*: ad verba attendit. *Secunda*: ad verborum sensum. *Tertia*: ad id quod petit. *Quarta*: ad Deum, vel aliud bonū. atq; omnes quidem sufficiūt impetrationi; prima tamen imperfecta est, magis enim Deus animum audit, quam oris sonum: neq; orationem incongruam minus intelligit, quam congruam. Gregor. veram orationem dicit *non esse vocis sonum, sed cordis sensum. nam in arcanis Dei auribus, non tam verba, quam desideria, locum habent*. & alibi. *Veraciter orare est amaros in compunctione gemitus, & non composita verba resonare*. Secunda, necessaria non est. sufficit enim quod Deus orationem intelligat, & ex Ecclesiæ authoritate sciamus eam esse bonā. Multi horas legunt, imo orationem Dominicam, & non intelligunt. *Tertia* porro, & *Quarta*, perfectissimæ sunt. B. Antonius negabat orationem esse plenam, si Monachus verba intelligeret. multo enim vtilius est verba transcendere, & altius assurgere. Oratio duplex. 1. Exod.14.15. Psal.38.3. 2. Attentio quadruplex. 21. Mor. ca. 8. & 33. c. 27. in fine. Cassian. Collat.9.c.31.

Notandum quoq; attentionem dupliciter haberi. *Primo*: Actualiter; vt cogitationes habeamus ab omni alia re auocatas. sed quam hoc sit difficile, exemplo suo B. Hierony. docet. *Ego enim*, inquit ipse de se, *creberrimè in oratione mea, aut per porticus deābulo, aut de fenore cōputo, aut abductus turpi cogitatione, ea quæ dictu erubescenda sunt gero. Vbi est fides? Siccine putamus orasse Ionam? sic tres pueros? sic Danielem inter Leones? sic certè Latronem in cruce? Quid autem aliud cogitare debet frater intrās ad orationem*, ait Sanct. Duplex modus attentionis. Dial. aduersus Lucif. c.6 Ion.4.20. Dan.3. & 14 Matt.27.25. Ser. de 4. modis orandi in fine.

Psal 41.5. Bernardus, *quam propheticum illud, ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vsq; ad domum Dei. Omnes siquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare cœlestem, in qua Rex Regum stellato sedet solio, circumdante innumerabili & ineffabili beatorum spirituum exercitu.* Dan.7.10. *Vndè & ipse qui viderat quia maiorem numerum non inuenit, Millia, ait milliũ ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Quanta ergo cum reuerentia? quanto timore? quanta illuc humilitate accedere debet à palude sua procedens, & repens vilis ranuncula? Quam tremebundus, quam supplex, quam denique humilis & sollicitus? & toto intentus animo Maiestati gloriæ, in præsentia Angelorum, in concilio iustorum & congregatione adsistere poterit miser homuncio? In cunctis igitur actionibus nostris multá opus est animi vigilantia, sed præcipuè in oratione*: idque ideò potissimum quod humani generis hostis, nusquam atrocius perseuerantiusq; tentando deséuiat, quam dum oramus.

In vitis Patrum part. 2. Agatho Abbas nihil dicebat oratione difficlius; quia enim vtilitatem eius dæmones norunt, toti hoc agunt, vt mentis distractione eam diuertant.

Regu. 21. ex breuio. Psal. 15.8. Interim & hoc verum, quod Basilius monet: *Inanem mentis agitationem ex propria ipsius inertia nasci, quando rebus nihil necessarijs se occupat, nec recogitat, quod scriptum est; Prouidebam Dominum in conspectu meo semper:* si tamen facimus quod possumus, vt distractio fragilitatis sit, non voluntatis; ignoscet Deus. Præscribit autem idem Basilius, tria distractioni remedia. Ibi regu. 306 Remedia contra distractionẽ. *Primo*: Vt Deum, & Angelos, cogitémus præsentes. *Secundo*: Vt cogitemus quanta attentione heroi alicui, aut viro aliquantæ dignitatis, loquamur. *Tertio*: Vt iugiter Diuinis intendamus. Addit Cassianus; ex Isaaci Abbatis consilio, vt ante orationem nos præparemus, & secularia animo secludamus. Collat. 9. c. 3. *Alter* modus, est attentio *virtualis*; cum propositum habemus attentionis, etsi actum aliquando non habeamus. & qui attentionem hanc habent, ab Isaia non notantur, quia cor rectum habent. Isai. 29. 30. atq; sola hæc attentio in his qui ad horas obligantur, sub peccato mortali requiritur: iuxta illud Innocentij decretum: De Celebra. Missæ c. Dolentes c. 17. Con. Later. *sub pœna suspensionis districtè præcipimus in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum Deus dederit studiosè celebrent, pariter & deuotè.*

Cui

Cui contraueniunt, *Primo*: qui volentes distrahuntur. *Secundo*: qui animaduertentes se distractos, non resiliunt. *Tertio*: qui aliud agunt, cum quo attentio non simul consistit. vt qui scribunt, vel ad alia attendunt. atque hi omnes peccatum duplicant; tum, ob inobedientiam contra decretum; tum, ob irreuerentiam in Deum, quam nec homini præstaret. qui cum Rege seria tractans, interea cum morione simul nugaretur, putatur Regi iniurius: quanto igitur magis iniuria Dei est, si ore loquentes cum eo, cùm temporalibus simul, & quidem animo, ludimus? Porro posterior hæc obligatio omnes constringat; etsi enim non omnes, ad certam orationis formam, vel tempus, teneantur: posito tamen quod orent, cum reuerentia orare debent. *Quarto*: Perseuerantiam. Neque enim semel petijsse sat est, sed iteratam petitionem vult Deus. *Primo*: vt petendi continuatio, ait Chrysostomus, feruorem augeat. *Secundo*: Quia initio statim apti beneficio non sumus; ait Augustinus. Itaque oratio *nisi perseuerantiam habeat*, teste Gregorio, *efficaciam quoque non habet*. illa enim desiderij nostri, & fidei in Deum, testis est. Hinc ad perseuerantiam nos Christus exemplis ducit, illius scilicet, qui noctu ab amico panem petit; & viduæ. Si à maligno spiritu inquietemur, perseuerantem orationem vult Deus, teste Athanasio; *quæ* enim *ingrata hominibus esse solet importunitas, iudici veritatis placet: quia pius ac misericors Deus à se vult veniam precibus exigi, qui quantum meremur non vult irasci*, ait Gregorius, imo monet Christus, vt *sine intermissione* oremus. & Sapiens, *vt non impediamur orare semper*: quod tunc fieri, docet Basilius: cùm ad spiritualia semper anhelamus; sicut ad temporalia seculares. Cassianus autem id de frequentibus ad Deum eiaculationibus explicat, quæ Ægypti Anachoretis in vsu erant. Venerunt aliquando ad Abbatem Lucium duo Monachi Euchitæ, qui cum se *semper* orare dicerent; rogabat ille, an etiam somnum, & cibum caperent? illisq́; id affirmantibus, rogabat, rursum, quomodo tunc orarent? at illi obmutuerunt. tunc Abbas, *ego*, ait, *Christi verba aliter interpretor, statis n. horis oro, dein manibus laborãs ad Deũ nonnunquam excurro, & quicquid cibi superest in pauperes distribuo, vt illi orent pro me, cum ego dormio.* Hoc qui facit, continuo orat, & quod

Qui non legant horas attentione debita.

Hom. 30.

Cur Deus identidem nos precari velit.

Serm. 3. de verbis Dom.

Libr. 3. Mora. c. 27.

Luc. 11. 5.

Luc. 18. 5.

q. 66. & 67. ad Antioch.

11. Epi. ca. 2.

Luc. 18. & 21

Eccl. 18. 22.

Orat. 5.

In vitis PP. part. 2.

& quod vult impetrat. Sunt nonnulli qui prolixas orationes damnãt, quia vetuit Christus nos in oratione multum loqui:
Matt.6.7. sed recte Augustinus docet, nõ prohiberi illic orationes diu-
Epi 121.c.10. Luc.21.37. turnas, cùm & Christus in eis pernoctarit; sed verborum am-
Matth.6.7. bitu phaleratas, ideo enim subiecit Dominus: *sicut Ethnici faciunt.* Multum precari licet, hoc enim aliud non est, quã Deo desideria animi exponere continuo, apud *quem non tam verba*
22.Mor. c.18 *valent*, teste Gregorio, *quam desideria.* Vnde SS. plurimi continuata oratione ita delectati sunt, vt alij noctes, alij dies 14. imo cum Moyse 40. ei impenderint.

Patrem. Tertium est, *Patrem*: non addidit *meum*, sed absolute, vt ad eum tanquam Patrem nos confugeremus, sicuti & orationis Dominicæ initium est: *Pater* noster. Exprimit autem hæc vox, *Primo*: Vt Deum amemus, tanquam filij per gratiam. hoc enim ad orationem requiri, Scriptura frequentissimè insinuat:
Psalm.33.16. *Oculos Domini*, Dauid dicit, *esse super iustos, & aures eius ad preces eo-*
Ioan.15.7. *rum.* & Christus; *si manseritis*, ait, *in me quodcunque volueritis pete-*
1.Ioan.3.21. *tis & fiet vobis.* Similiter B. Ioannes: *si non reprehenderit nos cor nostrum fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.*

Isa.1.15. Peccatoribus vero per Prophetam dicitur, *si multiplicaueritis orationem non exaudiam. manus enim vestræ sanguine plenæ sunt* &,
Mala.2.2. *Maledicam benedictionibus vestris.* Cœcus quoque, *Scimus*, ait, *quia*
Ioan.9.31. *peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius*
Peccatores aliquando exaudiuntur. *facit hunc exaudit.* Ne tamen peccatores ab oratione propterea auertantur, sciant etiam se sæpius exaudiri: aliquando per Dei misericordiam, aliquando ad sui vindictam. *Prior* modus fit, *Primo*: Ad confirmationem fidei. sic in die iudicij, multos di-
Mat.7.22. cturos testatur Christus: *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Quibus tamen respondebit: *Nescio vos.* Neque
Act.3.16. enim vita, sed fides miracula operatur: vt insinuat B. Petrus. vnde hæreticis in probationem hæresis miracula à Deo negantur: sicut & malis in approbationem suæ prauitatis: nescit enim Deus verax, & bonus, mendacia probare, vel peccata. Possunt quidem miracula à malo, imo & ab hæretico fieri,

fieri,(vt eis contingit qui sturmas (Gallicè Pescrouelle) curant.)non tamen vt eis se iustos probent; sed vt ex his ostendat Deus,etiam Sacramenta effectus suos, per ministros malos,imo & hæreticos,habere posse. *Secundo*: Cùm conuertuntur à peccatis. vt in Niniuitis, & Magdalena patet.atque hi licet exaudiantur semper, quoad culpæ remissam; promisit enim Deus; *Si reuertimini & quiescatis salui eritis.* Non tamen, quo ad condonationem pœnæ.ideoq; Scriptura de hac,quasi sub dubio, loquitur: vt cum Nabuchodonosori dixit Daniel.*Peccata tua eleemosynis redime,&cat. Forsitan ignoscet Deus delictis tuis.*& Israelitis Ioel: *Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus?* eadem formula Rex Niniuitarum vtitur, & B. Petrus.*Tertio*: Vt ex consideratione Diuinæ benignitatis, quæ etiam inimicos exaudit,resipiscant. sic exauditi multi, qui sanitatem,ingenium,&c.postularunt, qui tamen si deinceps se in malum obdurent, repelluntur. Salomon execrabilem dicit orationem,*eius qui aures suas à diuinæ legis præcepto auerterit.* fit quoque vt exaudiantur in sui ipsorum pœnam; vt Israelitis contigit, carnem impetrantibus. ideoque recte B.Augustinus. *Si hoc à Deo petitur,vnde exauditus lædatur, magis metuendum est ne quod posset non dare propitius, det iratus.* Vis exaudiri misericorditer, vide Dei filius sis; *delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Secundo* significatur humilitas. *Filius enim honorat patrem.* & vt Sapiens: *Oratio humiliantis se nubes penetrat.* **Deus,** enim, *superbis resistit, & humilibus dat gratiam: respiciens ad pauperculum & contritum spiritu.* Est autem humilitas,duplex.*vna*, Interior.qua propriam cogitamus vilitatem dicentes cum Abraham: *Loquar ad Dominum meum cum sim puluis,& cinis.*Mendici, vt prouocent misericordiam,toto habitu,& incessu, miseriam profitentur.neque enim subsidium meretur, qui periculum nescit.*Altera*: Exterior.quam Salomon præstitit,orans flexo vtroq; genu:& Christus ipse,dũ procidit in faciem.nam vsq; *ad terram*,ait Gregor. *humiliare nos debemus,ne mente iaceamus in terra.* Qui alterũ genu flectunt, vel puluinar substernũt,ne vestẽ maculent,reos se nõ cogitant, & nesciunt impendentia pericula: quæ si viderent,citra dubium cum reis in vtrumque genu prouoluti humillime veniam deprecarentur.

Ion. 3.
Luc. 7.
Isai. 30. 15.
Dan. 4. 24.
Ioel 2. 14.
Ion. 3. 9.
Act. 8. 22.
Prou. 28. 9.
Tract. 73. in Ioa. in prin.
Psal. 36. 4.
Mala. 1. 6.
Eccl. 35. 21.
Iaco. 4. 6.
Isai. 66. 2.
Gen. 18. 27.
3. Reg. 8. 54.
Matt. 27. 39.
Lib. 9. epist. 58. in prin.

Quartum

qui post confessionem sentit animi quietem, fiduciam remissionis, ait Cassianus, potest concipere, imo B. Ioannes: *si cor nostrum*, ait, *non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Pœnitentiæ autem exercitia hanc fiduciam augẽt: vti ex Petro Cluniacensi supra probatum. *Tertio*: sunt quidam eximiæ sanctitatis, qui singularem faciendorum miraculorum fiduciam habent; de quibus Christus: *Quicunque*, ait, *dixerit huic monti tollere & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quodcũq; dixerit, fiat, fiet ei.* Neq; donũ hoc omnib. cõmune est. Collat. 9. c. 32. 1 Ioan. 3. 21. Domin. 4. Quadra. § 5. Matth. 11. 23.

Dabit. Insinuat, *Primo:* Bonitatem Dei. *qui*, vt Bernardus, ait, *priusquam egressa sit ab ore nostro oratio eam scribi iubet in libro suo. Desiderium* enim *pauperum exaudiuit Dominus et præparationẽ cordis eorum. Secundo*: Modum, quem Deus seruat in exaudiẽdo. quia non semper dat quod ore, sed quod corde petimus: vt recte Augustinus. Sic cũ matri exauditionem promisisset Salomõ, illaq; Adoniæ peteret Abisag vxorem; Salomon quia sciebat matrẽ nolle regno excidere, vt hoc eius desiderium adimpleret, alterũ reiecit, & Adoniã occidit. sic & nos temporalia sępè à Deo petimus, quia tamen nollemus per ea à Deo auerti, ne id fiat; sic petita non impetramus. *Tertio:* Petitionum frustrationem non ex Deo, sed ex nobis esse: vt monet Oecumenius alquando gratiam à Deo, vel virtutes petimus; sed media necessaria non adhibemus. Obseruat autem Basil. quinque de caussis nos non exaudiri. *Primo*: Vt petitionis feruor crescat: sicuti creuit in vidua. *Secundo*: Vt vitam corrigamus: sicuti insinuat Isaias. *Tertio*: Quia indigni sumus: sicuti nec Dauid ob effusum sanguinem templum ædificare potuit, nec Moyses ingredi terram promissam. *Quinto:* Quia oportunitates negligimus. sicuti Israelitæ, quia murmurarunt contra terrã promissam, cum iam ei essent vicini, reuocati sunt, nec eo introierunt. Tempus, & modum, habent omnia; qui iuuenis nõ domat passiones, adultus vix superabit. De Esau testatur Apostolus, quod pœnitentiæ locum *non inuenerit*, *etiamsi cum lacrymis inquisisset eam.* Socordes Deus deserit: alij enim sunt, qui cũ maximo feruore vocantẽ sequentur. Cum sponsa pulsanti nõ aperuisset, recessit sponsus; nec à quærẽte inuentus postea, nisi post quęsitionem longam, & verbera, ac vestium spoliationẽ. Dabit. Serm. 5. in Quadrag. Psal. 9. 17. Tra. 73. in Io. 3. Reg. 2. 20. Reg. 261. ex Concis. disput. Luc. 18. 2. etc. Isai. 1. 7. 2. Reg. 7. 5. Num. 20. 17. Num 14. 36. Heb. 12. 17. Cant. 5. 6.

Multæ

Multæ ſunt, eorum qui Dei inſpirationes neglexêre, miſeriç. & caſus; ac rara quies. *Quinto:* Quia ſæpe vtilius eſt, vt non exaudiamur. Idq; *Primo*: Vt glorificetur in nobis Deus. qua de
2. Cor. 12. 27. cauſſa Apoſtolo nō eſt ablatus ſtimulus carnis. *Secundo:* Quia nobis expedit magis. ſic Petronillam febricitantem non ſanauit B. Petrus, quia erat ei morbus ſanitate ſalutarior.

Iaco. 5. 16.
Mereri & impetrare.

Nota. Iuſtos nunquam fruſtra orare: *eorum* enim *deprecatio aßidua*, vt dixit B. Iacobus, *multum valet*. tum ad meritum, tum ad impetrationem. hæc enim duo differunt. quia meritum, huius vitæ eſt, ac ſtatus gratiæ; ideoque nec beatis conuenit, nec peccatoribus. impetrant vero beati, & peccatores, imo & dæmones. Vnde *primo:* Multæ ſunt orationes impetratoriæ, non meritoriæ. *Secundo:* Quædam meritoriæ, non tamē
vbi ſupr. impetratoriæ, talis enim fuit oratio qua B. Paulus rogabat auferri à ſe ſtimulū carnis, nec impetrauit quod petebatur, merebatur tamen, quia omnis actio bona iuſti, meritoria eſt. *Tertio:* Quędam vtrumque habent; vt mereantur ſimul, & impetrēt: vt cum B. Virgo obtinuit productionem vini ex aqua. & generatim cum iuſtus exauditur. *Quarto:* Quædam neutrum habent, vt cum peccatores non exaudiuntur. Eſt tamen obſeruandum; quod ſano ſenſu omnis iuſti oratio impetratoria dici poſſit; quia etſi non impetrat id quod primo petit, impetrat tamen aliud. B. Paulus gratiam, imo victoriam impetrauit,
Thob 3. 24. contra ſtimulum carnis. Thobias, & Sara, gaudium de conciliato poſt matrimonio. ſimiliter ſi non ſtatim à miſerijs te Deus liberet, patientiam dabit, quæ liberatione omni dignior
Act. 12. 6. eſt. ſic Petrus in carcere etiam ſecuritatem ſenſit, & gaudium: ita vt, licet certus de morte parata, quietus inter milites dor-
Act. 16. 25. miret. Paulus, & Silas, virgis cæſi media nocte Deum laudarunt. Animi gaudium, omni alio bono præſtat, quia omnia mala vel tollit, vel indulcat. Porro ſi orationi labor aliquis accedat; vt ſi nocturna ſit, vel continua, exertis brachijs, acri fri-
Satisfacit oratio. gore & cęt. accedit quoque tertius effectus nempe ſatisfactio pro peccatis; ſiue proprijs, ſiue alienis. habet enim hoc ſuſcepta pœna, vt pœnam peccato debitam redimat. Noli ergo in oratione negligens eſſe, neq; ipſa tibi moleſta ſit, quæ tres habet tam nobiles effectus.

Nota

Nota *Secundo*, Quanto amore Christum Pater diligat, & quantum Christus te dilexerit, vt discas, alios Christi nomine petentes non reijcere, ne ingratus sis. Cum B. Franciscus pauperem in nomine Dei petentem semel dimisisset, tanta eum tristitia inuasit, vt recurrens liberalem ei eleemosynam dederit, simulque, nullum se deinceps reiecturum, vouerit. Hoc si imiteris, quid obesset? Dei amor te faciet diuitem, eleemosyna non reddet pauperem. De Alexandro Hales, qui anno 1228. Parisijs maximè floruit, refert B. Antoninus, quod nũquam nomine B. Virginis aliquid petentẽ reiécerit; cũq; id Franciscanus quidam inaudisset, petit hoc nominẽ ab eo, vt Franciscanus fiat: quod & fecit. Atque dein multa passus, à B. Francisco secũdum quietem solatium accepit, ita vt in omni sanctitate vixerit, atque B. Bonauenturæ Magister fuerit. Hoc tam arduum fecit ille, pro amore in B. Virginem: quid ergo nos pro Christo non faciemus? Solent pauperes propter, & per Deum petere, magis tamen mouerent, si peterent per amorẽ Dei hæc enim verba magis mouent: quia Dei in nos futurum amorem quasi promittunt. *S. Bona. in eius c. 1.* *Hist. part. 3. tit. 24. c. 1. § 4.*

VOBIS. Significat, Primo, exaudiri iustos cũ *pro se ipsis orãt*: vt explicat Aug. non pro amicis, vel inimicis, vel quibuslibet alijs: quia *non vtrũq; dictum, dabit, sed dabit vobis.* Quia tamẽ alia Christi promissio: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo hoc faciã:* generalis est, & B. Ioannes: *quodcunque,* ait, *petierimus secundum voluntatem eius audit nos.* Ideo malunt alij, cum B. Basilio, etiã verba præsentia ad omnes extendere, placet enim Deo vt homines mutuo se iuuent, & exaudit eos facilius. Vnde notat Gregorius, Iob recepisse duplicia, postquam pro amicis orasset. Interim fateor non exaudiri nos semper pro alijs, sed non ex defectu promissionis, verum ex indispositione illius, pro quo oramus. Vnde B. Ioannes. *Qui scit fratrem suum peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccãti non ad mortem: iterum, est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis.* *Tract. 102. in Ioan in prin.* *Ioan. 14. 14.* *1. Ioan. 5. 14.* *Reg. 261. ex concis.* *35. Mor. c. 8.* *Iob. 42. 10.* *1. Ioan. 5. 16.*

Vbi discimus, *primo*, etiam eis qui in peccato mortali sunt, impetrari vitam, id est, gratiam ab alijs. Hanc enim Paulo Stephanus[a], Abraham [b] Abimelecho, Iob [c] amicis, Moyses [d] Israelitis obtinuerunt: & de Paulo aperte dicit Augustinus, *a Act. 7. 60.* *b Gen. 20. 17.* *c Iob 42. 10.* *d Exod. 32. 11.* *Ser. 1. de B. Stephan.*

Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet. Sed ideo erectus est Paulus, quia in terra inclinatus exauditus est Stephanus.

Secundo, esse quosdam pro quibus Deus nolit exaudire, qui vero hi sint, incertum: de nullo tamen dum viuit, desperandum, ideoque Augustinus, & Gregorius, per *peccatum ad mortem*, intelligunt id in quo quis hinc discedit: pro tali enim orandum non est. sed quia in Scriptura etiã vetat Deus pro quibusdam orari, vt cum dixit: *Noli orare pro populo hoc, &c.* itẽ, *Si steterint Moyses, & Samuel, vel Noe, Daniel, & Iob, coram me non exaudiam. Secundo*, quia præcipit Sciptura quosdam vitandos: nempe Pharisæos, cæcos, & duces cæcorum. dein, inobediẽtes tanquam ethnicos & Publicanos. demum, hæreticos post vnam, vel alteram correptionem: vt ex Apostolo [a] Tertullianus[b], Cyprianus[c], Augustinus[d], Epiphanius, [e] notant, quia *subuersi sunt, & proprio iudicio condemnati*, certum est, nõ semper nos pro alijs exaudiri. Bernardus tamen, qui ferocissimum Aquitaniæ ducem fregerat, de nullo ait desperandum, sed lachrymis, & pœnitentia, Deum reconciliandum; quia sicut dæmonium quoddam non eijcitur, *nisi in ieiunio, & oratione*, sic & Deus nonnunquam, sine pœnitentiæ exercitijs nõ placatur. Disce hic, *primo*: Pro te ipso cum omni virtute rogare Deum vt det quod expedit. *Secundo*: Non quiescas in solis aliorum precibus. Chananęam imitare, quæ orantibus pro ea Apostolis, suas quoque preces adiunxit & Chrysostomũ audi. *Quando quod ex nobis est simul adferimus, & accedit intercessio Sanctorum plurimum nobis confert. Quod si ipsi negligentes fuerimus, & spem in illis collocamus nostræ salutis, nihil amplius prodest: nõ infirmi sunt iusti, sed quia propter nostram desidiam nosipsos perdimus. Id ergo scientes confugiamus ad Sanctorum preces, & oremus vt pro nobis intercedant, sed non illorum precibus tantum confidamus, sed & ipsi nostra, vti oportet rectè dispensemus, & ad meliora semper conuertamur.*

Fuit aliquando Monachus quidam quem caro mirabiliter vexabat, ille re cuidam seniori exposita, orationes ab eo petijt, quas & accepit, sed frustra, & sine fructu. Miratus autem senior, vidit in visione Monachum illum, & diabolum sub diuersis mulierum formis ei colludentem: Angelum vero Do-

De corrept. & grat. c. 12. 16. Mor. c. 31.
Hier. 7. 16.
Ezech. 14. 20.
Matt. 15. 14.
Matt. 18. 17.
a Tit. 3. 10.
b de præscrip. c. 6.
c lib. 3. ad Quiri. c. 18.
d Hære. 76.
e Epist. 162.
Gradu 12. humil.
Matt. 17. 21.
Matt. 15. 25.
In princ. ho. 44. in Gene.
In vit. PP. p. 2. c. 1. §. 12.

to Domini dehortantem ab his, & monentem eum ad orationes, quas ille negligebat. Postea ad seniorem reuersus, solitum malum deplorat, senior vero: *Quia* ait, *res per te stat, impossibile est, vt aliena preces te iuuent, nisi ipse ieiunijs, vigilijs, & orationi insistas.*

Tertio: Ora pro viuis & defunctis. Quoque viuorum peccata fuerint grauiora, tanto maiorem tui castigationem precibus iunge. De defunctis ait Augustinus, quod viui meruerint, vt à nobis iuuari possint, vidit aliquando B. Nicolaus Tolentinas mortuum, preces, & Missam petentem, ab eoque ductus est in planitiem Pisanæ vrbis, vbi vidit maximam multitudinem, eadem cum lachrymis flagitantem, & cum tota septimana Sacrificium pro eis obtulisset, egissetque pœnitentiam, redijt ille prior, & plurimos eorum nuntiauit iam liberatos. Rident hæc hæretici: sed quid est in eis risu dignum? cum Patres omnes ita docuerint. Tu ergo pro viuis, & defunctis, constanter ora: Deus quos à se adhuc videt alienos, optat propinquos, & petenti concedet. *Cap. 1. de cura pro mortuis.* *Sur. 10. Sept. c. 4.*

III. *Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo.* Non laudantur hic Apostoli à studio orandi. Quia neque in articulo necessitatis orabant, vt patet in horto: neque cum debita vigilantia, vt patet in Thabor. Et curiose aliena quęrebant de excellentia, inter se, de restitutione regni Israel de extremo iudicio, &c. Pręterea nunquam in nomine Christi orauerant. *Luc. 22. 34.* *Luc. 9. 32.* *Matt. 18. 1.* *Act. 1. 7.* *Matt. 24. 3.*

Primo, Quia eius nominis vim ignorabant. *Secundo*: Quia eius vsum nunquam in Synagoga audierant, cui Trinitas & passio Christi obscura adhuc: ideoque eos Paulus *paruulos* vocat. Habebat autem Synagoga quadruplicem orandi formam. *Primo*, Per merita Patriarcharum: vt cum oraret Salomon, *Memento Domine Dauid*, & alij per Abraham, Isaac, Iacob, &cæt. Quomodo etiam hodie nos per Sanctos oramus, tanquam Dei amicos, non redemtores. Hinc B. Leo. Apud *Beatissimum Petrum vigilias celebremus, cuius meritis & orationibus, ita nos per omnia credimus adiuuandos, vt misericordia Dei, & ieiunijs nobis adsit & vobis.* *Gal. 4. 1.* *Formulæ orādi apud Iudæos.* *Psal. 131. 1.* *In fine serm. de ieiun. 7. mens.* [illegible]

Psal 41.5. Bernardus, *quam propheticum illud, ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vsq; ad domum Dei. Omnes siquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare cœlestem, in qua Rex Regum stellato sedet solio, circumdante innumerabili & ineffabili beatorum spirituum exercitu.* Dan.7.10. *Vnde & ipse qui viderat quia maiorem numerum non inuenit, Millia, ait milliũ ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Quanta ergo cum reuerentia? quanto timore? quanta illuc humilitate accedere debet à palude sua procedens, & repens vilis ranuncula? Quam tremebundus, quam supplex, quam denique humilis & sollicitus? & toto intentus animo Maiestati gloriæ, in præsentia Angelorum, in concilio iustorum & congregatione adsistere poterit miser homuncio? In cũctis igitur actionibus nostris multà opus est animi vigilantia, sed præcipuè in oratione:* idque ideò potissimum quod humani generis hostis, nusquam atrocius perseuerantiusq; tentando desęuiat, quam dum oramus.

In vitis Patrum part. 2. Agatho Abbas nihil dicebat oratione difficlius; quia enim vtilitatem eius dæmones norunt, toti hoc agunt, vt mentis distractione eam diuertant.

Regu. 21. ex breuio. Psal. 15.8. Interim & hoc verum, quod Basilius monet: *Inanem mentis agitationem ex propria ipsius inertia nasci, quando rebus nihil necessarijs se occupat, nec recogitat, quod scriptum est; Prouidebam Dominum in conspectu meo semper:* si tamen facimus quod possumus, vt distractio fragilitatis sit, non voluntatis; ignoscet Deus. Præscribit autem idem Basilius, tria distractioni remedia. Ibi regu. 306 Remedia contra distractionẽ. *Primo*: Vt Deum, & Angelos, cogitemus præsentes. *Secundo*: Vt cogitemus quanta attentione heroi alicui, aut viro aliquantæ dignitatis, loquamur. *Tertio*: Vt iugiter Diuinis intendamus. Addit Cassianus; Collat. 9. c. 3. ex Isaaci Abbatis consilio, vt ante orationem nos præparemus, & secularia animo secludamus. *Alter* modus, est attentio *virtualis*; cum propositum habemus attentionis, etsi actum aliquando non habeamus. & qui attentionem hanc habent, Isai. 29. 30. ab Isaia non notantur, quia cor rectum habent. atq; sola hæc attentio in his qui ad horas obligantur, sub peccato mortali requiritur: De Celebra. Missæ c. Dolentes c. 17. Con. Later. iuxta illud Innocentij decretum: *sub pœna suspensionis districtè præcipimus in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum Deus dederit studiosè celebrent, pariter & deuotè.*

Cui

Cui contraueniunt, *Primo*: qui volentes distrahuntur. *Secundo*: qui animaduertentes se distractos, non resiliunt. *Tertio*: qui aliud agunt, cum quo attentio non simul consistit. vt qui scribunt, vel ad alia attendunt. atque hi omnes peccatum duplicant; tum, ob inobedientiam contra decretum; tum, ob irreuerentiam in Deum, quam nec homini præstaret. qui cum Rege seria tractans, interea cum morione simul nugaretur, putatur Regi iniurius: quanto igitur magis iniuria Dei est, si ore loquentes cum eo, cùm temporalibus simul, & quidem animo, ludimus? Porro posterior hæc obligatio omnes constringat; etsi enim non omnes, ad certam orationis formam, vel tempus, teneantur: posito tamen quod orent, cum reuerentia orare debent. *Quarto*: Perseuerantiam. Neque enim semel petijsse sat est, sed iteratam petitionem vult Deus. *Primo*: vt petendi continuatio, ait Chrysostomus, feruorem augeat. *Secundo*: Quia initio statim apti beneficio non sumus; ait Augustinus. Itaque oratio *nisi perseuerantiam habeat*, teste Gregorio, *efficaciam quoque non habet*. illa enim desiderij nostri, & fidei in Deum, testis est. Hinc ad perseuerantiam nos Christus exemplis ducit, illius scilicet, qui noctu ab amico panem petit; & viduæ. Si à maligno spiritu inquietemur, perseuerantem orationem vult Deus, teste Athanasio; *quæ enim ingrata hominibus esse solet importunitas, iudici veritatis placet: quia pius ac misericors Deus à se vult veniam precibus exigi, qui quantum meremur non vult irasci*, ait Gregorius, imo monet Christus, vt *sine intermissione* oremus. & Sapiens, *vt non impediamur orare semper*: quod tunc fieri, docet Basilius: cùm ad spiritualia semper anhelamus; sicut ad temporalia seculares. Cassianus autem id de frequentibus ad Deum eiaculationibus explicat, quæ Ægypti Anachoretis in vsu erant. Venerunt aliquando ad Abbatem Lucium duo Monachi Euchitæ, qui cum se *semper* orare dicerent; rogabat ille, an etiam somnum, & cibum caperent? illisq; id affirmantibus, rogabat, rursum, quomodo tunc orarent? at illi obmutuerunt. tunc Abbas, *ego*, ait, *Christi verba aliter interpretor, statis .n. horis oro, dein manibus laborãs ad Deũ nonnunquam excurro, & quicquid cibi superest in pauperes distribuo, vt illi orent pro me, cum ego dormio*. Hoc qui facit, continuo orat, & quod

Qui non legant horas attentione debita.

Hom. 30.

Cur Deus identidem nos precari velit.

Serm. 3. de verbis Dom.

Libr. 3. Mora. c. 27.

Luc. 11. 5.

Luc. 18. 5.

q. 66. & 67. ad Antioch.

11. Epi. ca. 2.

Luc. 18. & 21

Eccl. 18. 22.

Orat. 5.

In vitis PP. part. 2.

& quod vult impetrat. Sunt nonnulli qui prolixas orationes damnãt, quia vetuit Christus nos in oratione multum loqui: sed recte Augustinus docet, nõ prohiberi illic orationes diuturnas, cùm & Christus in eis pernoctarit; sed verborum ambitu phaleratas, ideo enim subiecit Dominus: *sicut Ethnici faciunt*. Multum precari licet, hoc enim aliud non est, quã Deo desideria animi exponere continuo, apud *quem non tam verba valent*, teste Gregorio, *quam desideria*. Vnde SS. plurimi continuata oratione ita delectati sunt, vt alij noctes, alij dies 14. imo cum Moyse 40. ei impenderint.

Matt. 6. 7. *Epi 121. c. 10.* *Luc. 21. 37.* *Matth. 6. 7.* *22. Mor. c. 18*

Patrem.

Tertium est, *Patrem*: non addidit *meum*, sed absolute, vt ad eum tanquam Patrem nos confugeremus, sicuti & orationis Dominicæ initium est: *Pater* noster. Exprimit autem hæc vox, *Primo*: Vt Deum amemus, tanquam filij per gratiam. hoc enim ad orationem requiri, Scriptura frequentissimè insinuat: *Oculos Domini*, Dauid dicit, *esse super iustos, & aures eius ad preces eorum*. & Christus; *si manseritis*, ait, *in me quodcunque volueritis petetis & fiet vobis*. Similiter B. Ioannes: *si non reprehenderit nos cor nostrum fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.*

Psalm. 33. 16. *Ioan. 15. 7.* *1. Ioan. 3. 21.*

Peccatoribus vero per Prophetam dicitur, *si multiplicaueritis orationem non exaudiam. manus enim vestræ sanguine plenæ sunt* &, *Maledicam benedictionibus vestris*. Cœcus quoque, *Scimus*, ait, *quia peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit hunc exaudit*. Ne tamen peccatores ab oratione propterea auertantur, sciant etiam se sæpius exaudiri: aliquando per Dei misericordiam, aliquando ad sui vindictam. *Prior* modus fit, *Primo*: Ad confirmationem fidei. sic in die iudicij, multos dicturos testatur Christus: *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Quibus tamen respondebit: *Nescio vos*. Neque enim vita, sed fides miracula operatur: vt insinuat B. Petrus. vnde hæreticis in probationem hæresis miracula à Deo negantur: sicut & malis in approbationem suæ prauitatis: nescit enim Deus verax, & bonus, mendacia probare, vel peccata. Possunt quidem miracula à malo, imo & ab hæretico fieri,

Isa. 1. 15. *Mala. 2. 2.* *Ioan. 9. 31.* Peccatores aliquando exaudiuntur. *Mat. 7. 22.* *Act. 3. 16.*

fieri,(vt eis contingit qui sturmas (Gallice Pescrouelle) curant.)non tamen vt eis se iustos probent; sed vt ex his ostendat Deus,etiam Sacramenta effectus suos, per ministros malos,imo & hæreticos,habere posse. *Secundo*: Cùm conuertuntur à peccatis. vt in Niniuitis, & Magdalena patet.atque hi licet exaudiantur semper, quoad culpæ remissam; promisit enim Deus; *Si reuertimini & quiescatis salui eritis*. Non tamen, quo ad condonationem pœnæ.ideoq; Scriptura de hac,quasi sub dubio, loquitur: vt cum Nabuchodonosori dixit Daniel.*Peccata tua eleemosynis redime,&cæt. Forsitan ignoscet Deus delictis tuis*.& Israelitis Ioel: *Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus*? eadem formula Rex Niniuitarum vtitur, & B. Petrus.*Tertio*: Vt ex consideratione Diuinæ benignitatis, quæ etiam inimicos exaudit,resipiscant. sic exauditi multi, qui sanitatem,ingenium,&c.postularunt, qui tamen si deinceps se in malum obdurent, repelluntur. Salomon execrabilem dicit orationem,*eius qui aures suas à diuina legis præcepto auerterit*. fit quoque vt exaudiantur in sui ipsorum pœnam; vt Israelitis contigit, carnem impetrantibus. ideoque recte B.Augustinus. *Si hoc à Deo petitur,vnde exauditus lædatur, magis metuendum est ne quod posset non dare propitius, det iratus*. Vis exaudiri misericorditer, vide Dei filius sis; *delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Secundo* significatur humilitas. *Filius enim honorat patrem*. & vt Sapiens: *Oratio humiliantis se nubes penetrat. Deus*, enim, *superbis resistit, & humilibus dat gratiam: respiciens ad pauperculum & contritum spiritu*. Est autem humilitas,duplex.*vna*, Interior.qua propriam cogitamus vilitatem dicentes cum Abraham: *Loquar ad Dominum meum cum sim puluis,& cinis*.Mendici, vt prouocent misericordiam,toto habitu,& incessu, miseriam profitentur.neque enim subsidium meretur, qui periculum nescit.*Altera*: Exterior.quam Salomon præstitit,orans flexo vtroq; genu:& Christus ipse,dũ procidit in faciem.nam vsq; ad terram,ait Gregor. *humiliare nos debemus,ne mente iaceamus in terra*. Qui alterũ genu flectunt, vel puluinar substernũt,ne vestẽ maculent,reos se nõ cogitant, & nesciunt impendentia pericula: quæ si viderent,citra dubium cum reis in vtrumque genu prouoluti humillime veniam deprecarentur.

Ion.3. Luc.7. Isai.30.15. Dan.4.24. Ioel 2.14. Ion.3.9. Act.8.22. Prou.28.9. Tract.73.in Ioa.in prin. Psal.36.4. Mala.1.6. Eccl.35.21. Iaco.4.6. Isai.66.2. Gen.18.27. 3.Reg.8.54. Matt.27.39. Lib.9.epist.51.in prin.

Quartum

qui post confessionem sentit animi quietem, fiduciam remissionis, ait Cassianus, potest concipere, imo B. Ioannes: *si cor nostrum*, ait, *non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*. Pœnitentiæ autem exercitia hanc fiduciam augẽt: vti ex Petro Cluniacensi supra probatum. *Tertio*: sunt quidam eximiæ sanctitatis, qui singularem faciendorum miraculorum fiduciam habent; de quibus Christus: *Quicunque*, ait, *dixerit huic monti tollere & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quodcũq; dixerit, fiat, fiet ei*. Neq; donũ hoc omnib. cõmune est. Collat. 9. c. 32. 1 Ioan. 3. 21. Domin. 4. Quadra § 5. Matth. 11. 23.

Dabit. Insinuat, *Primo*: Bonitatem Dei. *qui*, vt Bernardus, ait, *priusquam egressa sit ab ore nostro oratio eam scribi iubet in libro suo. Desiderium* enim *pauperum exaudiuit Dominus et præparationẽ cordis eorum*. *Secundo*: Modum, quem Deus seruat in exaudiẽdo. quia non semper dat quod ore, sed quod corde petimus: vt recte Augustinus. Sic cũ matri exauditionem promisisset Salomõ, illaq; Adoniæ peteret Abisag vxorem; Salomon quia sciebat matrẽ nolle regno excidere, vt hoc eius desiderium adimpleret, alterũ reiecit, & Adoniã occidit. sic & nos temporalia sępè à Deo petimus, quia tamen nollemus per ea à Deo auerti, ne id fiat; sic petita non impetramus. *Tertio*: Petitionum frustrationem non ex Deo, sed ex nobis esse: vt monet Oecumenius alquando gratiam à Deo, vel virtutes petimus; sed media necessaria non adhibemus. Obseruat autem Basil. quinque de caussis nos non exaudiri. *Primo*: Vt petitionis feruor crescat: sicuti creuit in vidua. *Secundo*: Vt vitam corrigamus: sicuti insinuat Isaias. *Tertio*: Quia indigni sumus: sicuti nec Dauid ob effusum sanguinem templum ædificare potuit, nec Moyses ingredi terram promissam. *Quinto*: Quia oportunitates negligimus. sicuti Israelitæ, quia murmurarunt contra terrã promissam, cum iam ei essent vicini, reuocati sunt, nec eo introierunt. Tempus, & modum, habent omnia; qui iuuenis nõ domat passiones, adultus vix superabit. De Esau testatur Apostolus, quod pœnitentiæ locum *non inuenerit*, *etiamsi cum lacrymis inquisisset eam*. Socordes Deus deserit: alij enim sunt, qui cũ maximo feruore vocantẽ sequentur. Cum sponsa pulsanti nõ aperuisset, recessit sponsus; nec à quærẽte inuentus postea, nisi post quęsitionem longam, & verbera, ac vestium spoliationẽ. Dabit. Serm. 5. in Quadrag. Psal. 9. 17. Tra. 73. in Io. 3. Reg. 2. 20. Reg. 261. ex Concis. dispu. Luc. 18. 2. etc. Isai. 1. 7. 2. Reg. 7. 5. Num. 20. 27. Num 14. 30. Heb. 12. 17. Cant. 5. 6.

Multæ

Multæ sunt, eorum qui Dei inspirationes neglexêre, miseriç, & casus; ac rara quies. *Quinto:* Quia sæpe vtilius est, vt non exaudiamur. Idq; *Primo*: Vt glorificetur in nobis Deus. qua de caussa Apostolo nō est ablatus stimulus carnis. *Secundo:* Quia nobis expedit magis. sic Petronillam febricitantem non sanauit B. Petrus, quia erat ei morbus sanitate salutarior.

2. Cor. 12. 27.

Nota: Iustos nunquam frustra orare: *eorum* enim *deprecatio assidua*, vt dixit B. Iacobus, *multum valet*. tum ad meritum, tum ad impetrationem. hæc enim duo differunt. quia meritum, huius vitæ est, ac status gratiæ; ideoque nec beatis conuenit, nec peccatoribus. impetrant vero beati, & peccatores, imo & dæmones. Vnde *primo:* Multæ sunt orationes impetratoriæ, non meritoriæ. *Secundo:* Quædam meritoriæ, non tamē impetratoriæ, talis enim fuit oratio qua B. Paulus rogabat auferri à se stimulū carnis, nec impetrauit quod petebatur, merebatur tamen, quia omnis actio bona iusti, meritoria est. *Tertio*: Quędam vtrumque habent; vt mereantur simul, & impetrēt: vt cum B. Virgo obtinuit productionem vini ex aqua. & generatim cum iustus exauditur. *Quarto*: Quædam neutrum habent, vt cum peccatores non exaudiuntur. Est tamen obseruandum; quod sano sensu omnis iusti oratio impetratoria dici possit; quia etsi non impetrat id quod primo petit, impetrat tamen aliud. B. Paulus gratiam, imo victoriam impetrauit, contra stimulum carnis. Thobias, & Sara, gaudium de conciliato post matrimonio. similiter si non statim à miserijs te Deus liberet, patientiam dabit, quæ liberatione omni dignior est. sic Petrus in carcere etiam securitatem sensit, & gaudium: ita vt, licet certus de morte parata, quietus inter milites dormiret. Paulus, & Silas, virgis cæsi media nocte Deum laudarunt. Animi gaudium, omni alio bono præstat, quia omnia mala vel tollit, vel indulcat. Porro si orationi labor aliquis accedat; vt si nocturna sit, vel continua, exertis brachijs, acri frigore & cęt. accedit quoque tertius effectus nempe satisfactio pro peccatis; siue proprijs, siue alienis. habet enim hoc suscepta pœna, vt pœnam peccato debitam redimat. Noli ergo in oratione negligens esse, neq; ipsa tibi molesta sit, quæ tres habet tam nobiles effectus.

Iaco. 5. 16. Mereri & impetrare. *vbi supr.* *Thob 3. 24.* *Act. 12. 6.* *Act. 16. 25.* Satisfacit oratio.

Nota *Secundo*, Quanto amore Christum Pater diligat, & quantum Christus te dilexerit, vt discas, alios Christi nomine petentes non reijcere, ne ingratus sis. Cum B. Franciscus pauperem in nomine Dei petentem semel dimisisset, tanta eum tristitia inuasit, vt recurrens liberalem ei eleemosynam dederit, simulque, nullum se deinceps reiecturum, vouerit. Hoc si imiteris, quid obesset? Dei amor te faciet diuitem, eleemosyna non reddet pauperem. De Alexandro Hales, qui anno 1228. Parisijs maximè floruit, refert B. Antoninus, quod nũquam nomine B. Virginis aliquid petentẽ reiecerit; cũq; id Franciscanus quidam inaudisset, petit hoc nomine ab eo, vt Franciscanus fiat: quod & fecit. Atque dein multa passus, à B. Francisco secũdum quietem solatium accepit, ita vt in omni sanctitate vixerit, atque B. Bonauenturæ Magister fuerit. Hoc tam arduum fecit ille, pro amore in B. Virginem: quid ergo nos pro Christo non faciemus? Solent pauperes propter, & per Deum petere, magis tamen mouerent, si peterent per amorẽ Dei hæc enim verba magis mouent: quia Dei in nos futurum amorem quasi promittunt.

S. Bona. in eius c. 1.

Hist. part. 3. tit. 24. c. 1. §. 1.

VOBIS. Significat, Primo, exaudiri iustos cũ *pro se ipsis orãt*: vt explicat Aug. non pro amicis, vel inimicis, vel quibuslibet alijs: quia *non vtrũq; dictum, dabit, sed dabit vobis.* Quia tamẽ alia Christi promissio: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo hoc faciã.* generalis est, & B. Ioannes: *quodcunque*, ait, *petierimus secundum voluntatem eius audit nos.* Ideo malunt alij, cum B. Basilio, etiã verba præsentia ad omnes extendere, placet enim Deo vt homines mutuo se iuuent, & exaudit eos facilius. Vnde notat Gregorius, Iob recepisse duplicia, postquam pro amicis orasset. Interim fateor non exaudiri nos semper pro alijs, sed non ex defectu promissionis, verum ex indispositione illius, pro quo oramus. Vnde B. Ioannes. *Qui scit fratrem suum peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccãti non ad mortem: iterum, est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis.*

Tract. 102. in Ioan in prin.

Ioan. 14. 14.

1. Ioan. 5. 14.

Reg. 261. ex concis.

35. Mor. c. 8.

Iob. 42. 10.

1. Ioan. 5. 16.

Vbi discimus, *primo*, etiam eis qui in peccato mortali sunt, impetrari vitam, id est, gratiam ab alijs. Hanc enim Paulo Stephanus[a], Abraham [b] Abimelecho, Iob [c] amicis, Moyses [d] Israelitis obtinuerunt: & de Paulo aperte dicit Augustinus,

a Act. 7. 60.

b Gen. 20. 17.

c Iob 42. 10.

d Exod. 32. 11.

Ser. 1. de B. Stephan.

Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet. Sed ideo erectus est Paulus, quia in terra inclinatus exauditus est Stephanus.

Secundo, esse quosdam pro quibus Deus nolit exaudire, qui vero hi sint, incertum: de nullo tamen dum viuit, desperandum, ideoque Augustinus, & Gregorius, per *peccatum ad mortem*, intelligunt id in quo quis hinc discedit: pro tali enim orandum non est. sed quia in Scriptura etiã vetat Deus pro quibusdam orari, vt cum dixit: *Noli orare pro populo hoc, &c.* itẽ, *Si steterint Moyses, & Samuel, vel Noe, Daniel, & Iob, coram me non exaudiam. Secundo*, quia præcipit Sciptura quosdam vitandos: nempe Pharisæos, cæcos, & duces cæcorum. dein, inobediẽtes tanquam ethnicos & Publicanos. demum, hæreticos post vnam, vel alteram correptionem: vt ex Apostolo [a] Tertullianus [b], Cyprianus [c], Augustinus [d], Epiphanius, [e] notant, quia *subuersi sunt, & proprio iudicio condemnati*, certum est, nõ semper nos pro alijs exaudiri. Bernardus tamen, qui ferocissimum Aquitaniæ ducem fregerat, de nullo ait desperandum, sed lachrymis, & pœnitentia, Deum reconciliandum; quia sicut dæmonium quoddam non eijcitur, *nisi in ieiunio, & oratione*, sic & Deus nonnunquam, sine pœnitentiæ exercitijs nõ placatur. Disce hic, *primo*: Pro te ipso cum omni virtute rogare Deum vt det quod expedit. *Secundo*: Non quiescas in solis aliorum precibus. Chananęam imitare, quæ orantibus pro ea Apostolis, suas quoque preces adiunxit & Chrysostomũ audi. *Quando quod ex nobis est simul adferimus, & accedit intercessio Sanctorum plurimum nobis confert. Quod si ipsi negligentes fuerimus, & spem in illis collocamus nostræ salutis, nihil amplius prodest: nõ infirmi sunt iusti, sed quia propter nostram desidiam nosipsos perdimus. Id ergo scientes confugiamus ad Sanctorum preces, & oremus vt pro nobis intercedant, sed non illorum precibus tantum confidamus, sed & ipsi nostra, vti oportet rectè dispensemus, & ad meliora semper conuertamur.*

Fuit aliquando Monachus quidam quem caro mirabiliter vexabat, ille re cuidam seniori exposita, orationes ab eo petijt, quas & accepit, sed frustra, & sine fructu. Miratus autem senior, vidit in visione Monachum illum, & diabolum sub diuersis mulierum formis ei colludentem: Angelum vero Do-

De corrept. & grat. c. 12. 16. Mor. c. 31.
Hier. 7. 16.
Ezech. 14. 20.
Matt. 15. 14.
Matt. 18. 17.
a Tit. 3. 10.
b de præscrip. c. 6.
c lib. 3. ad Quiri. c. 18.
d Hære. 76.
e Epist. 162.
Gradu 12. humil.
Matt. 17. 21.
Matt. 15. 25.
In princ. ho. 44. in Gene.
In vit. PP. p. 2. c. 1. §. 12.

to Domini dehortantem ab his, & monentem eum ad orationes, quas ille negligebat. Postea ad seniorem reuersus, solitum malum deplorat, senior vero: *Quia* ait, *res per te stat, impossibile est, vt aliena preces te iuuent, nisi ipse ieiunijs, vigilijs, & orationi insistas.*

Tertio: Ora pro viuis & defunctis. Quoque viuorum peccata fuerint grauiora, tanto maiorem tui castigationem precibus iunge. De defunctis ait Augustinus, quod viui meruerint, vt à nobis iuuari possint, vidit aliquando B. Nicolaus Tolentinas mortuum, preces, & Missam petentem, ab eoque ductus est in planitiem Pisanæ vrbis, vbi vidit maximam multitudinem, eadem cum lachrymis flagitantem, & cum tota septimana Sacrificium pro eis obtulisset, egissetque pœnitentiam, redijt ille prior, & plurimos eorum nuntiauit iam liberatos. Rident hæc hæretici: sed quid est in eis risu dignum? cum Patres omnes ita docuerint. Tu ergo pro viuis, & defunctis, constanter ora: Deus quos à se adhuc videt alienos, optat propinquos, & petenti concedet. *Cap. 1. de cura pro mortuis.* *Sur. 10. Sept. c. 4.*

III. *Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo*. Non laudantur hic Apostoli à studio orandi. Quia neque in articulo necessitatis orabant, vt patet in horto: neque cum debita vigilantia, vt patet in Thabor. Et curiose aliena quærebant de excellentia, inter se, de restitutione regni Israel de extremo iudicio, &c. Preterea nunquam in nomine Christi orauerant. *Luc. 12. 34.* *Luc. 9. 32.* *Matt. 18. 1.* *Act. 1. 7.* *Matt. 24. 3.*

Primo, Quia eius nominis vim ignorabant. *Secundo*: Quia eius vsum nunquam in Synagoga audierant, cui Trinitas & passio Christi obscura adhuc: ideoque eos Paulus *paruulos* vocat. Habebat autem Synagoga quadruplicem orandi formam. *Primo*, Per merita Patriarcharum: vt cum oraret Salomon, *Memento Domine Dauid*, & alij per Abraham, Isaac, Iacob, &cæt. Quomodo etiam hodie nos per Sanctos oramus, tanquam Dei amicos, non redemtores. Hinc B. Leo. Apud *Beatissimum Petrum vigilias celebremus, cuius meritis & orationibus, ita nos per omnia credimus adiuuandos, vt misericordia Dei, & ieiunijs nobis adsit & vobis.* *Gal. 4. 3.* Formulæ orādi apud Iudæos. *Psal. 131. 1.* *In fine serm. de ieiun. 7. mensis.*

Esa.38.3. *Secundo*, Per merita propria, vt cum dixit Ezechias. *Memento quæso Domine, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* Idem & nobis licet: non quasi per merita nostra simus iustificati, vt male olim gloriabantur contra Romanos Iudęi: sed, vt mala, præsertim inferenda ab eis quibus benefecimus, auertantur. Sic Hieremias: *Recordare Domine*, ait, *quod steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis* (me persequentibus) *bonum, &c.* Porro neuter modus Christo iniurius est, sed ab ipso fatetur se merita, per quæ orat, habere. *Tertio*, Per Deum ipsum, sic Daniel, *Inclina Deus meus aurem tuam, &c.* Et Ecclesia, *Deus qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia Maiestatis adorare vnitatem. Quæsumus, &c.* Grata enim prioris beneficij commemoratio, ducit ad noua.

Hierem.18.20

Dan.9.18.
Dom. SS. Trinit.

Quarto, Per aduentum Christi, eiusque passionem futuram: sed obscure. *Primo*: In sacrificijs, quorum cæremoniæ populo ignota mysteria figurabant. *Secundo*, Verbis, quæ passionem Christi eiusue conditiones insinuabant. Sic cum Dauid exaudiri vult in Dei iustitia, & misericordia, ad passionem Christi respicit, quę sola iustitia nostra est, & Dei misericordia. Similiter cum Iudas Machabæus 12000. drachmas misit, offerre sacrificia pro peccatis, sciebat, *impossibile vt sanguine taurorum, & hircorum auferrentur peccata*: sed sacrificium crucis considerabat, illis sacrificijs figuratum. Porro etsi tunc in Christi nomine explicite non orabatur, tamen omnia Dei dona etiam tunc per Christum hominibus data sunt, qui propterea *ab origine mundi occisus* dicitur. Nunc autem Ecclesia, *per Christum* orat explicite, etiamsi oratio ad Christum dirigatur: potest enim orari vt Deus; per seipsum, vt est homo. Vide hic, an non cadat in te increpatio illa; *Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo.* Nam, *primo*, Oras rarius, ita vt nonnunquam dies abeat, sine Dei memoria. *Secundo*, Oras sine attentione. *Tertio*, Nescis quid ores, ita vt si templum egressus examinares, quid oraueris, vel nihil, vel parum respondere posses. *Quarto*, Raro oras in nomine *Iesu*, id est, ea quæ salutem promoueant: totus corpori, eiusque ne-

Psalm. 50. 1.
Psalm. 30. 2.

2. Mach. 12. 34.

Heb. 10. 4.

Apoc. 13. 8.

necessitati inhæres. Atque hæc caussa est tam exigui profectus spiritualis. *Quinto*: Rarius Christi passionem cogitas, quę & tibi deuotionem, & orationi vim adderet. Hanc rumina, & videbis defectus, sentiesque auxilium, frequentius, & facilius, impetrans quod petis.

IV.

Petite & accipietis. Potuisset Christus ob nostram negligentiam nos reijcere, & in aduersitatibus *redire*. Sed contra benignissimè ad orationes hactenus neglectas inuitat, imo spe præmij vrget. Videtur autem Ecclesia hic præceptum agnoscere, dum ait: *Præceptis salutaribus moniti: &c.* ita vt peccet, qui, cum debet, non orat: qui vero pręceptum hoc seruat, duplex ex eo præmium sentiet, nempe, impetrationem, & ex hac gaudium. Errant itaque hæretici, dum negant nos ad orationem obligari, quia Deus dat bona etiam non rogatus. Certè ad orationem & Christus, & Apostolus, nos frequentissime vrgent, non facturi, si oratio superuacanea esset. Dein Deus multa dat rogatus, alias non daturus. Dixit enim vt disperderet Israel. *Si non Moyses stetisset in confractione.* Vnde & Moysi dixit: *Dimitte me, vt irascatur furor meus.* Similiter Aaron flammā ab vlteriori conflagratione populi prohibuit. & B. Iacobus ait, nos petere & non impetrare, *quia male petimus*, vel non vt oportet: impetraremus ergo, si petitio perfecta esset, deniq; Christus aperte dicit, quosdam dæmones non eijci, nisi in oratione. Quærit Basilius: Cur cum nos Deus tantum diligat, orari velit? nam homines quidem oramus, propter tria: *Primo*: Vt sciant nostras miserias. *Secundo*: vt compatiantur. *Tertio*, quia non gerunt nostri curam. Horum vero omnium nihil in Deum cadit. Respondeo. Septem esse huius rei caussas. *Primo*, Quia Deus nos vult ad iustificationem cooperari: iuxta illud Augustini, *Qui creauit te sine te, non saluabit te sine te.* sunt autem media ad quę nos cooperamur duplicia, nempe, preces, & actiones. Quædam enim merētur, vt eleemosyna, & ieiunium, quo dæmones pręfligari, ex Christi testimonio nuper ostendimus. Vnde Raphael: *bonam* dixit, *orationem cum ieiunio, & eleemosyna.* Quædam vero impetrant, vt actus laboriosi. Oratio autem, tāquam pharmacum vniuersale, ad omnia valet: *Primo*: quia pro omnibus oramus. *Secundo*, quia etiā

Prou. 1. 26.
Luc. 18. 1.
1. Thess. 5. 17.
Psal. 105. 23.
Exod. 32. 10.
Num. 16. 48
Iac. 4. 3.
Matt. 17. 21.
Constit. Monast. c. 2.
Cur Deus oretur.
I.
Serm. 15. de verbis Apostol. ferè circa finem.
Tob. 12. 8.

ab his alieni, ad aduersa pro Christo anhelarét: corporeus cibus grauat, & opes distrahũt, afflictio vero hominẽ eleuat, & Deo cõiungit. Bernardo mensa pene carnificina erat, alij dies plures cõtinuos ieiunarũt. Et qui suauitatẽ hãc semel gustarũt seculo fere renũtiant, & cũ B. Ignatio martyria desiderãt. *Sexto*: Quia, vt recte Chrysost. oratio dat homini tantã dignitatẽ, vt se ipso maior sit, & Angeli animã honorãt, quã Deo cõiunctã vident, ideoq; à B Ioanne adorari noluerũt. *Etsi solus es*, ait Clemens, *cũ oras, Angelici tamen chori præsto tibi sunt, tuã quam cũ Deo habes coniunctionẽ videntes, & admirantes.* Vnde sicuti familiarem Regi multi circumstant, sic Deo cõiunctos cingũt Angeli: vt in Helisæo patuit. Et dæmones nomina quoque eorũ fugiũt, vt patuit in Antonio. *Septimo*: quia facit oratio, vt De⁹ præstet, quod ex natura sua prẹstat libẽtissime. Fõti si os claudas primo, ac dein recludas, scaturiet aqua solito plenior. nos autẽ diuinæ liberalitatis fontẽ claudimus, cũ orare desinim⁹; recludim⁹ vero, cũ ad orationes redimus. Orauit Ezechias ꝓ vita, & præter 15. annos triumphũ impetrauit, & filium, ex quo natus est Christus, teste Hieronymo. Dauid saluationem ad inimicis petijt, & regnum, ac dierũ lõgitudinem, imo filiũ Messiam obtinuit. Salomõ dum prudentiã postulat, omnia accepit. Paralyticus dum corporis sanitatẽ orat, animã quoq; recepit sanam. Neq, enim parce, sed affluenter dat Deus: ita vt super adiciat nõnunquam plus, quã oratio tota meruerit. Est satis cõmunis DD. sentẽtia, nullos à Christo sanatos corpore tantũ, sed & anima: vt ex paraclytico patet, cui dictum, *Ecce sanus factus es, iam noli peccare.* Nos sæpe temporalia tantũ petimus, verum Deus spiritalia de suo superaddit, matrum instar, qui filiolis saccarum addunt, si morbus santonicam requirat.

In vita illius. *Epist. 12. ad Rom.* 6. *Lib. de orando Deo.* *Apoc. 22. 9.* *7. Strom.* *4. Reg. 6. 15.* *Antha. in vita eius.* 7. *Ezech. 38. 5.* *Psal. 20. 5.* *3. Reg. 3. 13.* *Matt. 9. 5.* *Ioan. 5. 14*

Vt gaudium vestrũ sit plenum. Verba hæc sex expositiones admittunt. *Primo*, Petite, vt taudẽ saluemini, qui. n. nõ orat, facile peccat, tũ, ob imbecillitatẽ naturæ, tũ, ob crimen negligẽtiæ, atque ex vno scelere in aliud ruit. *Secundo*, Petite ea intentione, vt gratiam accipiatis, qua saluemini. Hic enim omnis orationis scopus est; vnde & quotidiana oratione dicimus: *adueniat regnũ tuũ.* & monemur *ante omnia regnum Dei quærere.*

V. Sex expositiones huius sententiæ. I. 2. *Matt. 6. 33.*

 Ita

Tract. 102. in Ioan. Ita Augustinus. *Tertio*: Petite, vt hic plene gaudeatis, de peccatis remissis, Deoque propitio. Gaudij plenitudo in corde
3. est; mundus vero externos sensus tantum demulcet, cor non:
Apoc. 17. 4. mulier enim est purpuram induta, & coccum, ac gemmis ornata exterius; sed bestiæ insidet, habenti cap. 7. ac cornua 10.
4. & blasphemijs fœtenti. *Quarto*: Petite: ita fiet vt habeatis gaudium plenum. etsi enim hoc non intendatis, tamen ex natura orationis consequitur; sicut naturali necessitate vitrum, à sole perlucet, & carbo ab igne accenditur. Vtinam orationis virtutem omnes perspicerent, certè melius orarent. Atque hæ 4. expositiones iungunt citata verba, cum, *Petite*: sequentes vero duæ, cùm verbo: *Accipietis*, ea coniungunt. *Quinto*: itaq; sensus
5. Deut. 32. 4. est. Petite, & dabit Deus gaudium plenum, quia *perfecta sunt eius opera*. Agit enim instar hominis liberalis, qui mendico non tantum haustum vnum, quem petit; sed omnia dat liberalissime. Ideoque aperi necessitatem tuam, & Deo vasa offer, sed à peccato munda: dabit ille, vt ad summum vsque impleantur.
6. *Sexto*: Accipietis gaudium plenum, seu perfectum, quia scil. & vos ad immortalitatem resurgetis. *Plenum* dicimus, cùm omnia vndique confluunt: vt si parenti ex inopino ad nuptias filiæ omnes vndique filij bene instructi domum redeant;
Thob. 11. vel cum Thobias post filij, ducisq; eius reditum, oculos quoque recepit, & filij sui vxorem, & opes conspexit. sic ergo in præsenti, gaudebant Apostoli de resuscitato Domino, sed necdum plenitudinem gaudij habebant, nisi plene fructum resurrectionis Christi participarent. gaudet quidem pater, si filium videat diuitem, & honoratum; sed si etiam ipse inde fructum sentiat, iam plene gaudet. Docet hic Christus viam ad plenum gaudium; nempe, orationem.

Disce *Primo*: Bonitatem Dei, qui non tristitiam nobis, sed gaudium vult, & ad gaudium nos per Scripturam hortatur. vnde errant illi, qui solos morosos putant Deo gratos: nempe, tanquam cœci verum solem ignorant. *Secundo*: Modum, quo in festis gaudeas: non in vestium, vel conuiuij luxu, aut deambulationibus, neq; ob solam præteritæ rei memoriam: sed debes idem tũc in te exprimere, quod in alijs ante factum Ecclesia recolit. Sic in Paschate epulari debes verum agnum, & mysticè

& mystice à peccato resurgere, in ascensione Domini sursum, cor erige, in Pentecoste plenitudinem omnis gratiæ postula, & proportionaliter sic in alijs festis, vt non habeas gaudium vanum, sed plenum, & æternum.

Hæc in prouerbijs locutus sum vobis. In Græco est ἐν παραβολαῖς Cicero autem *Parabolam* vertit *collationem*; & *Parabolæ* nomine frequenter vtitur CHRISTVS, cum *regnum cælorum* comparat sinaxi, decem virginibus, patrifamilias, &c. Sumitur autem in Scriptura nonnunquam pro *prophetia*: sic Balaam dicitur *assumsisse parabolam*. item pro *figura*: sic Abraham dicitur Isaac accepisse *in parabolam*: CHRISTI, scilicet; qui lignum crucis humeris baiulauit: ait Andreas Cretensis. *tertio*: pro *exemplo*: sic dixit Christus *parabolam*, de eo qui iubetur descendere. *quarto*: pro *irrisione*: vt, *factus sum illis in parabolam*. *quinto*: pro *sapienter dicto*; vt, *parabolæ Salomonis*. *sexto*: pro *obscure dicto*: sic Petro *parabola* erat, quod diceret Christus, *Non quod intrat in os coinquinat*. Hic autem sumitur diuersimode, pro diuersa explicatione totius sententiæ, quæ intelligi potest quadrupliciter. *Primo*: De omni tempore Legis: De quo Apostolus. *Omnia in figura contingebant illis*. atque ita sensus est; quicquid de me fuit in Veteri Lege, parabola fuit, & obscurum. Atque ita docet se CHRISTVS in veteri Lege locutum, adeoque se esse vtriusque Legis Dominum. Cur vero omnia tunc fuerint obscura, ratio est. *Primo*: quia cum populus ad idololatriam totus propenderet, debuit ab ea contineri per sacrificia cruenta, ad quæ inclinabantur: illa autem elegit Deus, quæ simul essent melioris sacrificij, quo aliquando erant redimendi, significatiua. *Secundo*: Vt qui essent inter eos doctiores, haberent quo ingenium pie exercerent, & alios instruerent. illi tamen solo cortice delectati, à mysterijs erant alieniores. sicut & nos cum in cæremonijs sistimus, nihil de significatione soliciti. deberent Sacerdotes ante sacrum vestium suarum mysteria rimare, vt Christi passionem ex eis discerent. idem deberent facere Religiosi, quorum vestis, *primo*: pœnitentiam pro peccatis; tam proprijs, quam alienis notat. *secundo*: cordis munditiam. *tertio*: paupertatis amorem. *quarto*: charitatem vsque ad mortem. *quinto*: laborem.

VI. | Matth. 13. 31. | Matth. 25. | Num. 24. | Heb. 10. 19. | Gen. 22. 6. | Serm. de S. Cruce. | Luc. 14. 7. | Psal. 68. 12. | Matt. 15. 11. | Explicatio textus. | 1. | 1. Cor. 10. 11. | Legis obscuritas cur. | 1. | 2. | Vestes religiosorum.

borem. *sexto*: obligationem ad seruanda vota. *septimo*: perseuerantiam sub cruce. *octauo*: innocentiam; cuius typus est caputium, vt docet Cassianus, *Nono*: mortificationem passionũ, & contemptum mundi, qui designatur per velamen quo teguntur virgines. *Secundo*: de tempore prædicationis Christi, vt sensus sit, hactenus obscure multa proposui, nunc vero ea explicatius propono, & post resurrectionem adhuc proponam clarius. Cur vero multa Christus obscure dixerit caussa fuit. *Primo*: quia multorum peccata demerebantur, ne ea intelligerent. iuxta illud: *Ideo in parabolis loquor eis, vt videntes non videant*. *Secundo*: Vt pij ea studiosius examinarent, & pro eorum explicatione, Deo supplicarent. *Tertio*: vt non erubescerent posteri, à maioribus suis verum scripturæ sensum inquirere, & laici eundem à Sacerdotibus discerent; de quibus olim dictum: *Interroga Sacerdotes Legem*, &, *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius*, item à Christo, *Qui vos audit me audit*. *Tertio*, De sermone cœnæ tantum, vt sensus sit; multa iam dixi vobis, quæ vel pro sui sublimitate, vel pro animi vestri mœrore, non capitis: vt de modico, de vinea, de via, vita, veritate, de circumincessione Diuinarum Personarum, sed in posterum singula dicam clarius. Loquebatur Apostolis Christus pro eorum captu, vt & nos discamus, verbis sic attendere, ne facile offendant: sæpe enim plus lædit dictio vnica, quam iuuet concio tota. sagittâ, non qui eam excutit, sed qui excipit, læditur. *ex verbis* nos iustificandos, & condemnandos, Christus monuit. Vide ergo quid, vbi, quomodo, &c. loquaris. *Quarto*, Putant aliqui, Christum hic de eis loqui, quæ satis aperte Apostolis proposuerat: nempe, de discessu suo, de aduentu Spiritus S. &c. ita vt ea *parabolas* vocet, quia Apostolis *parabolæ* videbantur, & sensus sit, videor quidem iam vobis obscure loqui, sed experientia ea paulò post declarabit; nam post impleta omnia mysteria, Apostoli ea plenissime intellexerunt. sic hodie multis parabola est, quicquid de altera vita audiunt, sed docebit eos postmodum experientia tristis. quã ne magistram accipias, hic sape.

[Margin notes: De instit. Monach. c. 4. — 2. explicatio. — Cur Christus locutus obscure? — Matt. 13. 14. — Agg. 2. 12. — 1. Mala. 2. 7. — Luc. 10. 16. — 3 explicatio. — Matt 12. 37. — 4. explicatio.]

VII. *Venit hora, cum iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis*. Vox *hora*, tempus futurum notat. de

[Margin note: 31. Mora. c. 8.]

quo

quo quatuor sunt sententiæ. *primo*, Gregorius vitam intelligit futuram, quia hic, omnia *in ænigmate*, & per fidem, quæ *est argumentum non apparentium*, videmus: illic autem, *facie ad faciem*. hic & Trinitatem, & mysteria alia, ignoramus: illic vero & hæc, & rerum naturas quoque, in verbo intuebimur. *Quid enim est, quod nesciant*, ait Gregorius, *vbi scientem omnia sciunt*? Noli ergo hic curiosa sectari, sed ad futuri seculi scientiam anhela; quæ fruitionem, & possessionem, omnis boni simul importat. vnde & Moysi dictum: *ego ostendam tibi omne bonum*. *Secundo*, per *horam*, Chrysostomus accipit 40. dies post resurrectionem, quando *in argumentis multis loquebatur* Dominus de *regno Dei*, aperiens Apostolis *sensum vt intelligerent Scripturas*, quas *incipiens à Moyse & prophetis interpretabatur*: tum verbis, tum interiori lumine infuso, eas illustrans: ita vt dicerent illi: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis*? Sed quæri hic possit, quid his 40. diebus Christus palam docuerit de Patre? nihil enim tale legimus. Verum Respondeo *primo*, Aperte testari Ioannē, quod nō omnia scripta sint. *Secundo*, Explicuit Christus mysterium redemptionis: hoc enim verbis illis insinuat, cum iubet Apostolis nuntiari per Magdalenam; *Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum*. hic enim promittit palam se annuntiaturum de Patre, neque limitatè dicit, *patre meo*: quia per mortem, & resurrectionem Christi, declaratus est etiam *pater noster*. *Tertio*, De Patre locutus est CHRISTVS, quando locutus est de Ecclesia, sicut de Rege loquitur, qui eius regnum, gloriam, splendorem narrat. vt discamus, de Deo loqui omnes, qui vitia damnant, virtutem commendant, proximi bona laudant, &cæt. de mundo autem, qui mentiuntur, decipiunt, vitia aliena propalant, &c. Porro in hoc sensu, nota Christum his quadraginta diebus non locutum parabolice, adeoque cum Petro dixit: *Pasce oues meas*, & Apostolis: *Quorum remiseritis peccata*, &c. nullā hic cogita obscuritatem, sed Petrum vere caput Ecclesiæ, & Sacerdotes vere peccata remittere. *Tertio*, Augustinus per *horam* tempus dati Spiritus sancti intelligit; quicquid ille dixit, CHRISTVS dixit: porro ab illo Apostoli omnem fidei, mysteriorumq; notitiam accepēre, & symbolum cōposuere. *Quar-*

1. Cor. 13. 12. Heb. 11. 1. In fine c. 33. lib. 4. Dial. Exod. 33. 19. Act. 1. 3. Luc. 24. 45. Luc. 24. 32. Ioan. 20. 30. & 31. 25. Ioan. 20. 17. Ioan. 21. 16. Ioan. 20. 23.

Claritas Nouæ Legis.

Quarto: Per *horam*, alij tempus intelligunt, quod ab aduentu Spiritus sancti, ad finem sæculi decurrit; in quo etsi non sit tanta claritas, quanta apud beatos; est tamen maior, quam fuerit vnquam in terris. *Primo*: Quia aperuit Christus Ecclesiæ sensum Scripturæ, & prophetiarum, quæ erant de Christo, vel Ecclesia. *Secundo*: Multa de Deo, & Angelis, docuit. *Tertio*: Naturas, & cultum virtutum. *Quarto*: Quotidie adhuc Ecclesiam docet. *Quinto*: Quosdam infuso lumine mirabiliter illustrat, de rebus abditissimis, citra studium: vt in Antonio, Hilarione, Fancisco, Catharina Senensi, Agnete, &cet. patuit. Ora sedulo, vt gratiam hanc tibi quoque concedat. Oras forte id aliquando, sed negligenter. meditaturus in somnum incidis, vel distractiones, aut curiosarum quæstionum scrupulos: ita vt raro totus Deo vaces. Ora, det tibi horam illam, qua palam de Patre loquatur; & expertus senties, quam facile mundus talibus vileat.

VIII. *In illo die in nomine meo petetis*. Gregorius per *diem illum*, beatitudinem intelligit, in qua pro nobis beati orant, non pro se, nec cum angore, sed, vt Ecclesia loquitur, *gloriose*. Vidit Ioannes *viginti quatuor Seniores in faciem pro nos, Deo phialas offerre plenas orationum*. & Zacharias, *Angelum audiuit pro vrbibus Iuda, & Ierusalem deprecantem*. cui respondit Dominus, *verba bona, verba consolatoria*. atqui non minus beati pro nobis orant, cum *sint futuri sicut Angeli Dei*. & membra sint vnius corporis nobiscum: neque minus iam nos ament in cœlis, quam amauerint in terris. Hieremiam, & Oniam, pro Israelitis orantes post mortem, vidit Machabæus. Dictumque ei de Hieremia; *Hic est fratrum amator, hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate*. Neque oratio hæc frustranea est; sed, vt ex innumeris miraculis patet, vtilissima. De B. Potamiœna refert Eusebius; quod post obitum Basilidi militi, à quo ad supplicium ducta fuerat, & cui suffragia sua promiserat, coronam imposuerit, feceritque martyrem. Notandum vero, quod *in Christi nomine* beati orent, & Angeli thuribula sua altari aureo, quod est Christus, imponant, atq; ita etsi ad Deum nobis sequestri sint, & *medij* (sic.n. de se loquitur Moyses) alio tamen

Apoc.5.8. Zach.1.12. Matth.22.30 2.Mac.15.14 Lib.6.hist. Eccl c.4.& in Martyr. Rom 30.Iunij Apo.8.3. Deut.5.5.

tamen egent mediatore, qui *per semet ipsum* accedit ad Deum, & pro quo nullus alius orat; ipse vero solus pro omnibus *exauditur, pro sua reuerentia.* *Secundo*: Alij per diem, intelligunt vitam præsentem: in qua monemur *Primo*: Petere. Ecclesia enim domus orationis est, non minus quam Synagoga. de qua dixit Apostolus, quod *die ac nocte Deo deseruierit*, ob certa nocturnæ, & diurnæ, orationis interualla. *Media nocte*, ait Dauid, *surgebam ad confitendum tibi*. & : *De mane vigilabo ad te*. Daniel in Babylone tribus temporibus in die flectebat genua; nempe, hora tertia sexta, nona : vt Hieronymus explicat. Apostolos *hora tertia* orasse, patet ex aduentu Spiritus sancti; hora autem *sexta* Petrus orans, in extasi vidit vas de cœlo descendens. qui etiam cum Ioanne *ad horam orationis nonam ascendit*. Ita vt septem fuerint apud Iudæos orationis interualla, quæ & nos retinuimus, in honorem Dominicæ passionis; ait Athanasius: addito octauo tempore, in honorem Dominicæ resurrectionis; vt monet Cyprianus. ita vt impie, & indocte, hæretici ritum tam pium, & antiquum calumnientur. fateor, multus in harum obseruatione torpor subrepit; sed propter abusus nemo vinum, vel rem quamlibet bonam vituperat. *Secundo*: monemur Petere in nomine CHRISTI: nam & cum per Sanctos oramus, Christi merita includimus : sine quibus, nec Sancti quicquam possunt. sicut qui carbonem viuum habet, ignem habet, quo ille viuit, vel ardet.

Heb. 7. 25. Hebr. 5. 7. Act. 26. 7. Psal. 118. 62. Psal. 62. 2. Dan. 6. 10. in 6. Dani. Act. 2. 15. Act. 10. 9. Act. 3. 1. Lib. de Virg. de orat. Domin.

Disce *primo*: Non esse illic Spiritum sanctum, vbi non oratur: est enim *ille Spiritus gratiæ, & precum*. *Secundo*: Diuisa *habere orandi tempora*: vt monet Hieronymus; vt si forte aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus moneat. Tota quadragesima concionari dicitur, qui diebus singulis tempore præfinito id facit; sic semper orat, qui id facit tempore statuto. *Tertio*: Tria Christi verba attēde, ac *primo*: In *die* ora, id est, in statu gratiæ, *sumus enim*, vt Apostolus ait, *filij lucis, & filij diei*. *Secundo*: Pete. Neque enim laudandus tantum Deus, sed & implorandus. Parentes carnales oderunt, si ab eis filij aliquid petant, Deus vero & laudari vult, vt iuuet, & iuuare, vt laudetur. *Tertio*: In nomine Christi pete, id est, in virtute

Zach 12. 8. Ad Eustoch. de custo. Virgini. Epist. 22. c. 16. 1 Thess. 5. 5.

virtute nominis Christi, quod dæmones contremiscunt. item in sapientia eius, qua, cum Angelorum omnium exultatione, mirabiliter dæmones supplantauit. demum per amorẽ eius, quo homines ad Dei cultum sunt reducti. Hæc autem in meditatione passionis Christi reperies, atque per ea compunctus, à Patre, id quod petis, facile impetrabis.

IX. *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis.* Verba hæc Augustinus absolute intelligit, vt Christus in cœlis non oret, quia in cœlis omnis voluntas eius fiet. *Secundo*, Chrysostomus ait, Christum ne quidem pro Apostolis rogaturum, post aduentum Spiritus S. quia iam illi poterunt per se, id præstare. *Tertio*, Hilarius sic exponit, vt tantum velit Christus, quod Apostoli non egebunt oratione, quia Pater illos tam impense amat. Nota Christũ & olim in terris, & adhuc in cœlis, orare pro nobis: *semper .n. viuit ad interpellandũ pro nobis, & propitiatio pro peccatis nostris.* est tamen de orationis modo difficultas. Dico itaque, in terris Christum oratione, vt & alijs actibus, meruisse: ideo enim in oratione frequens pernoctauit, & in cruce orauit: *cum clamore valido, & lacrymis*, dicens: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* similiter & vltimum sermonem aurea oratione conclusit. Porro in cœlis, vt post Gregorium, docet Rupertus, Patri passionem suam præsentat, vt non tam orare, quam merita sua exhibere videatur. sicuti qui merces emptas, exhibito chyrographo, petit sibi tradi, non tam orare dicitur, quam debitum exigere: quia tamen, post Scripturam, Patres quoque Christum in cœlis orare dicunt; vt Nazianzenus,[a] Chrysostomus,[b] Ambrosius,[c] Augustinus.[d] dico *primo*: Christum tanta reuerentia Patri sua merita offerre, vt orare dicatur: nõ procumbit in genua, ait recte Nazianz. Patrem tamen maiorem se honorat. *secundo*, Non meretur iam oratio ista, sicut ea quam fudit viuus, sed illa petit, quod hæc meruit. vnde aduertit pulchre Rupertus, quod nemo Christianus dicat: *Christe ora pro me*, sed, *miserere mei: dedit .n. illi Pater omnia in manus. Tertio*, Sancti alij misericordiã à Deo petunt, eumque accedunt, vt Patrem: Christus vero iustitiam exigit, Deumque accedit vt iudicem. Orant Sancti fere hac forma: *Clementissime Deus omni qua possumus humilitate supplicamus,*

1. de Trin. c. 10. Hom. 78. in Ioann. Lib. 6. de Trin. Rom. 8. 34. Heb. 7. 25. 1. Ioan. 2. 2. Heb. 5. 7. Luc. 23. 34. Ioan. 17. 11. 12. Mor. c. 18. Rup. 9. de diuin. offic. c. 3. a Orat. 36. quæ est 4. Theol. b Hom. 15. ad Rom. & 13. ad Heb. c ad Rom. & Heb. 7. & 1. offic. c. 48. d Tract. 102. in Ioan. Vbi sup. Ioan. 13. 3.

mus, vt propitius sis peccatoribus, condonans eis omnes flagitiorum noxas, eripiens eos ex quouis aduersitatis genere, & prospera quæque ijs largiens: non quidem intuitu meritorum nostrorum (misericordiam quippe supplices deprecamur, non iustitiam exigimus) sed intercedentibus meritis, amantissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi. At Saluator in hunc modum: *Iustissime Iudex oro vt delinquentibus peccatorum veniam largiaris, ego pro sceleribus eorum copiosè satisfeci, aspice vulnerum cicatrices, quas pro ijs in meo corpore excepi, cruciatuum acerbitates, quas sustuli sanguinem quem effudi, mortem ignominiosam quam pertuli.*

Quarto: Differt oratio CHRISTI à merito. nam vt hic insinuatur; oratione CHRISTI non semper egemus, & tamen egemus eius merito. nam merito eius nititur, qui in nomine eius petit, & ab eo virtutem orationis accipit: etsi Christus ipse non oret. Dato enim semel pretio, habemus cur exaudiamur à Deo si in nobis obex non sit.

Ipse enim Pater amat vos. Exaudiuntur pij facilius à Deo, quia *voluntatem timentium se faciet, & deprecationem exaudiet.* ideoque. Disce *primo*: eorum suffragia amare, Apostoli instar, qui in epistolis fere omnibus ea requirit. *secundo*: In rebus arduis non orationes tantum aliorum, sed & sacrificium pro te require, quo Christus seipsum Patri litat. Ita fecisse Apostolum, cum *obsecrationes* vult fieri *pro Regibus*, &c. putat Augustinus. idemque in templi Herosolymitani dedicatione, obtulerunt Patres Concilij Nicæni, à Constantino Hierosolyma vocati, vt habet Eusebius. *Tertio*: Beatorum suffragia require, quæ etsi non mereantur, plus tamen, quam mortalium preces, impetrant. *primo*: quia magis amant Deum: mortales enim peccatis & infirmitatibus obnoxij, & de perseuerantia, Deiq; amore, sunt incerti. si ducem Rex Dominio aliquo donasset, vt ob præclare facta illic laborum præmia sentiret, nunquid impetraturi à Rege aliquid, ducis huius, licet iam quiescentis, patrocinium optarēt? similiter ergo beatos Deus ob exantlatas ante molestias quiete beat, possuntq; illi res nostras promouere per Christū, cuius meritis sēper innitūtur. *secūdo*: quia in dignitate sunt *cōstituti à Deo, Principes super omnē terrā*: iuxta id q̃ spopōdit Christus: *Qui vicerit, & custodierit vsq; in finē opera mea dabo*

X. *Psal. 144. 19.* *1. Tim 2. 1.* *Epist. 59. ad Paulin. in medi.* *Lib. 4. vita Constan. c. 4. 5.* *Psal. 44. 17.* *Apoc. 2. 26.*

Psalm.2.8. Apoc.3.12. & 21. *dabo illi potestatem super gentes, &, reget eas in virga ferrea & tanquam vas figuli confringet eas sicut & ego accipi à Patre meo.* Item, *faciam illum columnam in templo Dei mei, daboq; illi sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.*

Ex quibus beatorum dignitatem aperte colligimus. *primo*: Eundem cum Christo thronum habent, tanquam assessores. *secundo*: precibus Ecclesiam, vt columnæ fulciunt. *tertio*: regunt homines iustitia: vt bonos præmient malos puniant. Psal.149.8. *gladij ancipites,* inquit ille, *in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos Reges eorum in compedibus, vt faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus Sanctis eius.*

Ideoque docent Patres, regi hos hic à beatis, imo notat 2.Dial.c.30. Gregorius, sanctos etiam cum viuis duobus modis miracula facere. *primo*: Orando, vt cum Petrus suscitauit Tabitham, Act.9.40. 3.Reg.17.21. & Helias filium viduæ. *secundo*: Imperando, vt cum Petrus 2.Reg.4.1. Act.5.17. Ananiam occidit, cum Saphira; & Helias duos quinquagenarios. Est ergo in eis potentia quædam, simul & cura nostri, qua nos non minus quam Angeli custodiunt; imo forte magis, quia & nobiscum carnem participarunt, ac sanguinem, & miserias nostras experientia didicerunt, adeoque compatiuntur. Ad eos ergo, tanquam Dei amicos, confuge.

Disce *quarto*: amare Deum, quia ipse te amat: Magnum est, si Rex mendicæ meminerit, maius vero si eam amet; quia amor hic ei vtilis esse potest. Si ergo te Pater amat, amat quoque Filius, & Spiritus sanctus. adeoque tota Trinitas, honorant Angeli, obseruant sancti, formidant diaboli, & ad tan- 4.Reg.6.17. Psal.90.11. & 124.1. torum patronorum præsentiam fugiunt. Elisæum cogita, & Dauidis psalmos; & dignitatem iustorum videbis.

XI. *Quia vos me amastis, & credidistis, quia à Deo exiui.* Amat nos Deus, quia Christum amamus, & in eum credimus. qui vero neutrum horum habet, à Deo non amatur. Quærit hic Augustinus, quomodo nos amet Deus, quia Christum amamus, Tract.102.in Ioann. 1.Ioan.4.19. cum *Deus prior diligat nos*? Respondet *primo*: *Quia*, non significare hic caussam, sed indicium amoris: sicut, si quis dicat, hic seruatur ignis; quia euaporat fumus: indicium itaque dilectionis

ctionis est, si nos diligamus. Vide an ames Deum, & in eum credas, & videbis, an ab eo ameris si religionem habes à vera diuersam, vel teipsum amas, non redamaris, nam *qui amat patrem, vel matrem, vel seipsum plus,* quam Deum, non est *Deo dignus. Secundo,* respondet Augustinus: in Deo distingui amorem beneuolentiæ, & complacentiæ. hi enim duo amores, in primà rerum creatione exprimuntur: nam amoris fuit ea producere, & postquam producta sunt de eisdem dicitur: *Vidit Deus quod esset bonum.* Item, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* similiter & nos amat Deus, vt bona det; & postquam dedit, in nobis sibi complacet. amat enim primo, vt nos credamus, & amemus, deinde, quia nos amamus, & credimus. ex quo constat, animam dum iustificatur, à Deo aliquid accipere, (amare enim Dei, est benefacere) adeoq; fieri veram, & realem immutationem, non moralem tantum. Vnde pulchre Tridentinum: *Iustificatio,* ait, *non est sola peccatorum remißio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, vt sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Huius autem iustificationis caussæ sunt: finalis quidem gloria Dei, & Christi, ac vita æterna: efficiens vero, misericors Deus, meritoria autem dilectißimus vnigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus: qui cum essemus inimici, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, sua sanctißima paßione in ligno crucis iustificationem nobis meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit: instrumentalis item Sacramentum Baptismi. Demum vnica formalis caussa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit. Qua videlicet ab eo donati renouamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed & verè iusti nominamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque secundum suam mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.* Vide & Canonem vndecimum eiusdem sessionis.

Matt. 10. 37. Luc. 14. 26. Gen. 1. 31. Seß. 6. c. 7. Ephes. 2. 4. Ephes. 4. 23.

Mutationem hanc aperte satis Scriptura insinuat; confert enim iustificationem Christi, infectioni Adæ, constat autem per Adamum, omnes qui ex eo nascuntur, infectos, sicuti & nunc per actualia peccata inficiuntur. Deinde iustificationem Apostolus *ablutionem* vocat, qui vero ablutus est, sordes

Rom. 5. 15. 1. Cor. 6. 11.

15. de Trin. c. 8. non habet. Atque idem ex Patribus, Augustinus docet: cum in iustificatione ait naturam, à deformi forma in formã transire formosam. & Nazianzenus, amantem dicit amore fieri pulchrũ. Hos potius, q̃ hæreticos audi: certus *nihil esse damnationis, eis qui sunt in Christo*, cum tamen *odio sit Deo impius, & impietas eius*. Adorna animam omnium virtutum splendore, vt audire merearis: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es, oculi tui columbarum*: id est, intentio munda est, & anima, ideoque *tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*: cum gloria, *filia Regis sit ab intus*: vnde rex amoris flammam concipit, præsertim ab humilitate, iuxta illud eiusdem: *Dum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem*. Exteriorem corporis cultum Patres concorditer damnant. Augustinus animã eo fœdari ait. Bernardus quoque *noli*, inquit, *præripere tempora, ô corpus! potes enim impedire animæ tuæ salutem, tuam operari non potes*. significans tempus præsens, animæ soli, futurum vero, etiam corpori datum.

Carmin. de Virgin. Rom. 8. 1. Sap. 14. 9. Cant. 4. 1. Psa. 44. 14. Cant. 1. 12. Aug. Serm. 15. de verbis Apost. Berna. Serm. 6. de Aduen.

Tertio, Respondetur. Gratiam diuidi communiter in *præuenientem*, de qua Dauid: *Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis*, &, *Misericordia eius præueniet me*. Atque hac amat nos Deus necdum amantes, & in *subsequentem*, de qua idem: *Misericordia eius subsequetur me*. Atque hac amat Deus, quia amamus. amat autem vt ad maiora paulatim dona subuehat. Hinc apud Ioannnem iusto dicitur, *vt iustificetur adhuc*, & Augustinus, eum dicit habere Spiritum S. qui diligit, atque eundem magis promereri, vt magis diligat. atque ita bono opere non gloriam tantum, sed & gratię augmentum meremur: nam vt Saluator hic ait: Pater nos amat, quia amamus: Dei autem amor efficax est. sicuti sol, eum quem aspicit, illuminat. & fons defluẽs, irrigat. vt merito anathema sint dicti, qui oppositum docent, quos vita, & de virtute ascende in virtutem, *vt tandem videas* DEUM DEORUM *in Sion*. gloria enim gratiæ proportionabitur.

Psalm. 20. 4. Psalm. 58. 11. Psalm. 22. 6. Apoc. 22. 11. Tract. 77. in Ioann. Sess. 6. Can. 32. Psalm. 83. 8.

Nota *primo*: Tangi hic duo bonorũ genera, propter quæ Pater nos amat. *Primum* est, amor in Christum. *Ego*, ait Sapientia, *diligentes me diligo*, & Christus: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*: imo, *Oculus non vidit, quæ diligentibus* DEUM *sunt præparata*. sine dilectione, cætera nihil esse: post Apostolum, Augustinus docet. *Secundum*, est

Prou. 8. 7. Ioan 14. 21. 1. Cor. 11. 27. Lib. 1. de moribus Eccl. c. 15.

fides

fides quæ per dilectionē operatur. Porro ex his fides in intellectu, dilectio est in voluntate: adeoq; qui vtramque habet, totum se Deo sacrauit, omnesque potentias. facit enim dilectio, vt aliud non velit, quam quod vult Deus, fides autem, vt se humiliter sub Deo captiuet. quod an exiguum sit, Christus insinuat, cum per antonomasiam *fidem* vocat *opus Dei*. Certe Trinitatem, Eucharistiam, Incarnationem, eis qui rationem, & experientiam sequuntur, difficillime suaderi, eo solo patet; quia experientiam, & rationem superant; vt proinde mirum nihil sit, mereri eos, qui humiliter acquiescūt per fidem. Nota *secundo*: Fidem quæ Dei amorem meretur, esse; quod Christus à Patre exierit: id est, quod vnius cum ipso sit naturæ secūdū Deitatē. hinc. n. sequebatur, omnia eius verba vera esse, & fide digna, etiamsi captum humanū aliquando superarēt. Gal. 5. 6. Ioan. 6. 29

Disce *primo*: Modum, quo à Deo diligaris. facta, dictaque omnia, ad eius amorem refer, caue fidem, vel conscientiam lædas; *quicquid* enim *ex fide non est, peccatum est. Viue ex fide*, actusque omnes ad Christi honorem dirige, neque id semel tantum interdiu, sed ad actionis cuiuslibet initium: ita fiet, vt ex re non magna, magnum fructum, & meritum, sentias. *Secundo*: Displicere diabolo fidei humilitatem. ideo. n. tot semper hæreses, & perplexitates seminat. sed cogita, Deum esse omnipotentem, Ecclesiam firmamentum veritatis; tot martyrum sanguine roborare, & sanctorū, doctorumq; scriptis, ac miraculis, quæ omnia eam quæ nostra est fidem confirmant. Rom. 14. 23. Hab. 2. 4. 1. Cor. 10. 31. Coloss. 3. 17.

Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. His verbis Christus sermonem claudit; sequētia vero, respondent ad Apostolorum quædam interrogata. Oportet ergo hæc diligenter expendi. Dixerat paulò ante Apostolis Christus: *Credidistis quia à Deo exiui.* nunc quasi eos cōmendat, dicens: vere ita est, ego, vt creditis, *exiui à patre* ab æterno, per natiuitatē, *& veni*, assumta carne, *in mundū*, vnus cū patre; nunc aūt impletis omnibus, quæ mādauit Pater, paulo post per mortem, & dolores ad cū resumpto corpore redibo. *Nota* Cōmendari hic à Christo fidē diuinitatis, incarnationis, mortis, resurrect. & ascensionis. Nā primo, *Exiui*: generationē æternā notat, de qua Sap. *Ego ex ore Altissimi prodiuit primogenita* XII. Eccl. 24. 5.

ante omnem creaturam. Secundo: Veni, Incarnationem notat. *Tertio: Relinquo mundum*, Mortem. *Quarto: Ad Patrem*, eo. Resurrectionem, & ascensionem. atque ita habemus hic præcipuos fidei articulos.

Nota *secundo*: Christum in incarnatione Patrem non reliquisse, secundum Diuinitatem, hæc enim mansit in gloria: sed secundum humanitatem, quæ gloria Filio Dei debita, ad tempus caruit. similiter rediens ad Patrem, nõ reliquit mundum, secundum diuinitatem: sed secundum humanitatem tantum, neque id absolute, sed tantum quo ad modum visibilem: manet autem nobiscum in Sacramento. *Tertio*: notat Chrysostomus; Christum quodam sensu, & Patrem reliquisse, sicut iam dictum; & matrem, cum in ara crucis arrha sanguinis, Ecclesiam sibi desponsauit. *Primo*, vt & nos terrena omnia pro ipsius amore relinquamus; siue obligati, quia periculum vrget; siue citra periculum: hoc enim qui facit, plus Christo dat, firmius inhæret, & magis eum sequitur: vnde sponsam monet Dauid. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.* quo enim sublunaria hæc perfectius spernimus, eo integrius Christo sponsabimur: ad minimum vero, peccata, & inclinationes malas, superare oportet: vt in solo Christo quiescamus. *Secundo*, Vt iuuandi proximi caussa exeamus quoque à Deo, oratione, & meditatione, ad tempus suspensa: ita enim aptiores erimus iuuandis alijs, vt in Elia patet, & Helisæo. interim cauendum, ne quod peccatum intercurrat vanæ gloriæ, aut aliud, quo meritum, & fructus extinguatur. Opere autem perfecto, ad Deum, tuique examen redi, & pro delictis deprecare, ne fructum siue in te, siue in alijs impediant.

Hom. 20. ad Ephes. Gen. 20. 24. Matth. 19. 5.

Psal. 44. 11.

XIII. *Dicunt ei discipuli eius: ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis: nunc scimus quia scis omnia, & non est opus vt quis te interroget. In hoc credimus, quia à Deo existi.* Non exiguam consolationem, ex superioribus Christi verbis, senserunt Apostoli antea tristes: adeoque modũ docent, audiendi verbum Dei vtiliter. *primo*: vt attendamus. *secundo*: vt laboremus singula intelligere. *tertio*: vt per ea moueamur. *quarto*: vt frequenter ea rumine-

ruminemus. His autem verbis, Apoſtoli quatuor puncta inſinuant. *Primo*: Loqui Chriſtum ſine obſcuritate. quod intelligi poteſt dupliciter. *primo*: vt vere Apoſtoli ſuperiora Chriſti verba intellexerint, ac de eis quaſi certi ſint; præſertim, quod dixerat *Modicum, & iam non videbitis me*. quod & Dominus eis necdum poſtulatus explicarat. *ſecundo*: vt Apoſtoli non vere ea intellexerint, ſed pręgaudio ſe intelligere putarint. tempus enim clare loquendi, ait Auguſtinus, Spiritui ſancto reſeruabatur. *Tract. 102. in Ioan.* Diſce *primo*: Inconſtantiam hominis: ad minima extollimur, alioſque animamus; & contra, deijcimur rurſum, ac pene deſperamus. vtrumque hoc in ſe expreſſit Dauid: *Ego dixi in abundantia mea* (& gaudio) *non mouebor in æternũ*: ſed, *Auertiſti faciem tuam* (ſeu gratiã, & conſolationem) *à me, & factus ſum cõturbatus*. *Pſalm. 29. 7.* Facili momento huc illuc impellimur; præſertim ſi corpori, quod mutatur facillime, indulgeamus. Apoſtoli magna hic de ſe concipiunt, ſed paulò poſt omnes defecerunt. Diſce *ſecundo*: Nunc vere Chriſtum palam loqui, cum fidei articulos non docti tantum, & adulti, ſed pueri quoque norunt, & explicant. Agnes, & Priſca, tredecim annos natæ, perſecutores ſuos ſuperarunt. Iuſtus, & Paſtor, pene infantes Daciano os clauſerunt: ſicuti & Aſclepiadi Barula puer poſtmodum decollatus. *18. Nouem. in Martyro.* Monet Petrus: *vt parati ſimus rationem reddere omni poſcenti, de ea quæ in nobis eſt ſpe*: *1. Pet. 3. 15.* non vt ſinguli Scripturam excutiant; ſed quia tam noti, ſunt ex præſcripta maiorum fide articuli, vt nemo eos in Eccleſia ignoret, cum tamen extra Eccleſiam, apud Iudæos, & Gentiles, imo & apud hæreticos, ignorãtiæ nox ſit, qui lucem reliquerunt, amatores tenebrarum, & præ ignorantia, ex errore vno ad alios proruunt, veri deſertores. Pulchre Eccleſiam Iſaias alloquitur: *Surge illuminare Hieruſalem: quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt: quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.* *Iſai. 60. 1.* *2. Pet. 2. 17.* *Iud. v. 12.* Vis lumen verum? Eccleſiam tene. apud hæreticos verba habebis, nõ munera, fontes, non aquam, nubes, non pluuiam, arbores, non fructus.

Secundo, dicunt Apoſtoli: *Scimus quia ſcis omnia*. Eadem pene poſt reſurrectionem dixit Petrus: *Domine tu omnia noſti*. & forte *Ioan. 21. 17.*

etiam hic, tanquam feruentior omnibus, omnium nomine hæc dixit. continetur autem hic professio diuinitatis Christi, quia Deo propria est omniscientia. Dæmones præterita norunt, etiam peccata minutissima; vt ea tempore iudicij proferant. in futuris, quædam per coniecturam assequuntur, ex cognitione caussarum naturalium: vt mortem hominis, ex interiori indispositione. sæpe tamen etiam in his errant. Angeli, & Beati, multa in Deo futura vident: præsertim, quę ipsos cōcernunt: non tamen omnia, vt de iudicij die Scriptura docet. Christus vt Deus omnia nouit; vt homo autem, plura quidē scit, quam creaturarum quælibet: non tamen Deum comprehendit. quod autem dicitur, *nescire iudicij diem*: Athanasius,[a] Nazianz.[b] Chrysost.[c] Gregorius,[d] sic exponunt: quia humanitas non est ei ratio, diem hunc sciendi. Hieronymus[e] vero, ac Gregorius[f] Turonensis, non de Christo, sed filijs adoptiuis intelligunt. Epiphanius,[g] & Augustinus[h] ideo dictū volunt, quia non scit, vt alijs reuelet. Est porro magna pijs consolatio, si Christum, à quo diliguntur, cogitent omnium aduersitatū præsentē adiutorē, & futurū remuneratorē: impijs contra terrori est, quia & obseruari se sciunt, & puniendos.

Mar. 13. 32. a Orat. 4. in Arian. b Orat. 4. de filio. c Hom. 14. in Marc. d Lib 8. epist. 42. e in c. 24. Matth. f Lib. 1. Hist. Franc. g Hære. 69. h Lib. 1. de Trin. c. 12.

Tertio dicunt: *Non opus tibi vt quis te interroget*. Rursus hic professio diuinitatis: *cordium* enim inspectio, Deo propria est. sic alibi de Christo dictū: *ipse sciebat, quid esset in homine*. Quod latius prosequitur Apostolus, dicens: *Viuus est sermo Dei* (Christus s.) *& efficax, pertingens ad diuisionem animæ*: quia cogitationes videt, quæ ex sola anima procedunt, sine reuelatione voluntatis: *cōpagū quoq; ac medullarū*: quæ profundissime abdita sunt, & arctissime clausa. Spiritibus creatis occulimus cogitationes, cum volumus: Deo aūt nihil. *Discretor intentionum cordis*. quas homines nulli vident, imo nec nos ipsi aliquando: *Inscrutabile enim est cor hominis: quis cognoscent illud*? Putamus nōnunquam moueri, duciq; nos, intentione bona; & erramus, erroremq; Christus deteget, cuius *iudicia abyssus multa*. &, *cogitatiões exaltatæ à cogitationibus nostris, sicut exaltati sunt cœli à terra*. neminem in iudicio interrogabit ignota, sed nos ipsos nobis aperiet, & notos faciet. Vide ergo, animam hic ornes, ne ibi confundaris, coram ipso, Sanctisq; omnibus. *Quarto* dicunt: *In hoc credimus,*

Psalm. 7. 10. Ioan. 2. 25. Heb. 4. 12. Hierem. 17. 9. Psalm. 35. 7. Esai. 55. 9.

mus, quoniam à Deo existi. Non quod iam id incipiant credere, sed quia tantum, ex præcedentibus Christi verbis, sunt roborati, vt etsi nunquam id credidissent, illa tamen sola id sufficienter persuaderent. Nota *primo:* Apostolos de fide sua gloriari, adhuc tamen infirma, & paulo post defectura. ideoque respondit Christus: *Modo creditis? Ecce,* &c. q. d. nolite gloriari *Ioan. 16. 31.* ante tempus, quia non diu stabitis. sed orate pro perseuerantia tanto magis, quanto estis alacriores. *Secundo,* Apostolos repetere quod dixerat Christus, *credidistis, quia à Deo exiui.* solent enim homines ad sui laudem esse indulgentiores, seq; ab alijs laudatos cōmendare: sed corrigit Apostolos Christus, & futuri lapsus monet. Tu ergo cum laudaris, Deo bonum omne tribue; tibi vero defectum, qui solus tuus est.

ORATIO.

O Benignißime Domine Iesu Christe, vnice humani generis aduocate ac Mediator, qui Discipulos tuos orare volens, eosdem modum quoq; edocuisti, vt quidquid in nomine tuo à Patre cœlesti peterent, impetrarent: obsecramus te, nostris vt adsis orationibus, easq; & nominis tui auxilio, & meritorum tuorum profectu cumules. Largire insuper firmam super tua bonitate fiduciam preces nostras amoris tui igne inflammans, simul ac cogitatus nostros tecū vniens. Profliga quoq; ex cordis nostri penetralibus omnem inanis gloriæ iactantiam, omnemq; animi distractionem: quatenus per antiqui serpentis versutiam nullam patiamur tuo in seruitio remoram. Quin potius hanc nostris conciliato precibus virtutem, vt dirigatur oratio nostra sicut incensum in conspectu tuo. Et quandoquidem iam dies auspicamur Rogationum, ab antiquis eximiæ sanctitatis Patribus pie olim institutos, quibus sanctæ Ecclesiæ necessitates, diuinæ tuæ maiestati sollicitius commendaremus, ea propter oramus. in primis pro omnibus nostris superioribus tam ecclesiasticis, quam sæcularibus, vt prudenti eorum industria hic tranquille viuentes, per veram regni cœlestis semitam incedamus. Rogamus præterea pro omnibus eiusdem sanctæ Ecclesiæ membris, vt in vnitate Catholicæ fidei, sincera animi charitate se mutuo diligant. Quin & illud te humiliter deprecamur, vt ad maiorem nominis tui gloriā, temporali gaudeamus rerum necessariarum prosperitate, beneq; nostris & domi-

bus & familijs preceris, fertilitatem agris largiendo, aerem noxijs humoribus expurgando, à pestifera nos lue, subitaneaq; morte conseruando, nec nō & à tempestatibus, seditionibus, incantationibus, hæresibus, alijsque diabolicis technis benigne defendendo. Imploramus etiam omnium, qui tecum in cœlis degunt Sanctorum intercessionem, maxime vero quorum nomina hisce Rogationum diebus publicè in Litania recitamus, quatenus patri tuo cœlesti, pro quauis necessitate nostra, meritorum tuorum subsidia offerant. Illorum ergo orationes sanctissimi tui nominis ope promoue, vt & hic omnibus diebus vitæ nostræ fidelem tibi famulatum libentes præstemus, & postmodum in cœlesti patria omni laudum præconio te concelebremus. Idque per idem illud sacratissimum dignissimumq; tuum nomen, ô amabilissime Domine Iesu, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

DOMI-

DOMINICA VI.
POST PASCHA.

Euangelium Ioan. 15. & 16.



N illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimoniũ perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Hæc locutus sum vobis, vt nõ scandalizemini. Absque synagogis facient vos. Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me. Sed hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.

Breuis Euangelij exegesis.



Ixerat in vltima cœna Dominus paulo ante huius Euangelij verba, se, imo & Patrem suum, à Iudæis odio haberi *gratis*: alludens ad verba Dauidis. Hic vero ea latius explicare videtur, quomodo Iudæi paulo post innocentiam eius, duplici testimoniorum genere cognoscent. *Primo*, Adueniente Spiritu S. qui de Christo testimonium dedit. De quo quatuor hic dicit Christus, *primo*, quod erit *paracletus*, seu

Ioan. 15. 25.

Psal. 34. 19.

Duplex testimonium.

1.

consolator. Nam cum fideles iudæis, alijsque omnibus essent exosi, consolatore egebant. *Secundo*: quod ipse esset eum missurus à Patre. ita *primo* significans, eum certo venturum: quia idem mittet, qui promittit. *Dein* quod docebit ea quæ audit. *tertio*: quod erit Spiritus veritatis. *quarto* quod procedat à Patre, vt authoritatem significet, & potentiam, quāto enim maior est qui testificatur, tanto citius fidē inuenit. Perhibet autem Spiritus S. testimonium de Christo, per inspirationes, consolationes, interpretationem Scripturæ, miracula, Martyres. *Secundo*: testimonium perhibent ipsi Apostoli, de quibus dixit Christus: *Vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Posthæc ratio subditur, cur de odio Iudæorum, ac Spiritus S. aduentu, Christus sit locutus: scilicet, ne ingruente tentatione diffiderēt. Solet enim homo turbari, si alios videat sibi dissentientes. Demum caussam persecutionis futuræ addit; nempe, malitiam Iudæorum, qui eos excommunicaturi sunt: imo quod multi se Deo putabunt præstare obsequium, si eos occidant: quia nescient Christum esse Filium Dei, roborat ergo Apostolos Christus, vt in ea, quam acceperāt, fide, permaneāt.

2 testimonium.

Documenta Concionis sextæ post Pascha.

I. DIxit *Iesus discipulis suis.* Proponit hæc Dominica desiderium, quo ad Spiritus S. aduentum Apostoli anhelabāt, vt & nos eum desideremus, & ad eum præparemur. De Helia legimus, quod suasurus Israelitis non Baal, sed Dominum esse, Deum, altare erexerit, struem lignorum, & bouem superponens, eaque quatuor velut aquæ hydrijs perfundens. atq; dein descendente igne de cœlo, exclamarunt oēs: *Dominus ipse est Deus.* Nos autem Christiani non verbo tantum, sed &

3. Reg. 18. 34.

Vers. 39.

vita

vita proximos ad Dei amorem ignire debemus, & ipsi ardere. ignis autẽ hic Spiritus S. est, hydriæ quatuor, sunt quatuor animi vires, intellectus, voluntas, appetitus cõcupiscibilis, & irascibilis: has aqua pœnitentiæ explere oportet, nosque ea rigare. *Primo*: vt contritione, & *lacrymis amoris* peccata deleamus. *Secũdo*, imperfecta nostra cõsideremus, eorũq; perfectionẽ *lacrymis desideriorum* impetremus. *Tertio*, per Eucharistiã Christo cõiungamur, eũq; *lacrymis amoris* apud nos detineamus. Itaq; nullus abeat dies, quin ei necessitates nostras aperiamus, cũ Apostolis *perseuerantes in oratione*, & Spiritum S. expectantes, optat enim expectari, non minus quã Christus *qui desideratus* dicitur *cunctis Gentibus*, & *desiderium collium æternorum*: id est, Sanctorum omniũ. De Spiritu S. dixit Christus: *Si quis sitit, veniat ad me.* Christum autem *esurire* debemus: Spiritus .n. S *fons* est, Christus *panis*: vt sicut potum præcedit cibus, sic Eucharistiam sumamus, & dein Spiritum S. sitiamus, ab eo nutriendi, & augmentũ accepturi debetur enim animæ quotidianus cibus, ac potus, non minus quam corpori.

Heb. 12. 29. Act. 2. 41. Agg. 2. 8. Gen. 49. 26. Ioan. 7. 37.

II.

Cum venerit Paracletus. Ne abitu Christi nimium tristarentur Apostoli, quinque hic sunt Spiritus S. cõditiones expressæ. *Primo*, dicitur venturus, vt eum discamus viuere, & viuificare: iuxta illud, *Spiritus est qui viuificat*, & *Mittam in vos spiritũ, & viuetis*. Tribus autem modis contingit hęc viuificatio. *Primo*: quia dat omnibus esse. Vnde & in principio *ferebatur super aquas*, tanquam eas fœcundans. & de eo Dauid cecinit, *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur.* Dei enim amor omnia producit. *secundo*, viuificat animas per gratiam, quę earum vita est, sicuti enim absente anima corpus nec sentit, nec intelligit; ita peccator ea non sentit, quæ sunt salutis. Et cum hominem vides nec metu moueri, nec spe, est cur eum timeas vt Apostolus loquitur, *viuum esse mortuum*. Vbi vero Spiritus S. hominem vegetat, vires omnes, & corpus totum virtuti viuit, vnde *cum festinatione Maria exurgens abijt*: & Christina mirabilis etiam ramis tenuibus insidebat: & B. Franciscus, sanctique aliquot, in aera subleuati sunt, tempore orationis. Si piger es, ad ea quæ conscientia, vel officium monet, time vt absit Spiritus. Sanctus.

Ioan. 6. 63. Ezech. 37. 5. Gen. 1. 2. Psal. 103. 30. 1. Tim. 5. 6. Luc. 1. 39. Tom. 3. Surij die 23. c. 10.

Tertio:

Rom.8.11. *Tertio*, viuificat corpora, in generali resurrectione, quando vt Apostolus ait, *propter inhabitantem Spiritum S.* corpora mortalia viuificabuntur, non tantum vt anima eis vniatur, sed vt spiritalia fiant; nempe, pellucida, agilia, impassibilia, subtilia.

2.Cor.3.17. *Secundo, Venerit*, modum aduentus significat. Veniet enim non coactus, sed liber, & libertatis dator: *vbi* enim *Spiritus Domini, ibi libertas*, quia qui spiritum habet, à nullo impediri potest. Sicut alij quos passio, metus infamię, damni, &c. à bono retinet. De B. Francisco scribit Bonauętura, quod corpus habuerit, ad omnia subiectum. Quia vt Ecclesia canit, *Deo seruire est regnare*, & Sanctos propterea *Reges* Scriptura vocat.

Tertio: significat non ita venire Spiritum S. quasi ante non adsit nobis: cum per essentiam, pręsentiam, & potentiam, sit vbique: sed quia peculiarius quam ante operatur. Qua phrasi Exod.20.18. Deus *descendit in montem Sinai, & in cælus* esse dicitur: quia illic se manifestat. Sic venit Spiritus S. cùm dona, quibus ante carebamus, infundit, sicuti infudit Apostolis.

Nota *primo*, Christum in cœna de Spiritu S. multa disseruisse. *Primo*, vt eum homines cognoscerent, qui eo vsque pene fuerat ignotus, ideoq; operæpretium esset, singula Christi verba expendere, sunt enim Spiritus S. encomia.

Secundo, vt eum inuocaremus frequentius. Siquidem de In sequentia de Spiritu S. eo canit Ecclesia. *Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium. Laua est quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium. Flecte quod est rigidum, foue quod est frigidum, rege quod est deuium.*

Nota *secundo*. Non definiri à Christo certum tempus quo Spiritus S. esset venturus, vt semper simus parati, omniaque Sap.1.5. ei aduersa excludamus. Monet autem Sapiens, *Quod Spiritus S. effugiat fictum, & auferat se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, nec habitet in corpore subdito peccatis.* Ideoq; peccata, vanitates, Act.2.42. duplicitates, reijci debent. Discipuli erant *pariter orantes* cùm Act.10.2. adueniret Spiritus S. Cornelius eleemosynis, & orationi in-Act.8.28. cumbens fidei annuntiationem à Petro audiebat. Eunuchus Reginæ Candacis Scripturam legebat. Samaritani Simonē

Magum

Magum reiecerant. Alij orabant, cum *moto loco* Spiritus S. descendit. Similiter ergo hæreticos fuge, B. Petro subditus, eleemosynas fac, Scripturæ interpretationem ab Ecclesia disce, *& dabit Deus Spiritum bonum petenti.* Ibidem. Act. 4. 31.

Secundum, quod de Spiritu S. dicitur, est, *Paracletus*. vbi duo Spiritus S. officia notantur. *Primo*, Consolator est, expediebat autem dari consolatorem, *Primo*: vt absentiam Christi mitigaret. *Secundo*: vt Christianos omni tempore solaretur. Homo vicissitudine viuit, nec læta fert continuo, nec tristia: cum ergo duo hæc miscentur, in prosperis director, in aduersis consolator requiritur. *Tertio*: vt de Christo grata testaretur, & lęta. *Quarto*: vt cum Christo, qui salutem promiserat, conueniret, tanquam salutis dator. Quæres. Quomodo Spiritus S. qui est Spiritus veritatis, sit cõsolator, cum veritas odium pariat? ideo enim occisus ab Herode Ioannes, captus ab Achab Micheas, Paulus veritatem dicens Galatis factus inimicus. Respondeo; Spiritum S. nõ consolari omnes eodẽ modo. nam *primo*: quosdam malitia obdurauit, qui timore egent, non consolatione. tales erant Simon, & Elymas Magi, à Petro & Paulo increpiti. Similiter peccatores qui palpatores vitiorũ quærunt, vt *puluillos* habeant *sub omni cubito*. Sed hi sæpius ad hæreses, vbi malorum impunitas promittitur deficiunt. *Secundo*, Alij ex peccatorum remissione mirabile gaudiũ sentiunt, sicut apostematis exoneratione infirmus leuatur, vbi vero de gehenna audiunt, & purgatorio, tristantur; quia sibi metuunt. *Tertio*. Alijs cum Apostolo *gloria est, in testimonio conscientiæ*, quia spem voto concipiunt, ex Christi promissione: *si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Sed & hi nonnunquã contristantur, sicuti *tristis abijt* ille adolescens, qui mandata seruarat, cum de paupertate, vitaque strictiore audiret. Gaudet studiosus, si videat se non esse in vltimis, dolet tamen, cũ ab alijs, se prioribus laureã sibi præripiendam timet, sic lętãtur iusti de donis iã habitis, de quib⁹ Apostolus: *Regnũ Dei est iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu S.* itẽ. *Fructus autẽ Spiritus est charitas, gaudiũ, pax, patientia, &c.* dolent tamẽ de imperfectione sua: *primo*, vt imperfectus adhuc, qui infirmitatũ suarũ obiectionẽ ęgre fert, quantacunq; .n. hic fuerit nostra sanctitas, Luc. 11. 13. Matt. 14. 4. 3 Reg. 22. 27. Gal. 4. 16. Act. 8. & 13. Ezech. 13. 18. 2. Cor. 1. 12. Matt. 19. 17. Matt. 19. 22. Rom. 14. 17. Gal. 5. 22.

omnes

omnes tamẽ Adæ filij adhuc sumus. *secundo*, vt filius Dei, qui ad sanitatem anhelet. Atque dolor hic à Spiritu S. est, qui suos ad gaudij perfectionem promouet, quam consequuntur vbi passiones omnes rationi subiecerint, vt prçter Deum nihil ament. Scribit Ezechiel egressas de templo aquas, quæ mare indulcarunt, & pisces viuificarunt, lacrymas significans quibus Spiritus S. nos viuificat; nam sicuti diabolus ad desperationem, sic contra Spiritus S. homines ducit, primo ad exhilarationem, vt sic emolliantur: *secundo*, ad peccatorum in confessione exonerationem. Paulo post lacrymas superaddit, & studium perfectionis: tandem perfectam voluntatis sub Deo resignationem, in qua lætitiæ, & perfectionis est plenitudo. *secundo*, significat *Paracletus*, monitorem, monet enim Spiritus S. & castigat: imò *postulat gemitibus inenarrabilib⁹:* non quod id faciat per se, cum neminem habeat superiorẽ, à quo postulet, sed quia facit vt nos postulemus. Atque instar Aduocati, docet clientes suos caussæ propriæ magnitudinẽ, & Dei maiestatem, similiter periculum peccati, & astum diaboli, deinde auxilia quibus liberemur, nempe, pœnitentiam, orationem, ieiunium, vitæ pietatem; demum lætitiam superaddit, & charitatis profectum. vt proinde tantum ducem humiliter implorare debeamus, & serio, vt nos instruat, quo Deus Pater Christi merita pro nobis acceptare dignetur.

Ezech. 47. 1.

Rom. 8. 26.

III. *Quem ego mittam vobis à Patre.* Altera hæc est Spiritus S. commendatio, duo promittens. *Primo*, quod certo veniet; nã qui spondet, idem eum mittet. *secundo*, quod eadem cum Christo docebit. Voluerunt hinc aliqui Spiritum S. esse Filio minorem, sed concluderent aliquid, si in diuinis missio Dominiũ importaret, vel maiorem prudentiam, sicut in humanis, vbi Dominus seruum mittit, vel medicus infirmum. Spiritus S. cum Patre, & Filio vnus est, & vnius potentiæ, ac sapientiæ, mittitur aũt à Filio, sicut Filius à Patre. & originatũ ab orginãte. Insinuantur vero hic, quatuor mysteria de Spiritu S. contra totidem hæreses. *Primum* est, Quod Spiritus S. ex Patre, & Filio procedat. Quod negant Græci, non tam vt Spiritum S. per hoc impugnent, (sunt enim anno 777. tempore Caroli Magni, & anno 1439. Florentiæ iterato conuicti) quam vt se-

Quatuor mysteria de Spiritu S.

1.

dem

dem Constantinopolitanā Romanæ præferant. Neq;.n.sufficit Cōstantinopolitano Patriarchæ alios oēs spoliasse suo iure,& cōtra Pelagij,Gregorij,aliorūq;PontificūRomanorū decreta inuasisse nomen *Oecumenici*,sed voluit supremus Ecclesiæ Pastor haberi imo anno 1154,ausus fuit Michael Patriarcha Cōstantinopolitanus excōmunicare Romanū Pontificē,tanquā Ephesinæ Synodi violatorē,quia symbolo adiecit *Filioq;*:cum tamen ex his Christi verbis, id aperte conuincatur,credendum:sicut & Patres oēs ante superbientē Græciam docuerūt. Pro quo nota,missionis omnis duos esse terminos,à quo,& ad quē. sic qui ex Hispanijs Bruxellas mittitur,terminus à quo ei est Hispania,ad quē Bruxellæ,similiter cū vna Trinitatis Persona ab alia mittitur,debet missus à mittente aliquid accipere,& in loco ad quē mittitur, aliquid operari,in diuinis autem nihil accipitur,nisi natura: dat ergo Filius Spiritui S.naturam,sicut ipse eam accipit à Patre. Hoc autē insinuant verba præsentia,*quē ego mittā à Patre*, quasi dicat,ego qui ex Patre natus sum, quia eādē habeo cum Patre naturā,sicut Pater,sum principiū Spiritus S. Atq; hæc sublimia quidē sunt,ideo tamē posita,vt videant oēs, non esse in mysterijs fidei facilitatē illā,quā iactāt hæretici. *Secundum* est, contra Arium,& negantes Filij diuinitatem: vel saltem docentes eum Patre minorem : quibus hic repugnat Christus. quia si habet cū Patre eandem naturā,per q̃ sit principiū Spiritus S.sicut Pater,quomodo erit minor Patre? *Tertium* est, cōtra Macedoniū,qui negat Spiritus S. diuinitatē,hic.n.docet Christus,procedere Spiritū S.ex Patre, & Filio, non vt creaturas,sed vt vnū Deū,& Personā perfectione æqualē, & & coæternā. *Quartum* est contra Sabellium, qui Trinitatem nominum posuit,nō personarum,quia nō intelligebat quomodo vnam naturam habeāt tres,per omnia eandem. Sed si intellexisset,vtique Deus iste non esset. Hic ergo Christus aperte tres Personas distinguit.

Græcia superba.

Missionis duo termini.

2. mysteriū.

3.

4.

Nota *primo*, In Trinitate personam missam,non deserere eam à qua mittitur,neque eo mitti,vbi ante non erat: sicut fit apud nos. Nam Spiritus Sanctus semper cum Patre, & Filio est, sed in nobis operatur dona, quæ ante non operabatur,etsi etiam ante in nobis esset. *Secundo*, Loqui Chri-

1. Notabile.

2. Notabile.

STVM de sua missione *in præterito*, de missione autem Spiritus S. *in futuro*; non quod in Trinitate sit prius, aut posterius, cum ibi omnia sint æterna, sed *primo*, quia nobis iam venerat Christus, Spiritus S. verò non. *Secundo*: quia CHRISTVS semel tantum missus est, Spiritus Sanctus vero mittendus adhuc, quoties homines sunt dispositi. Sicuti enim sol radios iacit per fenestram patentem, sic Spiritus Sanctus nos illustrat quoties corda patent, quæ proin claudi nunquam debent, quia tanta est donorum eius dignitas.

3. Notabile. Nota *Tertio*, quod dicitur *Vobis*. Hic enim Apostolis, eorumque successoribus, nempe Prælatis Ecclesiæ Spiritus Sanctus promittitur, & quidem congregatis. Peculiariter enim adest Concilijs legitime collectis. *Secundo*, promittitur eis qui Apostolice viuunt, quorum opera, actusque omnes Spiritus S. informat.

IV. *Spiritum veritatis*. Tertia hic Spiritus S. commedatio amore digna, Spiritus S. non habet in diuinis nomen proprium, sicut Pater, & Filius; quia non procedit via generationis, sed per modum amoris. dicitur autem *Spiritus, primo*, quia nomen hoc ventum significat, seu flatum, vt cum Nicodemo dictum: *spiritus vbi vult spirat*. Comparatur autem Spiritus Sanctus flatui; *primo*: quia cum sit amor Patris, & Filij, vnum ad alterius amorem citat. *Secundo*, quia habet multas proprietates cum vento communes, & sicut ventus aerem mundat, pluuias generat, ignem accendit, naues ac viatores propellit, molas agit, organorum cantum caussat, homines refrigerat, & calefacit. Sic Spiritus S. *primo*, Peccata mundat: vnde dictũ Apostolis: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata remittũtur eis, &c. Secũdo*, Gratia pluuias generat, de quib⁹ monet Cyrillus. Quod sicut pluuiæ aliæ diuersos habẽt fructus pro diuersitate naturarum quas rigant, sic Spiritus S. sua dona diuidat, cuique pro vt vult. Præterea dat ille pluuiam lacrymarum, tam deuotionis, quam compunctionis. *Tertio*: Ignẽ accendit, *quem misit Christus in terram volens vt ardeat*, ideoque & *in specie ignis* Spiritus Sanctus descendit, est autem ignis hic charitatis. *Quarto*. Nos ad cælum euntes promouet. *Mulierem fortem* Salomon *naui institoris* comparat, quam ventus rapit

Tertia Persona in diuinis cur vocetur Spiritus.

Ioan 3.8.

Spiritus S. ventus.

Ioan. 20.

Cate. 16.

Luc 12.49.

Act. 3.2.

Pro. 13. 14.

rapit ad remotissima; sic nos ad cœlum à Spiritu sancto promouemur. *Quinto*: Quasi molam agit, vt farinam bonam molat; quia per meditationes pias quasi frangimur, vt libentes alienæ voluntati subdamur; sicuti farina molita formam induit cribri, vel vasis, quo clauditur. *Sexto*: Docet nos orare, & orationes nostras Deo gratas efficit. *Septimo*: Concupiscentiæ æstum refrigerat. *Octauo*: Manus calefacit; quia operibus vim tribuit merendi.

Secundo: Significat *Spirtus* substantiã incorporeã; sic de tota Trinitate dicitur: *Spiritus est Deus*; & de Angelis: *Qui facit Angelos suos spiritus*. item: *Nonne omnes sunt administratorij spiritus*? similiter de animibus iam defunctorum: *Spiritus iustorum perfectorũ*. de animsbus quoque viuentium: *Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in homine*? hac phrasi etiam dæmones *spiritus* sunt: sed, ad reuerentiam S. Spiritus, solent cum limitatione vocari *spiritus nequam*,[a] *immundi*,[b] *fornicationum*,[c] *mendaces*,[d] *huius mundi*[e] &c. Porrò etsi Pater, & Filius, in Diuinis, spiritus quoque sint; tertiæ tamen Personæ nomen hoc appropriatur: quia, cum anima seu spiritu nostro singulariter conuenit, sicuti enim hæc corpus viuificat, eique vires influit, & organis eius ad omnem operationem vtitur; sic *primo*: Spiritus sanctus animam gratia viuificat. *secundo*: potentias omnes ad operandum vel eleuat, vel facilitat: sicut rotæ stridorem lenit axungia. *tertio*, *Omnia opera in nobis operatur*. quia *sine ipso nemo potest dicere Dominus Iesus*. atque his ex caussis etiam *sanctus* dicitur; non tantum quia est ipsa sanctitas, sicuti Pater quoq; & Filius; sed quia caussa est nostræ sanctitatis, quæ peculiariter Spiritui sancto tribuitur: quia ille amor, & charitas est, ab hac autem nos sanctificamur; & sicut sigillo suo quisque supellectilem insignit, sic ille ministros Dei signat, ideoque ab Apostolo; *Spiritus sanctificationis* vocatur. Ora vt te sanctificet, suoque obsequio aptet.

Ioan. 4. 24. *Psal. 103. 4.* *Hebr. 1. 13.* *Hebr. 12. 23.* *1. Corin. 2. 11.* a *Act. 19. 15.* b *Act. 5. 16.* c *Ose 5. 4.* d *3. Reg. 22. 22* e *1. Cor. 2. 12.* *Isai. 26. 61.* *1. Corin. 12. 3.* *2. Corin. 3. 7.* *Rom. 14.*

Vocatur etiam *Spiritus veritatis*: idque *Primo*: quia nihil in se habet compositionis, sed purus est, & omnino simplex: ait Euthymius creaturæ omnes habent esse, sed cum addito; solus Deus est purus actus, neque mutationem admittit. etsi enim crearit omnia, & nunc diuersa operetur, omnia tamen ci- *Mala. 3. 6.*

tra mutationem sui facit, atque apud eum *nõ est vicißitudinis ob-*
Iacob.1.17. Marc.10.18. *umbratio.* Sicut ergo solus Deus dicitur *bonus*, quia est ipsa bo-
nitas; sic verus dici potest, quia veritas ipsa est. Cogita quàm
beatum sit possidere, & videre Deum hunc : teque creatum
scias, vt eo fruaris; sed simplex est, & concretionem nescit; id-
eo & tu noli agglutinari caducis; quanto ab his purior, tanto
Ioan.14.6. eris Deo coniunctior. *Secundo*: Quia est spiritus Christi, qui est
veritas. est autem spiritus Christi, quia ab eo vt Deo procedit:
ait Cyrillus. eumque vt hominem peculiariter præ homini-
Libr.9 in Ioan.c.44. bus alijs impleuit. *Tertio*: Quia veritatem in veteri Testamen-
Ioan.4.14. to vmbris tectam aperit; vnde & *Spiritus noui tastamenti* dici
Eccle.2.8. posset. *Quarto*: Quia promissa seruat; iuxta illud Eccles. *Qui ti-*
metis Dominum credite illi quia non euacuabitur merces vestra. Multa
suis spondet diabolus, multaq; interminatus pijs; sed vtrisque
frustrà. Spiritus S. vero bonus simul, & omnipotens est; ideoq;
2.Tim.4. & bona vult, & mala potest. Hunc cole, vt bonũ sentias; time,
Ioan.14.16. ne iustum, & potentẽ experiaris. *Quinto*: Quia fidem viamque
cœli verã docet. atq; in hoc à spiritu erroris, qui in hęreticis, &
Pseudoprophetis loquitur, differt. Hunc Ecclesiæ perpetuum
spopõdit Christ⁹, & alijs quãdiu Ecclesiæ inhęrent; secus si ab
Esai.11.2. ea recedant. *Sexto*: Quia per dona sua, de quib. Isaias agit, veri-
tatis gustum dat. præcipuè vero per illa quatuor, quæ intelle-
ctum perficiunt. *primo*: per donum *intellectus*, quo cũ gustu ver-
Act.10.44. bum Dei sentimus. sicut Cornelio eiusque familiæ accidit. *se-*
cundo: per *sapientiam*, quæ rerum Diuinarum cognitionẽ dicit;
1.Cor.2.6. qua pleni fuerũt Apostoli, & Paulus *sapientiam loquens inter per-*
fectos. tertio: per *scientiam*, quę est vera creaturarũ cognitio. mul-
ti eas magni æstimant; vt honores, opes, &c. sed Spiritus S. va-
Philip.3.7. nas ostendit, & incertas; vt cũ B. Paulo *stercora* putẽtur. *quarto*:
per *consilium*, quo & nostra omnia, & proximos ad Dei honorẽ
dirigimus, secundũ Apostolum. hoc autem spiritu quia multi
carent, etiã male consultant, & iudicant. B. Matthæus, quod
Iphigenię virginitatem suasisset, ad altare occiditur. & multas
Romę calumnias passus Hieronym⁹, quod matronas aliquot
sæculo eduxisset. Vide quantum rogandus pro hoc spiritu
Deus, ne vel sibi, vel alteri, quisquam male consulat.

V. *Qui à Patre procedit*. Quarta hæc Spiritus S. commendatio.
significa-

significatur enim vnus cum Patre Deus, à quo, non vt creaturæ ad extra; sed ad intra procedit; adeóq; sicuti Filius cũ Patre, ita & ipse, naturam eãdem habet, dignusq; est vt desideretur. Græci hic toti sunt, vt Spiritum S. ostendant à Patre solo procedere; sed contra mentem Christi. circa quam inquirere potius debebant, cur facta hic solius Patris mentio. Semper hæretici ab authoritate negatiua argumentãtur; verbi gratia, hoc nõ reperitur in Scriptura. *Ergo*. & nesciunt eadem forma reijci posse 4. Euãgelia, imo scripturam omnem. Negationes hæ, vt efficaciter concludant, ad propositiones affirmatiuas reuocari debent, verbi gratia. Scriptura vetat cultum SS. &c. sed nũquam has probabunt hæretici, similiter hic, si Græci velint arguere efficaciter, hac propositione vti debent; Scriptura negat Spiritum S. à Filio procedere. nam si tantum negatiua authoritate nitantur, eadem ratione dicant; Pater reuelauit Petro mysterium incarnationis ergo non Spiritus S. item; *de hac hora nemo scit nisi Pater*, ergo nec Filius, nec Spiritus S. denique; *Spiritus S. docebit vos omnia*. ergo non Pater, nec Filius. Quicquid ad extra est, toti Trinitati commune est: similiter in attributis ad intra, commune est, quicquid non importat relatiuam oppositionem: tale vero est esse Filium, & spirare actiue. Cur vero solius Patris hic fiat mentio, potest dari triplex ratio. *Primo*: Quia Pater principium est sine principio: ait post Augustinũ Bernardus. & hoc sensu *Spiritus principalis* dici posset. *Secundo*: Quia cum dixit Christus, *quem ego mittam vobis*: satis insinuat, se Spiritum sanctum spirare. *Tertio*: Vt discamus Spiritum sanctum non esse minorem Christo, quia cum eo idem principium habet.

Matth. 16. 17. *Marc. 13. 32.* *Ioan. 14. 26.* *Lib. 1. cont. Maxim. c. 14.* *Bern. serm. 3. de Pentecost.* *Psal. 50. 14.*

Secundo: Significatur hic, quantum nobis Spiritus S. conferat. nempe; potentiam Patris, sapientiam Filij, ac bonitatem suam. etsi enim tres Personæ sint vnus Deus, singulis tamen, certis de caussis, attributa quędam appropriamus. nempe; Patri, fortitudinem. *primo*: quia Trinitatis principium est. *secundo*: vt discamus in Diuinis non sentiri defectum, vel corruptionem, ex paternitate. Creauit enim Pater initio omnia, & nunc quoque eadem potentissime gubernat. cum ergo Spiritum sanctum accipis, qui à Patre procedit, simul Patris potentiam

Attributa Diuinarum Personarũ per appropriationẽ. Patris.

accipis. elucet autem potentia hæc *primo* : in dæmonum & idolorum extirpatione, quorum etiam nomina iam nesciuntur; nisi quod plus nunc habeant ignominiæ, quam olim habuerint gloriæ. *secundo*: in modo extirpationis; neque enim hæc à multis, per vim facta externã; sed à paucis, piscatoribus,
Domi. 1. post Epiph. nu. 2. notab. 2. per verbum Dei. *tertio*: per stupenda miracula in sanandis infirmis, suscitandis mortuis, &c. *quarto* : in superandis tormentis, grauissimisque cruciatibus. vbi non virorum duntaxat, sed fœminarum quoque, imò & infantium virtus eluxit, vti ex commemorato aliàs exemplo liquet. *quinto*: in superandis vi-
1. Pet. 4. 4. tijs, & animi passionibus. Hinc Gentiles miratos testatur Pe-
Prou. 16. 32. trus, de cita Christianorum conuersione; & Salomon, *Meliorem* dicit *patientem viro forti*, eumq; *qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.*

Attributa Filij. Filio sapientiam tribuimus; tum, quia est verbum Dei immanens, sicut & verbum mentis in nobis manet; tum, quia nihil ignorat, sicut filij hominum. Attulit autẽ Spiritus S. Ecclesiæ à Filio sapientiã. *Primo*: quia eam ab omni errore fidei præseruat, & contra hæreses instruit. *Secundo* : quia eam dirigit vt leges sanctas condat, & salutares. *Tertio*: quia Catholicis singulis tantum infundit fidei, & prudentiæ, vt omnibus Gentilium Philosophis præstent. *Quarto*: quia pijs dat tam singularem fidei gustum, vt de eius veritate nihil dubitent. *Quinto*:
Luc. 21. 15. quia *sapientiam* dat, & eloquentiam, aduersus fidei hostes; ita
1. Petr. 3. 15. vt hi *nõ possint* eis *resistere*. qui *parati sunt rationem reddere omni poscenti*. *Sexto*: quia non illuminat tantum, sed etiam emollit ani-
a Act. 4. 4. mos, vt fidei facile acquiescant. B. Petrus semel quinque,[a] &
b Act. 2. 41. alias tria [b] Iudæorum millia conuertit. & B. Catharina adhuc iuuenis 50. doctissimos Philosophos sibi ad martyrium præmisit, ex infidelitate conuersos.

Attributa Spiritus S. Spiritui S. bonitatem appropriamus. quia amor Patris, & Filij est, docetq; nos misericordiam, & bonitatem. Lex vetus
Deut. 23. 3. pœna talionis plena fuit; ita vt Moabitas, & Ammonitas, ad
Exod. 17. 8. decimam vsq; generationem templo arceret; & Amalecitas
Deut. 25. 19. iuberet internecione deleri, eo quod afflixissent aliquãdo Is-
Esth. 9. 16. rael. Esther quoque ab Assuero plus quam 70000. hominum cædem impetrauit. at vero Spiritus S. neminem ab Ecclesia exclu-

excludit; sed peccata pœnitentibus remittit, imo pœnitẽtiam eis dat, facit vt pro persecutoribus cum Stephano, & Iacobo, oremus, & multa, cum Apostolo, pro aliorũ salute patiamur. *quotidie*, inquit, *morior per vestram gloriam.* &, *si immolor sacrificium & obsequium fidei vestræ gaudeo.* B. Paulinus vt viduæ filium redimeret, se barbaris seruũ vendidit. & B. Sanctulus vt Diaconum à morte liberaret, se Longobardorum gladijs obiecit, præsidioq; B. Ioannis defensus, ab eisdem & sui & aliorum, liberationem impetrauit: cum nihil aliud à Longobardis pro munere admitteret. 1. Cor. 15. 31. Philip. 2. 17. Greg. 3. dialo. c. 37.

Porrò tria hæc etiam nunc in Ecclesia vigere, experientia docet. nam *primo*: fortitudinem exhibent Religiosi, in cõtemptu mundi, parentum, & amicorum; in passionum victoria & pœnitẽtijs. pollent quidem bruta corporis robore, sed maior est quæ corpus, carnẽq; domat. priorẽ habuit Samson, posteriore aliquando caruit carnis tentatione superatus. *secundo*: in eisdem sapientia relucet, cum Superioribus suis parent. vnde *primo*: quietẽ vitæ & conscientię consequuntur. *secundo*: duplex actionum suarum meritũ; habent enim eę & ex obiecto, & ex obedientia bonitatẽ; cum hæc etiã ea quæ ex obiecto indifferentia sunt, bona reddat. *tertio*: bonitatẽ habent; tum, in facultatum suarũ elargitione, ad ingressum Religionis; tũ, in proximorum subuentione, quibus omnia ad cœlum media cõcionum, audiendarum confessionum, &c. subministrant. *Secũdo*: tria hæc dona omnes pij habent; nempe, fortitudinem, in expugnatione passionum; sapientiam, quia terrenis cœlestia, perituris æterna, morte vitam, & exiguis emunt eximia; bonitatem, dum alijs vt possunt opitulantur. Tu quoque fortiter in bono perseuera, & prudens esto, ac charitate arde. Ecclesia habet tria hæc appropriata. Iudi. 16. 27.

VI. *Ille testimonium perhibebit de me.* Vltima hæc Spiritus S. cõmendatio; q̃ de Christo bonũ perhibebit testimoniũ. venit enim Christus ad nos per Dei amorẽ, *qui sic dilexit mundũ, vt omnis qui credit in ipsum nõ pereat.* & inter fidei articulos vnus est; quod de Spiritu S. Christus sit cõceptus, sicuti B. Mariæ, & Iosepho Angelus prędixit. deinde: aduentũ Christi lõgè ante per Prophetas Spiritus S. ꝓmiserat, eũq; iam incarnatũ *virtute*, vt loquitur Petrus, *& Spiritu S. Deus vnxerat.* Tristabãtur Apostoli quod se Ioan. 3. 16. Luc. 1. 20. Matth. 1. 35. Act. 10. 38.

Ioan. 15. 16. audierant [a] in orbem vniuersum dispergendos, & [b] *ante Reges*
b Mar. 13. 9. *ac Præsides* sistendos, mundo [c] odibiles: itē quod Christū ipsum
c Matt. 10. 17.
d Matt. 20. 18. audissent [d] *flagellandū, & crucifigendum*. Tristabantur inquā *primo*: quod se tanto muneri scirent inidoneos; quia nauib. magis, & piscationi assueuerant; quam aulis, & concionibus. *secundo*: quod viderent difficillime inducendos homines, vt eū crederent Deū, quē electus Dei populus, & Præses Romanus occidisset, morte tam indecora. *tertio*: quod tanto sæculorū, & gentiū, consensu recepta idololatria, nō videretur posse expugnari. *quarto*: quia mortē, tormētaq; horrebant. hęc ergo vt in eis sanet Christus, Spiritum S. promittit, qui *primo*: sit *sapientia* eorum, & *os cui nemo possit resistere*. quiq; in eis locutur[9] sit. sicut
2. Corin. 13. 3. & Paulus *Christum* dixit *in se loqui*. *secundo*: qui virtute, & miraculis fidei veritatē persuadeat. vnde Apostolus: *Sermo meus non*
1. Cor. 2. 4. *in persuasibilib. humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & vir-*
3. Reg. 19. 11. *tutis*. *tertio*: qui idola facile subuertat, quia *subuertit montes, & conterit petras*, & *Euangelium eius, virtus Dei est*. *quarto*: qui dabit vt
Rom. 1. 16.
Act. 5. 41. etiam gaudeant, si habeantur *digni pro nomine Iesu contumeliam*
2. Cor. 12. 10. *pati*. & *glorientur in tribulationibus*.

Nota *Primo*: Testimoniū Spiritus S. in duob. pręcipuè consistere. *primo*: in miraculis; q̄ vel per se, vel per sāctos, ipse fecit;
Act. 2. 2.
Act. 10. 44. vt cū super Apostolos, & Corneliū, aliosq; descendit data eis linguarū cognitione, & operatione signorū, & prodigiorum. *secundo*: in cordis emollitione; quando vel miracula videmus, vel cōciones audimus, vel inuictā martyrū in tormentis con-
Apolo. 4. ad Senat. stantiā. de seipso testatur B. Iustinus, quod ad fidē nostrā conuersus sit, quia impossibile iudicabat, vt sine Dei amore ho-
Suri. 10. Nou. mines nō fortiter tantū, sed & libēter mortē pro Deo suo oppeterent. inuicta Pryphonis fortitudo Respicium Centurionē
Metaph. 19. Sep. c. 3. cōuertit, & Heliodorum iudicem Trophinus in tormētis sic alloquitur: *Noli arbitrari fieri posse vt nos fragiles, homunculi, tam diros queamus perferre cruciatus, nisi Diuinæ opis auxilio, quo pœnæ edul-*
Dani. 3. 27. *corantur, muniremur, ac corroboraremur*. fit autē hoc, *primo*: si Deus actiuitatem caussæ secūdæ suspendat. sic nō adussit ignis pueros in fornace; nec B. Luciam pice ac resina cinctam. Similiter
Dan. 6. & 14. leones multi sanctis pepercerunt. *secundo*: si agant quidem illę, & dolorē inferant; sed ille ab interiori gaudio quasi sopiatur,

& ob-

& obstupescat.qui ex pruritu ad sanguinem vsq; scalpit,delectationem magis,quã dolorem sentit; sic martyrum multi in grauissimis tormentis testati sunt,nunquã se tãtopere gauisos. *Marcus & Marcellinus 18 Iunij.*
tertio: si dolorem quidẽ sentiant,sed fortiter triumphent:sicut qui veste,& cibo munitus,aduersum ventũ perrumpit. B.Saba Gothus Atharido iudici respõdebat;sentire se dolores inexplicabiles,sed eos propter amorem Dei contemnere.Ex his & martyres ipsi,& alij de ipsis,certum habent testimonium, certamina eorum laboresque Deo placere. *Tom.2 Sur. 12.April.*

Nota *Secundo*:Nec concionibus,nec miraculis,nec martyrijs efficaciter conuerti homines, sine gratia interiori. quid enim potuit suscitatione Lazari esse præstãtius?& tamen Iudęi ex ea facti sunt peiores:neq; hoc ex Spiritus S.defectu est; sed ex hominum surditate,& obstinatione.ideoq; si interi⁹ à Spiritu S.vis moueri,animum à culpa,& passionibus libera. *Ioan.11.*

Nota *Tertio*:Testimoniũ hoc Spiritus S.etiam nunc in Ecclesia permanere.habuit illa omni tempore miraculis coruscos, habuit vitæ austeritate conspicuos,habuit deniq; alienæ salutis desiderio, & fiducia in Deũ flagrantes. quæ omnia nõ nisi à Spiritu S.sunt.vide vt ab eodem tibi testimonium reddatur, *quod sis Filius Dei* (quod fit in cõscientiæ puritate)& vt alijs hoc probes:hos enim si ad pietatem exemplo prouocas, etiam sine miraculis te filium Dei monstras: quia non est miraculum exiguum,cum Loth inter malos esse pium.Caue à diaboli testimonio, quod ille omnibus mortaliter peccantibus perhibet;sicut & homines ipsi, si publico peccato eos scandalizas. quemadmodum omnes quos ad bonum prouocas,in futuro tibi erunt ad augmentum gloriæ; sic contra quos ad malum ducis,etiam solo exemplo erunt ad incrementum pœnæ. *Rom.8.16.* *2.Pet 2.7.*

Et vos testimonium perhibebitis,quia ab initio mecum estis. Dupliciter de Christo testimonium perhibuerunt Apostoli. *Primo:* Cum per eos,tanquam organa,Spiritus S.loqueretur;præsertim in disputationibus,& concionibus contra infideles:sicuti & nunc per sanctos Concionatores quosdam fit.atq; ita locũ hunc accipit Augustinus.etsi Apostoli tunc non fuerint testes à Spiritu sancto distincti. *Secundo*: Cum, vt homines Christo familiariter ab initio vsi,ea testatentur, quæ viderant, & audierant. VII. *Matt.10.2* *Tracta.93.in Ioan.*

Act. 4. 20. dierant. *Non possumus*, ait ille, *quæ vidimus & audiuimus non loqui.* *Act. 2. 23.* *Horum quippe omnium testes sumus.* *Act. 5. 32.* *Nempe speculatores facti illius ma-* *2. Pet. 1. 18.* *gnitudinis, cum ipso in monte sancto fuimus, & vocem de cœlo allatam* *1. Ioan. 1. 1.* *audiuimus.* vnde & Ioannes, *quod fuit ab initio, quod audiuim⁹, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, testamur, & annuntiamus vobis.* Ideoq; Petrus in *Act. 1. 21.* locum Iudæ testem requirens. *Oportet*, ait, *ex his viris qui nobiscũ* QVÆSTIO. *sunt congregati testem resurrectionis fieri.* Quæres. Quorsum Chri- *Act. 10. 43.* sto tam multi testes cum *Prophetæ omnes ei testimoniũ perhibeant,* *Luc. 2. 13.* Angeli, & stella, in natiuitate; *Matth. 2. 2.* Anna, & Simeon, in templo; Io- *Luc. 2. 36.* annes Baptista, in eremo; quin & *Pater* trina voce, *Spiritus S.* in *Ioan. 1. 15.* specie columbæ, & *Verbum* ipsum doctrina, & miraculis. Respondeo id factum. *Primo*: Ob fidei docendæ arduitatẽ; quam *Isai. 53. 1.* intuitus olim Isaias: *Domine exclamat* BRACHIVM *Domini cui reuelatũ est? Vidimus Eum & non erat aspectus, & quasi absconditus vultus eius, & despectus, &c.* quasi dicat, nemo hęc dissita facilè coniunget, & de eodẽ vtraq; credet? *Secundo*: Ob fidei necessitatẽ; *Act. 4. 12.* quia *non est aliud nomẽ datũ hominibus, in quo oporteat saluos nos fieri.* *Tertio*: Ad Redẽptoris nostri maiestatẽ; nã Regẽ quanto fuerit dignior, tãto plures præcurrunt, & sequuntur satellites. *Quarto*: Quia si adhuc datis tam multis testibus multi nõ credunt, vtiq; paucioribus testib. pauciores credidissent. *Quinto*: Vt discamus non recipere aliquid tanquã Spiritus S. testimoniũ, nisi *Galat. 1. 18.* ab Apostolis, vel Ecclesia proponatur, ne fraus subrepat. Paulus etsi à Deo doctus esset, Hierosolyma tamen ascẽdit, vt doctrinam suam cum alijs conferret. signanter autem testes suos describit Christus: *Vos qui ab initio mecum estis.* nempe, qui fidem *Tertul. lib. de præscrip. c. 6.* ad Apostolos vsq; reuocatis; quod præter Ecclesiam, Catholicã possunt nulli; ideoq;, verũ quod illa; falsum, quod isti docent. quia nec ad Apostolos, adeoque nec ad Christum, reducere sua possunt. *Sexto*: Quia per Apostolorum ministeria Spiritus S. reddit testimonium, & operatur in concionibus, & Sacramentis. *Septimo*: Ne otiemur, si Spiritus sancti testimoni- *Aug. ser. 15. de verb. Apost.* um volumus; neque enim saluabit nos Deus sine nobis. *multi verbis confitentur se nosse Deum, & factis negant*: quia quis- *Tit. 1. 16.* quis peccat, Christum videtur negare inspectorem omnium, & iudicem. quantum facta dictis præstent vidit Iulianus Apostata;

apostata; qui cum multos cerneret ad Christianismum, ob vitæ in eo sanctimoniam, conuerti: etiam suis Sacerdotibus gentilitijs sanctitatem indixit. *Octauo*, Vt Spiritus sanctus in nobis effectum discamus, quemcunque enim tangit, immutat, & idoneum Christi testem parat. *Tria* autem sunt testi bono necessaria. *Primo*, Vt sit de re certus. *Secundo*, Vt in ea constet. *Tertio*, Vt vita commendetur, atque tria hæc Spiritus sanctus infundit: dat enim fidei certitudinem & in sanctitate constantiam ac commendationem apud alios. Non vult Christus, nisi testes, qui ab initio fuerunt cum ipso, nec à statu gratiæ refugerunt: atque his præmij loco vicissim apud Patrem, & Angelos testimonium reddit: ideoque noli de fide tua, vel opere bono erubescere, quia turpe non est rideri à multo, laudant omnes sui similem: si ergo à malis honorem, & laudem quæris, eorum similis es.

Epist. ad Arsac Ponti. apud Sozom. l. 5. cap. 15.

Testi bono necessaria.

Matth. 10. 32. Luc. 12. 8.

VIII. *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalisemini.* Multa Christus in vltima cæna dixerat Apostolis, de aduentu Spiritus sancti, de morte sua, & abitu ad Patrem, de futuris persecutionibus, &c. hic vero causam cur ea prædixerit explicat. Nempe, *primo:* vt iacula præuisa minus ferirent, neque essent occasio peccati. *Dein:* Quia præscita nonnunquam vitantur. *Tertio*, Vt me cognoscatis Deum, & voluntarie omnia passurum. *Quarto*, Ostendet Spiritus sanctus fructum mortis meæ; & causam, cur etiam iusti multa hic patiantur.

Nota *primo*, Verbum *Scandalisare*; idem esse, quod *offendere*, sic lapis in via, lapis *offensionis*, & *scandali* dicitur: in Scriptura vero accipitur pro *lapsu animarum*, estque *dictum, vel factum minus rectum, occasionē spiritalis ruinæ præbens.* Et pro personarum diuersitate, crescit: sicut enim ad minora pueri cadunt, quam viri, & ebrij, ac imprudentes facilius, quam sobrij, & prudentes; sic aliqui ex malo paruo, aliqui etiam ex magno bono scandalisentur; cum Iudæis, quibus Christus, *Dei virtus & sapientia scandalum erat.*

S. Thom. 2. 2. q. 43. art. 1. Scandali definitio.

1. Cor. 1. 24.

Nota *secundo*, Scandalum in scandalisato, vel ex infirmitate, vel ex ignorantia, vel ex malitia oriri: infirmitas, puerorum est, & debilium, sic olim primi Christiani offendebantur, si

alij comederent porcinam, & hodie multi, si duos diuersi sexus videant coniunctos. ignorantia, eorum est qui causam facti nesciunt, vt si quis hominis Catholici ancillam videat, in quadragesima carnes emere; nec cogitet id fieri pro infirmis. Malitia, hæreticis conuenit, & obstinatis, qui non merentur liberationem, vel opem: iuxta illud Christi: *finite illos, cæci sunt, &c.* Alijs autem, quantum possumus, opitulari debemus, exemplo Christi, qui Apostolos hic *primo* docet mortis suæ necessitatem, aliaque futura, contra ignorantiam: *Deinde* eos Spiritu sancto roborat, contra infirmitatem, plenissime tamen roborati sunt in die Pentecostes, cecidit autem Petrus non obstantibus his Christi verbis, quia modum, directionemque Christi non seruauit, nempe, vt vigilaret, & in nomine Christi constantiam peteret.

Matt.15.14. *Matt.26.41.* *Ioan.16.23.*

Scandalum fit.

Disce *primo*, Nemini dare scandalum: fit autem scandalum quatuor modis. *Primo*, Si quis malum agat, vt alios scandaliset, & hoc est plenum scandalum. *Secundo*, Si peccet, nec tamen intendat scandalum, etsi coram eis peccet, qui scandalisari possint. *Tertio*, Si agat aliquid quod in se malum non est, habet tamen mali speciem. *Quarto*, Si non consideratis circumstantijs, agat indiscrete aliquid, quod facile discrete fieri posset: vt, si citra necessitatem, solus cum sola sit, audiens confessionem. Quantum vero cauere à scandalo debeamus, Christus insinuat euidenter: *Melius est*, ait, *si lapis molaris imponatur circa collum eius, & proijciatur in mare, quam vt scandaliset vnum de pusillis istis.* Quæ verba, etsi omnibus, præcipue tamen Prælatis consideranda sunt: nam cum omnes ad promouendam proximorum salutem destinemur, quid erit si eam impediamus?

1. 2. 3. 4.

Luc.17.2.

Disce *secundo*, In nullo scandalizari, est enim hoc sanctitatis indicium: *Pax multa*, ait Dauid, *diligentibus legem tuam, & nō est illis scandalum.* & Ioannes: *Qui diligit, scandalum in eo non est*; quia quicquid videt, in bonum interpretatur, vel minuit, vel peccatoris miseretur: neque malū proximi inuulgat, sed potius coram Deo deplorat. Aureè monet Bernardus: *Caue alienæ conuersationis, aut curiosus esse explorator, aut temerarius iudex. Etiamsi quid perperam actū deprehendas, nec sic indices proximum, magis au-*

Psal 118.165. *1.Ioan.2.10.* *In fine serm. 40. super Cant.*

gis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, dicito apud temetipsum, hac vehemens fuit tentatio. Quid de me illa fecisset, si similiter accepisset in me potestatem.

Nota *tertio*, Non dixisse Christum, *ne quid scandali occurrat*; sed, *ne scandalizemini*. Quia, *impossibile est, vt non veniant scandala*. *Primo*, Enim mundus vitijs scatet, quæ detractionis materiam sæpe in congregationibus ministrant. *Secundo*, Rapitur homo ad diuersa cogitanda, quæ nisi reijciat, cito scandalisabitur. De Apostolis dictũ, quod nocte essent scandalisandi, & Petrus eadem nocte resipuit. Monet Paulus vt *sol non occidat super iracundiam nostram:* idem vero est de omni peccato. Trahunt enim omnia ad vlterius malum. Ab his ergo statim expedire, imo si ex facto tuo alteri scandalum factum videas, eidem id quam primum exime reddita facti tui ratione: sic cum ægrotanti Arsenio puluinar esset substratum, veniensque ad eum Anachoreta alius, ex hoc offenderetur; minister Arsenij eum seorsum ducens; *Qualis*, ait, *erat vita tua antequã monastico te dederes instituto?* Cui ille, *magna profecto rerũ premebar necessariarum inopia, egestatisq; mala mirũ in modũ me angebãt*. Cui Sacerdos, *Sed hic*, inquit, *quẽ vides, Arsen. Pater erat imperatorũ, maximis interim cumulatus honoribus, opibusq; adeò vt delitijs affluens, sumptuosis adsueuerit stragulis. Quocirca tibi quidẽ qui nũc inter monachos versaris, lõgè facilior est vita, minusq; molestijs obnoxia vt qui sis à prioribus paupertatis liberatus angustijs, qui autẽ ex tãta opũ delitiarũq; affluẽtia suapte spõte monasticæ se subdidit inopiæ, eamq; nunc æquissimo tolerat animo, quo modo non etiam dignus est, qui in pretio, admirationeq; habeatur.*

Luc. 17. 1.

Ephes. 4. 26.

Extant apud apud Sur. Tom. 4. 19. Iulij.

Nota *quarto*, Fructum locutionis Christi esse, remedium contra scandala: adfert enim verbũ Dei doctrinam, & consolationẽ; nempe, remedium cõtra peccata, solatium contra aduersa, & patientiam: ideoque ardẽter, & digne suscipi debet.

Absq; Synagogis facient vos. Addit hæc Christus. *Primo*, Vt Apostolos contra ea præmuniat. *Secundo*, Vt modum propagandi Euangelij doceat. Quasi dicat, non vi, & armis, vt Alexander, alijque pugnabitis: modus enim hic nec nouus, nec mirus est, sed patientia, & morte, quibus si triumphetis, IX.

vtique

vtique id nouum, mirum, ac diuinum est. Quomodo enim qui vrbe eijcitur, eam ad se trahet? Quomodo occisus occisorem vincet? Modus hic Ecclesiæ proprius est, nec primis tantum Ecclesiæ temporibus, quæ 10. grauissimas persecutiones senserunt; sed etiam nostris conuenit, cum in nouo orbe, vbi à Patribus Societatis nostræ, & alijs, plantata primum fides, nemini per vim obtruditur, sed per Sanctorum laborem seritur, & sanguine rigatur. Hæreticorum, & infidelium est, dogmata sua gladio propagare, vt Mahometus fecit, & ante eos Constantius, ac Valens, Ariani, quos secuti in Francia Albigenses, in Bohemia Hussitæ, in Anglia & Belgio Caluinistæ, Monasterij & Amstelo-dami Anabaptistæ. Voluit fidei veræ Deus modum peculiarem, vt eius veritatem comprobaret, eamque sua potentia promoueret, *qui à fine vsq; ad finem fortiter attingit*, Sap. 8. 1.

Nota *primo*, Duos esse persecutionis modos. *Primus* est, per excõmunicationem. Quem significat Christus cum dixit: *Absq; Synagogis facient vos*, est autẽ *Synagoga*. *Primo*, nomen [a] Iudaicæ congregationis; sicut apud nos *Ecclesia*. & in hoc ab Ecclesia differt, quod nomine suo *coactionem* significet, *Ecclesia* vero euocationem, vt Iudæos discamus seruos, nos vero liberos. *Secundo*, Locum significat in quo Iudæi, præsertim Sabbathis, orabant, legem audiebant, & concionabantur: idque per totam Palæstinam: neque enim vt templum, & sacrificium, sic conciones, & Synagogæ extra Ierusalem erant illicitæ: nam & Centurio Iudæis Synagogam ædificarat, & Pharisæi vbique populum docebant, *sedentes super cathedram Moysi*.

a Num. 4. 34. & 16. 2.
Synagoga quid?
Luc. 7. 1.
Matth. 23. 2.

Nota *secundo*, Eiectionem hanc apud Iudæos magnæ fuisse ignominiæ; cuius metu, multi Christum non profitebantur; inflicta autem fuit cæco illi, & Apostolis, ac B. Stephano, sed quantum hodie nocumenti sentiunt Catholici, ex hoc quod ab hæreticorum colluuie arceantur, tantundem tunc, ex Iudæorum excommunicatione, sentiebant fideles: imo nocebant Iudæi sibi ipsis. *Primo*, Quia se impediebant à participatione sanctitatis, & meriti illorum. *Secundo*, Quia eos fugabant, quorũ beneficio seruari potuissent: sicut Sodomæ steterunt,

Ioan. 9. 22.
Actor. 5. 34.
Actor. 7. 58.

steterunt, quamdiu fuit illic Loth: nec Ægyptij submersi, quamdiu non exierant Israelitæ: nec mundus inundatus, quamdiu in terris erat Noë.

Nota *tertio*, Excommunicationem Ecclesiæ magis timendam nobis: tum, quia maximo bono spoliat: tum, quia mala multa inducit. *Primo*, Per eam homo Ecclesia eijcitur, sicut Adam paradiso, & Augustinus eam *morti* comparat, qua in veteri lege puniti obedientes; idemque habet Cyprianus, imo insinuauit hoc Apostolus, cum de excommunicato ait: *tollatur è medio vestri*, est ergo, sicut mors, malorum omnium extremum: ait Augustinus. *Secundo*, Priuatur homo administratione, & susceptione omnium Sacramentorum, perinde ac si nunquam fuisset baptisatus; vt docet Innocentius. *Tertio*, Priuatur communibus Ecclesiæ suffragijs Sacrificij, & precum, licet tamen priuatim pro eo orare, etiam sub Canone in *Memento*. *Quarto*, Priuatur cõmunione omnium meritorum Ecclesiæ communium; per ieiunia, eleemosynas, &c. potest tamen pro eo priuatim quis bona facere. *Quinto*, Prohibetur sub pœna noui peccati interesse Sacrificio; ad conciones tamen admittitur. Atque has 5. pœnas insinuat Christus, cum dixit: *Sit tibi tanquam ethnicus*: nam ethnici ab his quinque bonis arcentur. *Sexto*, Non licet cum eo comedere, neque eum in ædes admittere, aut salutare, quod tamen cum ethnicis licet. Polycarpus [a] Marcionem salutantem, *primogenitum* vocabat *diaboli*: & B. Ioannes [b] Cerinthi balneum fugit, ne eo opprimeretur. Calixtus Papa ab Apostolis scribit statutum, vt qui cum excommunicato communicat, excommunicatus etiam sit: ideoque cum anno 448. Eutyches Constantinopoli esset excommunicatus, vetuit S. Flauianus Constantinopolitanus Patriarcha, ne quis ei communicaret. De Ceadda Episcopo narrat Beda; quod cum Sigbertus Rex, cum Comite ab eo excommunicato pransus esset, Episcopus postea ei occurrenti, & veniam deprecanti, responderit: *Dico tibi, quia noluisti te continere à domo damnati illius, tu in ipsa domo misere exspirabis*. & paulò pòst, in domo eadem interfectus est, à duobus nobilibus, quibus nulla erat eius occidendi causa: *Nisi quod ille suis parcere solet inimicis & illatas ab eis iniurias, mox obseruan-*

Excommunicatio.

Gen. 3. 27. Quæst. 39. in Deut. Deut. 17. 12. item 24. 7. 1. Cor. 5. 2. Lib. 1. Epist. 11. de correpť. & gra. c. 15. & c. 2. lib. de fide & ope. Epist. 1. ad Decen. c. 3.

Matt. 18. 17. 1. Cor. 5. 11. 2. Ioan. 10. a Iren. l. 3. c. 3. b Ibid. & post eum Euseb. Pamph. lib. 4. hist. c. 13. Epist. 2. c. 2. 11. Quæst. 3. c. Exco.

Lib. 3. hist. Angel. c. 22.

obsecrantibus placida mente dimittere. Restrinxit hanc pœnam Concilium Lateranense, sub Leone X. ad solos denuntiatos, & Clericorum percussores notorios: ita vt cũ alijs nunc communicare liceat, sicut & olim licuit cum gentilibus. *Septimo,* Infames sunt; vt Fabianus, & Stephanus Papæ docent: neque accusare possunt, aut testari, vel iudicare ideoq; cõtra vtriusque iuris statuta faciunt, qui officia eis delegant, qui aliquando hæreses auxilio, dicto, facto, fouerunt, vel professi sunt. *Octauo,* Carent Ecclesiastica sepultura: vnde Innocentius; *Sacris,* inquit, *Canonibus est institutum, vt quibus non communicauimus viuis, nõ communicemus defunctis, & vt careant Ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab Ecclesiastica vnitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint: vnde si contingat interdum, quod vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in cæmeterio Ecclesiastico tumulentur, si ab illorum corporibus discerni poterunt, exhumari debent, & procul ab Ecclesiastica sepultura iactari. Quod si discerni non poterunt, expedire non credimus, vt cum excommunicatorum ossibus corpora extumulentur fidelium: cum licet non obsit iustis sepultura nulla, vel vilis, impijs tamen celebris, vel speciosa non prosit.* Refert Vignerius; quendam in excommunicatione sepultum in loco sacro, socios rogasse, vt in loco profano tamdiu cadauer effossum sepeliretur, donec ab Episcopo acciperet absolutionem: qua accepta, cum iam illud ad locum sacrum referretur, audiuerunt omnes hanc vocem: *Benedictus Deus, qui iam mihi cœlum reserauit.* Etsi vero Ecclesia defunctos non excommunicet, sententia tamen in viuos lata manet; vel declarantur aliquãdo post mortem, ea in viuis digni fuisse: sic post obitum hæreticos aliquot, eorumque libros, Ecclesia nõ tam damnauit, quam damnatos declarauit. Possunt autẽ defuncti ab excommunicatione, quã viui incurrerunt, absolui: vti ex Gregorio patet. *Nono,* Clauditur eis cœlum, quamdiu nõ sunt Ecclesiæ reconciliati, manet enim Christi sententia: *Quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis*: si tamen quis cum plena contritione moriatur, nescius de excommunicatione, adeoque absolutionem non accipiat, Domini pietas interpretatiuam Ecclesiæ voluntatem habet ratam. est autem laudabile, vt singulis annis absoluantur per diœcesim generaliter

Nau. in Manu. c. 17. §. 35.

Epist. 2. ad Orient. 3. q. 1. infames.

De Sepult. c. sacris.

Vide lib. 11. ff. de c. puni. per Bart.

De Sacram. Ord. vers. 17.

2. Dial. c. 23.

Matt. 16. 19. & 18. 18.

neraliter omnes, qui cum pietate mortui sunt, nimia enim cautela non nocet, & multa nos latent. *Decimo*, Traduntur Sathanæ: vt de Alexandro, & Hymenæo, ac Corinthio, Apostolus docet, ita vt peculiare aliquod ius diabolus accipiat eos vexandi. In annalibus Cistertiensium narratur, fuisse anno 1440. Abbas in monasterio Corbeiensi, qui cum aureum annulum, quē amiserat, non reciperet, furem excommunicauit: erat autem ei coruus domesticus cicur, qui ab eo tempore tabescere cepit, & plumas amittere: cumque causam oēs ignorarent, *Forte*, ait quidam, *annulum furatus est, & excommunicationem sentit*. Itum inde ad nidum, &, annulo inuento, coruus reualuit, postquam Abbas furem absoluisset. Fecit hoc Deus, nō quod bruta excommunicatio tāgat, sed vt nos eam timeamus, quæ non minus animā hominis, quā corui corpus lædit. *1. Tim. 1. 20.* *1. Cor. 5. 5.* *De viris illustribus Ordinis Cistertiensis.*

Disce *primo*, Nihil æque ac excommunicationem, vt monet Augustinus, formidare. *Secundo*, Excommunicationem etiam iniustam noli spernere: *Ne* (ait post Vrbanum Gregorius) *is qui subest, cum iniustè forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam alia ex culpa mereatur.* *Tract. 11. in Ioan.* *Epist. ad omnes fide.* *Hom. 26. in Euang. in med.*

Sed venit hora, vt omnes qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Secundus hic exprimitur persecutionis modus; nempe, mors corporalis. Porro. *Sed*, diuerse exponitur. *Primo*, Augustinus sic exponit; Nolite excommunicationē eorum metuere, tātos enim facietis fructus, vt præ inuidia, alij ad vos occidendos sint incitandi. Est autē hoc solatij plenum, si homo animarū salutem appendat, neque se vllo metu ab vnius animæ salute impediri sinet. *Secundo*, exponit Beda. De excōmunicatione, & morte, gaudete; quia titulū habetis tā honorificum: neque enim tā vos, quā Deum persequuntur. Putabunt quidē se Deo obsequi, zelumq; habebunt, sed *nō secundū scientiam*. Disce hic zelū bonū nō excusare à peccato, neq; eum excusationis loco prętexas; mētiuntur aliqui propter lucrum, alij filios deuouent, quasi sic emēdentur, quidā inebriantur, vt sint hospitales; imo sunt quæ vt procos à sui ipsorū occisione liberent, fornicantur, sed errant omnes. Dixit Christus: *Si oculus* (id est intentio, ait, post Augustinum, [a] Gregorius [b]) *tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit*, non dixit, *bonus*, sed *simplex*: X. *Tract. 93. in Ioan.* *Rom. 10. 2.* *a Lib. 2. qu. Euang. c. 15.* *b 10. Moral. cap. 23.*

simplex: intentio autem *simplex* esse non potest, seu pura, vbi actio est praua: vnde recte Augustinus. Interest quidem plurimum, qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat. Sed ea quæ constat esse peccata, *Nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt.* Quæ vero ex se mala non sunt, ab intentione bonitatem, vel malitiam habent: vt dare eleemosynam, ex misericordia, vel vana gloria. Intentio bona non excusauit Saul, ab inobedientia: minuit tamen aliquãdo peccatum, vt in obstetricum Ægyptiarum mendacio factum. Audi Apostolum: *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.* Plus malitiæ habet minimum peccatum, quam omne totius mundi lucrum habeat boni. *Tertio,* Cyrillus exponit, vt non consolationem, sed maiorem importet tribulationem. *Primo,* Quia non à Iudæis solum, sed ab omnibus erant passuri. *Secundo,* Quia ad necem erant quærendi, neque enim Apostoli solum ἐπιθανάτιοι, vt eos B. Paulus vocat; sed Christiani omnes βιαθάνατοι dicti sunt; Quasi *debiti morti violentæ. Tertio,* Quia hoc erat futurum, quasi Deo gratissimum obsequium: vbi significatur *primo,* eos tanquam scelestissimos interfectum iri, quasi Dei ira eorum morte reconcilietur. *Secundo,* Nullam pœnam æstimandam eis, tanquam in Deum blasphemis, sufficientem. Hæc autem proponit Christus, non vt Apostolos terreat; sed, *Primo,* Vt moniti vigilent. *Secundo,* Vt potentiam discant Spiritus sancti, contra omnia præualituri. *Tertio,* Vt nomine *horæ,* breuitatem pœnarum insinuet, omne enim tempus respectu æternitatis nõ hora, imo vix punctum est.

Lib. contra menda. c. 7. — *1. Reg. 15. 15.* — *Exod. 1. 19.* — *Rom. 3. 8.* — *Lib. 10. in Ioan. cap. 35.* — *1. Cor. 4. 9.* — *Tertull. lib. de ani. c. 57.*

Nota *primo,* Christum semper de aduersis locutum, vt de parentum relictione, maxillæ oblatione, &c. Quia sicut Reges sua habent insignia, quibus suos vestiant, sic insigne Christi T est, patientiæ Symbolum, & licet multos hæc turbent, tamen videant hi; *Primo,* Hac via susceptam à mundo Christi fidem: contingebat olim Ecclesiæ, quod nunc florentibus monasterijs: ad hæc enim accurrunt omnes, etsi nihil in eis, præter pœnitentiam, & labores audiatur. *Secundo,* Causas videant, cur iustis Deus aduersa immittat.

Iusti cur patiantur.

1. *Prima* est: Vt diabolum decipiat, qui quia continuo malo premi-

diabolum decipiat, qui quia continuo malo premitur, etiam hominibus malum quærit, & nescit Deum, sub malo quatuor abdidisse bona. *Primo*, Dulcedinem quandam, & rerum cōdimentum: sicut admixtione saccari sinapi dulcescit. *Secundo*, Peccatorum remissionem. *Tertio*, Meritum cœli; in hoc enim *oportet per multas tribulationes intrare*, & qui passus *Act. 14. 22.*
plura, magis illic splendebit. *Quarto*, Perfectionem virtutem: roboratur enim fides, quia æstimamus melius, quantus fuerit in Christo dolor. Spes fulcitur, merito patientiæ: charitas inardescit, sicut lapidum collisione ignem excutimus. Qui calceis vtitur, deterit eos; qui vero nudis pedibus ambulat, cutem magis indurat: hæc enim est viuæ, & mortuæ pellis differentia: similiter qui Christo viuit, roboratur adaduersis; qui mortuus est, frangitur. Hanc Christi vim quia nesciuit dæmon, succubuit. *Secunda* est, vt ad cœlum magis 2.
aspiraremus. In veteri Lege, bonis præmia spondebantur temporalia: cum ergo Apostolos, aliosque videmus bonos, nec tamen dari eis quicquam præmij temporalis; sed carcerem, verbera, mortes, recte colligimus aliam superesse gloriam, *ad quam passiones huius temporis non sint condignæ. Tertia*, *Rom. 8. 18.*
Vt statim ab obitu cœlo essemus idonei: sicut in templo olim 3.
malleus non audiebatur, eo quod omnia præparentur foris: *3. Reg. 6. 7.*
sic nihil in cœlo præparandum adhuc recipitur, sed omnia hic dedolari debent. *Quarta*, Ne voluptatibus his deliniti, 4.
tardiores essemus ad cœlum. *Quinta*, Vt ab inferno, & pur- 5.
gatorio caueremus: nam si huius sæculi aduersa ferimus difficulter, facile colligimus, ea quæ futuri sæculi, esse multo difficiliora. *Sexta*, Vt Christo conformemur, si Rex lugeat, 6.
vel pedes ambulat, idem faciunt famuli omnes, vt in Dauidis *2. Reg. 15. 17.*
exercitu patet. Nobis ergo ignominiosum erit, Christo passo nō pati; gloriosum vero, si eum quā proxime sequamur. *Septima*, Ne quis ex fide voluptatem quærat: nam si Chri- 7.
stum corona spinea, claui, crux; si Apostolos, aliosque, tormenta, & mors, ad gloriam duxit, noli aliam tibi viam promittere.

Nota *secundo*, Ecclesiam persecutiones pati ab Ethnicis, vt *Lib. 2. contr.*
ex primis Ecclesiæ initijs patet. Addit autem Augustinus, *Epist. Gauden. cap. 15.*

imo experientia, hæreticos: nam & hi quoties potuere, in Ecclesiam debacchati sunt. Ethnici tamen plus videntur habuisse rationis, quia pugnabant pro religione, tot iam sæculis recepta, cōtra fidem nouam, ab homine crucifixo annuntiatam: hæretici vero à fide recepta deficiunt, & nouam sibi statuunt. Deinde agebant ethnici per Personas publicas, in tribunali, & foro; hæretici vero priuatas instituunt lanienas, & singulis dant occidendi Catholicos potestatem: sicut in Africa olim Circumcelliones, & ante nos Thaberitæ fecerunt in Bohemia, & aliquando Caluinistæ in Hollandia.

Æneas Silu. hist. Bohem. cap. 40. 41. &c.

Nota *tertio*, Plurimos Ecclesiæ persecutores, cum vix ad horam floruissent, mala morte extinctos: quia *sanguinem seruorum suorum vlciscitur Dominus, & vindictam retribuit in hostes eorum.* Arius egessit intestina, Valens viuus luxit, Nestorij lingua ore erepsit viua vermibus. Hunericum Regem extinxerunt pediculi, Anastasium Imp. fulmen occidit, Constantius Arij fautor in expeditione mortuus hosti imperium reliquit. Iulianus Christum sensit in Media, quem negarat primum in Gallia; dumque imperium vult propagare, perdidit propagatum. Quis Lutheri, Zuinglij, Carolstadij, Caluini, Buceri, OEcolampadij, exitus fuerit, norunt omnes: & ab illo sibi caueant, qui idem cum illis sentiunt. Noli persecutione terreri, stat Ecclesia, & verbum Domini, hostes autem eius deficientes deficient.

Deut. 32. 43

Hieron. in Epita. Nepotia. cap. 11.

XI. *Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem neq; me.* Explicat hic Christus, quod dixerat: *Omnis qui vos interficit arbitrabitur se obsequium præstare Deo.* & ostendit non obsecutionem Dei, sed persecutionem fore, adeoque solatur Apostolos, vt cogitent se Deum nosse, eiusque legatos esse & filios.

Nota *primo*: Sicut Dei cognitio initium est virtutum, sic eius ignorantia radix est vitiorum. Qui Deum sibi patrem cogitat, amat quoque, & libens obedit: similiter qui iustū considerat, timet, & ab omni offensa abstinet: cōtrà verò qui peccat, *non diligit*, imo *nec nouit eum*, ait Ioannes: nam etsi eum esse credat, eius tamen amorem, iustitiam, &c. non attendit.

1. Ioan. 2.

Nota *secundo*: Ignorantiam Dei non excusare nos apud Deum. Sicut enim quisquis oculos habet, solem videt: sic qui habet

habet intellectum, nouit Deum: similiter neminẽ fidei ignorantia excusat, quia etiam hæc toto terrarum orbe sparsa est. Porro duplex in peccatoribus ignorantia distingui potest. Prior *Crassa* dicitur; vt si quis præ ingenij stupiditate decalogum ignoret, vel Symbolum: vel qui ob multitudinem occupationum non intendit ad diuina. *Multa*, inquit Bernardus, *scienda nesciuntur, aut sciendi incuria*, sicut multi negligunt cognitionem peccatorum; *aut discendi desidia*, sicut qui præ pigritia Dominicis diebus non adit conciones, vt audiat septimanæ inchoatæ ieiunia; *aut verecundia inquirẽdi*, quia pudet indagare. Ignorantia hæc neminẽ excusabit, quia culpa est, & ex culpa oritur. Posterior, dicitur *affectata*: cũ scienda spõte negligimus: sic multi à cõcionibus, doctisque cõfessarijs abstinent, ne iniquitatis arguantur: atque ea laborarũt Iudæi, & Ecclesiæ persecutores; imo & tu, quoties cõscientiæ monitiones nõ audis. Verum nec hæc ignorantia excusat, sed peccati noui causa est. Epist. 77. ad Hugon. de S. S. Vict. circa prin. fere.

Nota *tertio*, Eos qui Deum norunt, etiam Dei ministros nosse, & reuereri, ideo non dixit Christus: *quia nõ nouerunt Patrem meum*. sed absolute *Patrem*, etiam vestrum, quos persequuntur. sic Pharao: *Nescio Dominum*, ait, *& Israel nõ dimittam*. Exod. 5. 2. Dauid contrà, *mihi*, ait, *nimis honorificati sunt amici tui Deus*. & Psal. 138. 17. pius quisque, *malignos ad nihilum deducit, timentes autẽ Dominum* Psal. 14. 4. *glorificat*. Præterea qui Deum nouit, Sacerdotes Dei reueretur, neque in mores eorum inquirit: sicut & Dominos honoramus dyscolos, quia Dei ministri sunt. Recte Sapiens, cum dixisset: *In tota anima tua time Deum*: subdidit, *& Sacerdotes illius sanctifica: in omni virtute tua dilige eum qui te fecit, & ministros eius ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes*. Eccl. 7. 31. Exiguæ de Deo notitiæ indicium est, Sacerdotum inhonoratio: Zachariæ verba attendere deberemus; *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*, quicquid enim Dei ministris fit, Deo fit. Zach. 2. 8.

Nota *quarto*, Etsi ignorantia Dei, persecutionum Ecclesiæ causa fuerit: non tamen videtur fuisse sola; præsertim, cum primi Christiani sanctissime viuerent, aliosque, vt poterant, etiam miraculis iuuarent, sine remuneratione. Addunt ergo aliqui, alias 5. causas. *Prima* est; Ira diaboli, qui habens 1. Persecutionum Ecclesiæ causæ.

Apoc.12.12. *iram magnam*, Gentiles freno quasi *equos* circumagebat in
Apoc.9.17. Christianam fidem, cum ex huius promotione se sciret iri
2. perditum. *Secunda*, Quia & Iudæorum, & Gentilium Pontifices, ac Principes contemni timebant, si religionem susciperent, quæ fastum calcat, & humilitatem exaltat, vt hunc eis scrupulum eximeret Apostolus, frequenter subditis, ac
3. seruis, reuerentiam omnem, & obedientiam inculcat. *Tertia*, Quia præconceperant de Christianis prauam opinionem; nempe, eos omnium calamitatum causas esse: contra quam Augustinus doctissimos illos de ciuitate Dei libros conscripsit, & Orosius suam historiam, qua ostendunt, plures ante Christianam fidem fuisse calamitates in mundo, quam
4. post. *Quarta*, Quia docet fides nostra mundo ingrata, hanc
Ioan.7.7. odij causam Christus insinuat; *Mundus odit me quia ego testimo-*
Sap.2.12. *nium perhibeo de illo, quod opera eius mala sunt.* & Sapiens: *circum-*
5. *ueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris.* *Quinta*, Quia fides nostra religiones alias superstitionis damnabat, & idola ridebat, in quæ tam stulte totus mundus propendebat.

Cur mali oderint bonos & Ecclesiasticos.

Atque ex his, etiam causas licet colligere, cur bonos hodie mali oderint, & persequantur? præsertim; Ecclesiasticos, à quibus nihil præter spirituale subsidium sentiunt. *Prima*
1. enim causa; Diabolus est, qui illos ad malum omne impellit.
2. *Secunda*, Consuetudo peccandi, quam nolunt deserere. *Ter-*
3. *tia*, Metus futuri damni, aut irrisionis ab hominibus vanis, peccati olim socijs, vel aliud simile. Tu ergo pijs inhære, &
Matth.10.41 ex horum merito, merita tua auge; *Qui*, enim, *recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti mercedem iusti accipiet.*

XII. *Sed hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.* Explicat hic Christus, cur Apostolis hæc omnia prædixerit: nempe, vt eos præmuniret. Particula aduersatiua *Sed.* hunc sensum habet; Persecutores quidem vestram perditionem intendent, sed ego vitam, & salutem. Notat autem Beda, emphasin verbi *Ego*: nempe, qui plura multo passus sum, vt meo exemplo roboraremini.
Heb.12.2. *Oportet* enim *semper aspicere in authorem fidei, & consummatorem Iesum,*

Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem: vt *Christo in carne passo, & nos eadem cogitatione armemur*. Recordatio vero prædictionis, non Apostolos solum, sed Christianos omnes, tribus modis consolatur. 1. Pet. 4. 1.

Primo: Cùm aduersitates nostras cogitamus, Christo notas non minus, quam Apostolorum: etsi nobis tantum generatim dixerit: *In mundo pressuram habebitis*, &, *Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu persecutionem patientur*. Ioan. 16. 33. 1. Tim. 3. 12.

Secundo: Cùm aduersitates sentimus, etiam consolationes sperare debemus: qui enim illas prædixit, has promisit.

Tertio: Cùm Deum cogitamus & posse, & velle, nobis succurrere: de quo hoc certum, nulla ab eo nobis mala immitti, nisi maioris boni causa. Norunt enim verè Christiani, *primo*: Temporalia in se nec bona, nec mala esse, sed talia, qualia vsu ea facimus. *Secundo*, Animi profectum esse omni aduersitate temporali maiorem. *Tertio*, Non esse turpe, sed gloriosum, pro Christo pœnas, imo mortem pati. *Gloriosa*, enim, *in conspectu Domini mors Sanctorum eius*: ideo in omnibus ad Deum confugiunt, qui pro suo in nos amore, & iustitia, dabit post has lachrymas æternum gaudium: neque enim sinit, vel capillum de capite electorum perire. Noli ergo in aduersis desperare; si pro peccato pateris, cur de purgatione doles, & sanitate? sin pro Dei gloria, gaude; quod Christo vicinus sis; cui etiam eris pòst vicinior in gloria, quam ei quorum nulla hic lucta: multo enim splendidius est, aduersa pro Dei honore fortiter rumpere; quam sine impughatione, bono vacare. Psalm. 115. 5. Matt. 10. 30.

ORATIO.

Domine Iesu, qui in cœlum ascendisti, vt cœlestia dona à Deo Patre tuo ad salutem, auxiliumq; nostrū superne nobis demitteres, præpara quæsumus corda nostra, eaq; virtutibus exorna, vt solemnitate hac Spiritus sancti, dignum habitaculum effici mereamur. Procedit ille ex te, & Patre, amor vtriusque, & Deus & Deo, ideoq; ad eum dignè disponi debemus, præsertim cum veritatis sit spiritus, quam omnes desiderant, & testis filij Dei, qui cordibus nostris quæsumus testimonium reddat, quod simus filij Dei. Præterea Consolator est in aduersis, & Doctor, cuius ductu etiam nos, & verbo, & opere, de te testimonium præbeamus, te in aduersis simul ac prosperis confiteamur, aliosq; & agnitionem tui perducamus. Ita quæsumus bone Iesu, qui cum Patre, & Spiritu sancto, viuis & regnas Deus in sæcula sæculorum, Amen.

DOMI-


DOMINICA PENTECOSTES, SIVE IN SOLEMNITATE SPIritus sancti.

Euanglium Ioan. 14.



N illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius qui me misit, Patris. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia: & suggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neq; formidet. Audistis, quia ego dixi vobis: vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtiq;, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est. Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.

Breuis Euangelij Exegesis.



EVangelium hoc ex vltimo Domini sermone sumptum est, vbi Apostolis Spiritus sanctus promittitur, & Dominus se mundo post resurrectionem dicit non fore conspicuum, appariturũ tamen Apostolis, eosque visitaturum, quia non conueniebat, vt sæcularibus sese, sicut antè, exhiberet familiariter. Apostoli vero Dominum non intelligunt, sed de futura Iudæorum liberatione à seruitute Romanorum loqui putant, ideoque B. Iudas: *Domine*, ait, *quid factum est, quia manifestaturus es nobis te ipsum, & non mundo?* (Ioan. 14. 22.) Quasi dicat opinabamur hactenus, Iudæos omnes à te liberandos, quid ergo nunc solis nobis salutem addicis? Respondet autem Christus, præsentis Euangelij verbis; non Apostolos tantum, sed omnes qui ipsum diligunt, liberandos: nõ tamen corporaliter, sed spiritualiter, & ex tyrannide diaboli: vt autem constet, qui Dominum diligant, regulam certã ponit; nempe, qui sermones meos seruant. Atque his tria beneficia promittit *Primo:* Quod Pater eos diliget; quæ certe nõ vilis est gratia: tum, ob infinitam diligentis maiestatem: tum, quia amor Dei efficax est, & beneficus: sicuti sol, & fons. *Secundo:* Quod Trinitas tota eos inuiset, plus autẽ est visitari à Rege, quam diligi; quia visitans conditiones visitati melius videt. *Tertio:* Quod apud eosdem manebit, ex quo fit, vt homo ab omnibus corporis, & animi hostibus liber sit. Posthæc rationẽ Christus subdit, cur beneficijs his cariturus sit mundus: nempe, quia non diligit Christum, nec seruat sermonem eius:

quod

quod eſt eſſe Chriſto iniurium. & quia Chriſtus Patris ſui Verbum eſt, iniuria hæc etiam in Patrem redundat. Porrò quia iam hora captiuitatis inſtabat, & Apoſtoli videbantur plura rogaturi, ne ab eis impediretur Chriſtus, præuenit eos, dicens. *Hæc locutus ſum vobis apud vos manens.* quaſi dicat, paſſio inſtat, ſufficiant hæc iam, & ſi non intelligitis, nolite turbari: aperiet enim ea Spiritus ſanctus docens, *primo:* quæ ad ſalutem veſtram, vel Eccleſiæ conſtitutionem ſunt neceſſaria. *dein:* refricabit in memoriam vobis, quæcunque audiſtis ex m . & ſtatim addit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* quaſi dicat. Valete Diſcipuli: & pro memoria mei, non opes, ſed pacem accipite, & quidem *meam* : quam ego inter Deum, & mundum ſtatui. neque hanc promitto ſolum, vt mundus ſolet; ſed efficaciter *do.* Cumque hæc dixiſſet, Apoſtolos vidit turbatos, ideoque ſubdit: *ne turbemini:* quia breui reditum ſpondeo, iturus ad Patrem, qui *me,* reſpectu naturæ meæ humanæ, *maior eſt* : vt illic omni gloria corpus hic contemptum circumdem. quare ſi me diligitis, gaudete potius, & congratulamini honori meo: præſertim, cum & vos vtilitatem inde ſitis precepturi. vt itaque breuiter concludam. *Ecce iam non multa loquar vobiſcum.* Diabolus enim cum Iuda, & alijs, paratus eſt, vt me perdat: ſed nihil ſuum in me inueniet. vnde ſi aliquam ei in me poteſtatem indulſero, non neceſſitatis eſt, aut culpæ; ſed liberalitatis, & medicinæ: vt cognoſcat mundus, quod Patrem diligam, qui mandatum mihi dedit iſta pro hominibus patiendi.

Documenta pro festo Pentecostes.

I. DIxit Iesus Discipulis suis. Hodie festum est Pentecostes, quod ex celeberrimis est anni totius festiuitatibus, non minori obseruantia dignum, quam Pascha. Sicuti enim Pascha præcipua est festiuitas Christi, qua lytrum redemptionis nostrę soluit, ac Discipulis post resurrectionem apparuit, dans eis potestatem remittendi peccata, ac frequēter per dies quadraginta cum eis loquens de regno Dei, id est, Ecclesia; etsi nō diu apud eos ageret, sed statim disparereret, ac tandem ascenderit in cœlos, subtrahens discipulis corporalem conuersationem: ita hodie præcipua est festiuitas Spiritus sancti, qui hodie ex cœlo, Christi suppleturus absentiam, descendit; incipiens ea largiri nobis, quæ sanguine, & morte sua, Christus meruit. Venit autem ad nos, non vt cito recedat, sed vt maneat in Ecclesia vsq; ad sęculi consummationem; illamque in Diuina cognitione perficiat. Magnas igitur habemus lætitiæ caussas: ac primo quidem, quia certi hodie reddimur, quod Christus in cœlis sit, apud Patrem, tanquā Aduocatus noster. id enim ex Spiritus S. aduētu colligimus. sicuti de amici in Indiam appulsu certi reddimur, cum ab eo merces Indicas accipimus. *secundo*: quia, quis rerum nostrarum apud Deum sit status, cognoscimus. Clausum erat antea cœlū, neq; hinc aliquis eo introibat, neq; (propter cœlestis Patris offensam) vlla erat cœlis cum terra communio; hodie declarat Spiritus S. pacem iam firmatam, atq; à Deo Patre acceptatam, ex eo, quia & ablegata ad eum è terris munera custodit, animas dico Patrum, quas secum Christus subuexit; & nobis cœlestia munera elargitur; ac præcipuè Spiritum S. qui ex ipso Patre, ac Filio, vnus cum eis Deus procedit. Magna erat in cœlis ante decem dies exultatio, quando in eos cum Patribus ingressus est Christus; tum, quia inchoabatur ruinæ diabolorū impletio; tum, quia nouam lucē Christus homo Deus corpore suo lucido, & glorioso, cœlis inferebat. Nostrum tamē gaudium maius esse debet; neq; enim Angelis nouum quid accidebat; sed homines

Act. 1. 3.

ad

ad gaudij recipiebant participationē, ex quo accidentalis eorum beatitudo creſcebat; nos autem Deum recipimus, & dona cœleſtia, quę animam Deificent. *tertio:* quia hodie Euangelica lex promulgata eſt, vetus autem Moſaica, quæ ſeruitutis erat plena, abrogata. Dederat hanc à Deo Iudæis Moyſes eodem hoc die, 1488. annis ante Spiritus S. aduentum; voluit ergo Deus, vt & noua lex eodem die per Spiritum ſanctū promulgaretur: vt nos doceret *primo:* à nemine inuehendas Religionis mutationes, niſi à Deo, authore Religionis, & Legis. *ſecundo:* quomodo præpapare nos debeamus ad Legem nouā. Iſraëlitis enim tria, antequam ad eos deſcenderet, mandauit Deus. *primo:* vt poſitos ad mōtem limites non tranſgrederentur. *ſecundo:* vt triduo ab vxoribus continerent. *tertio:* vt vęſtes lauarent. quibus ſignificatur quomodò nos, qui Dei legem audire volumus, & Spiritum ſanctum ſuſcipere, debeamus *primo:* cauere, ne nimium appropinquemus monti; id eſt, ne nimis curioſe Diuina ſcrutemur, contenti ea menſura, quam ſecundum vocationem, cōditionemque ſuam, donauit cuiq; Deus. *ſecundo:* ſeruare integritatem carnis. odit enim Spiritus S. impudicitiam. *tertio:* veſtes, id eſt, opera lauare. de quibus dixit Salomon; *omni tempore ſint veſtimenta tua candida.* Dedit Iſraelitis legem Deus, dupliciter: *primo* enim, loquebatur de monte Sinai populo; excitato tonitruum, & tubarum ſonitu, ac mōte fumante, & ardente. *ſecundo:* ea quę loquutus fuerat, in duabus ſcribebat tabulis lapideis, vt in Arca ſeruarentur: mandabatque diem illum, ad perpetuam rei memoriam, coli, quinquageſimo poſt Paſcha die; & viros omnes aſcendere quotannis Hieroſolymam, ac ibi ſacrificia hæc offerre: *primo:* nempe, duos panes nouarum frugum. *ſecundo:* ſeptem agnos anniculos, immaculatos. *tertio:* vitulum. *quarto:* duos arietes. quæ omnia pulcherrime repræſentant; quid in noua Lege nobiſcum faciat Deus. *primo* enim loquutus eſt Chriſtus nobis legem ſuam in terris degens, eamque quotidie adhuc per inſpirationes bonas, loquitur. *ſecundo:* ſcribit eam in cordibus noſtris Spiritus ſanctus, vt eius ſemper memores ſimus; ſcripſitque eam in corde Eccleſiæ, de quo nunquam deletur. *tertio:* vult Pentecoſtes feſtum quotidie

Exod. 19. 21. *Ibid. v. 15.* *Ibid. v. 10.* *Eccle. 9. 8.* *Exod. 20. 18.* *Deut. 10. 5.* *Leuit. 23.* *Hebr. 8. 10.*

die in Ecclesia coli, omnesque tunc sisti Hierosolymis, id est, in statu gratiæ tanquam viua Ecclesiæ membra. *quarto*: quatuor à nobis hodie requirit sacrificiorum genera. *primum*: duos panes nouos; animam scilicet, & corpus; quibus reficit se
Esai. 11. 2. Christus, cum ad nos in Eucharistia venit. *secundum*: septem agnos immaculatos; id est, opera bona, quæ per septem Spiritus sancti dona sapienter, intelligenter, scienter, consulto, fortiter, piè, & timoratè fiant. *tertium*: vitulum prauarum inclinationum; qui præ lasciuia subsilire solet aduersus rationem rectam. *quartum*: duos arietes; intellectum scilicet, & voluntatem: quæ duæ facultates ex se ipsis rigidæ, & duræ sunt. *quarta*, lætitiæ caussa est; quia omnes hodie nationes, & po-
Act. 2. 5. puli ad Euangelium vocati sunt, multique illud amplexi: etsi enim passione sua, ac morte, legem veterem consummarat Christus; neminem tamen obligauit Lex noua, ante sufficientem promulgationem, quæ hodie, sicuti oportebat, facta
Act. 2. 2. est. Fecit enim de cœlo Deus sonum vehementem, supra domum, in qua conuenerant Apostoli, ita vt audiretur per vniuersam Hierusalem; quo & ciues, & peregrini omnes, quasi conuocabantur ad domum istam: sicuti in promulgationibus, sonitu tubæ ex theatro ante curiam facto, ciues conuocantur. Venerunt ergo ex omni gente, qui ad festum adscenderunt, & S. Petrus, tanquam Caput Ecclesiæ, Euangelij Legem promulgabat; eam demonstrans deinceps necessariam ad salutem. quod præsentium singuli, dein in suis nuntia-
Act. 2. 41. runt regionibus. Ac statim apposita sunt credentium tria millia. *Quinto*: quia nouum hodie Sacramentum instituit Deus, ac per se ipsum contulit: Sacramentum scilicet Confir-
Act. 5. 41. mationis, aut Conformationis; quo & Apostolis, & Christianis alijs, in id vsque tempus admodum pauidis, tantum contulit robur, vt non solum nihil vltra timerent, sed gauderent quoque, quia digni habebantur *pro nomine Christi pati*: Hæreticorum nonnulli festum hoc vilipendunt; quasi nulla eius sit in Scripturis mentio. Verum respondemus istis. *primo*: nec minoris esse ætatis festum, hoc nec minus in Scriptura habere fundamenti, quam Pascha: sicuti enim Iudæis suum Pascha fuit, ita & Pentecoste; & sicuti Paschati illorum

rum successit nostrum, ita & in Pentecoste factum est. *secundo:* Apostolos festum hoc seruasse. Legimus enim Apostolum festinasse Hierosolymam, vt festum illud ibi celebraret, vbi Spiritum sanctum acceperunt Apostoli: vt rectè explicuit sanctus Epiphanius. neque enim *credibile* est, quod Iudaicam Pentecosten celebrare voluerit: *tertio:* Nullum extare aliud huius festi initium, quam ab Apostolis. ideoque primi Ecclesiæ Patres, etiam ante mille & ducentos annos, hoc festo homilias habuerunt, ac populum ad S. Spiritus excitarunt cultum. Imo S. Leo, qui ieiunia quaternaria vsque ab Veteri Testamento deriuat, Apostolos ait constituisse, vt vnum eorum post Pentecosten seruaretur. *primo:* vt gratiæ S. Spiritus redderemur aptiores. *secundo:* vt aduersus diabolum fortius muniremur. *tertio:* vt pro commissis in Paschali quadragesima culpis satisfaceremus. *quarto:* vt virtutum impetrationem à ieiunio inchoaremus. Certè non sine causa est, quod quinquaginta semper sint dies inter Pascha, & Pentecosten; ac rursus inter Pentecosten, ac Ascensionem Domini dies decem. Discimus enim ex eo; *primùm:* purgari nos per Spiritum sanctum à peccatis. nam hoc numerus quinquagenarius significat; vnde in Testamento veteri, omnes serui dimittebantur, & possessiones ad priorem redibant possessorem. *secundo:* dari nobis ab eodem vires, ad implendum decalogum: roborat enim nos ad virtutem. In Rosarijs B. Virginis quinquagenario quoque, & denario numero vtimur, vt ipsa per quinque Filij sui vulnera, ac passionem, peccatorum nobis remissionem, ac vires impetret, ad implenda mandata.

Act. 20. 16. *Haer. 75.* *Serm. 2. de ieiun. Pentec. c. 1.* *Serm. 75.* *Serm. 76.* *Leui. 25. 28.*

Proponitur autem hodierno die Euangelium hoc, ex sermone quem in cœna Christus habuit: *primo:* quia Spiritus sanctus est charitas, quam hic Christus adeo commenda. *secundo:* quia ex eo discimus, quid in nobis S. Spiritus operetur, & quid in Confirmationis Sacramento acceperimus à Deo.

Cur hodie legatur hoc Euangeliũ.

II. *Si quis diligit me.* Primus S. Spiritus effectus in nobis charitas est, quam is secum apportat, eo quod sit ipsa charitas. Dixit de tribus virtutibus Theologicis Apostolus; *Nunc autem manẽt fides, spes, charitas, tria hæc & maior autẽ horũ est charitas.* idq; *primo:* quia

1. Cor. 13. 13.

quia duæ aliæ definiri possunt, quemadmodum definiuit eas Apostolus; *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* De spe dixit, *nos ea sperare quæ per patientiam expectamus.* de charitate vero dixit Ioannes; *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* quomodo igitur definiri non potest Deus; ita nec charitas. est enim virtus, quæ cæteras omnes in se continet; sicuti Deus in se omne bonum. Ideoque assignat Apostolus multas charitatis proprietates, quarum plurimæ etiam in Deo reperiuntur. *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non quærit quæ sua sunt, nō irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, charitas nunquam excidit, &c.*

Heb. 11. 1.
Rom. 8. 25.
1. Ioan. 4. 16.
1. Corin. 13. 4.

Experimur has virtutes in Deo, easque vult à se discamus. etsi enim neque fides in Deo esse possit, neque spes, agit tamen vobiscum non aliter, quam si crederet, ac speraret. nam cum ab eo gratiam, & peccati deprecamur remissionem, promittentes emendationem; quod olim frequenter Israelitæ fecerunt, miseretur nostri, non secus ac si promittentibus crederet, ac emendationem speraret: etiam si certus sit, nos promissa non præstituros. *secundo*: duæ aliæ virtutes huius sæculi, propriæ sunt, ac imperfectæ; neque reperiuntur in cœlo, vbi nullus credat, sed videt; nullus sperat, sed reipsa possidet. charitas autem cœlo propria est, quique eam habet maiorem, maiorem quoque habet gloriam, ac Deo est vicinior: vti B. Virgo, quę magis quam omnes creaturę, Deum dilexit; & Seraphini, qui ab amoris ardore nomen habent, ac supremum constituunt Angelorum chorum; Apostoli denique, vt martyres, qui præ amoris magnitudine sanguinē suum pro Christo fuderunt. *tertio*: Plus facit charitas sola, quam reliquæ omnes virtutes collectæ; sine charitate nulla virtus Christiana est, nullum opus meritorium, nihil Deo placet: sicuti olim in veteri Testamēto, nullum placebat Deo holocaustum, quod non ardebat igne cœlesti: *charitas plenitudo legis est, & mandatorum Dei*: quam qui habet, satis coram Deo habet. vti S. Ioannes testatur. Dixit in persona sponsi Christi Salomon, quod *fortis sit vt mors dilectio.* sicuti enim à nullo mors superatur,

Rom. 13. 10.
Cant. 8. 6.

sed

ſed omnia ſuperat; homines, beſtias, plantas, omniaque quæ in eis, vel extra ea ſunt, corrumpit; intellectum, memoriam, vires animi, formam, & robur corporis: aufert diuitias honores, dignitates, & quicquid poſſidemus: ſic charitas amantem adeo roborat, vt neq; diabolum, neque mundũ timeat, neq; aliud quicquã; habeatq; ſe cadaueris inſtar, quia ſenſib. nullis vtitur, niſi quibus tendat in rem amatam. Imo charitas fortior morte eſt, mortem enim ſuperat, & contemnit, aut potius aduocat; aſcendit quoq; in cœlos vſque, (quo mors nunquam pertingit) atq; ex eis, Dei Filium in terras deuocat, ad crucem: *quarto:* quia charitas virtus eſt, quam omnes habere poſſunt æqualiter; viri, fœminæ, ſenes, pueri, ingenioſi, ſtupidi, docti, & indocti; atque ita ad cœlum peruenire. Alia inæqualiter diſtribuit Deus; neque enim omnium poſſunt pares eſſe diuitiæ nobilitas, ingenium, eruditio, eloquentia, poteſt tamen eſſe par charitas: & hæc ſi deſit, noſtro vitio deeſt, qui orationibus, & cooperationibus, ad eam non allaboramus.

Nota hic *primo:* phraſin Chriſti: *Si quis diligit me*; quaſi ſignificet à paucis ſe diligi. ſic alias dixit; *ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam & ſequatur me.* *Matt. 16. 24* Item *Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* quaſi dicat; pauci omnino ſunt, qui me ſequuntur, ac boni ſint, & fideles ſerui. ſimiliter pauci ſunt qui Deum, prout oportet, diligunt. multi diligunt eum verbo, & lingua, ſed non ex animo. nam *primo:* qui amat frequenter de amato cogitat, neque eius memoriam deponit. Multi autem ſunt, qui raro, & parum, de Deo cogitant. vnde conqueritur apud Prophetam: *nunquid obliuiſcetur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ? populus vero oblitus eſt mei diebus innumeris.* *Matt. 24. 45* *Hiere. 2. 32.*

Cum quid facturus es, ſollicite examinas, vtrum aliquod ex eo emolumentum tibi, vel detrimentum naſcetur; ad vero quam raro examinas opera tua, vtrum ad honoris Diuini emolumentum cedent. Abeunt dies integri ſine memoria Dei; cum tamen memoria, charitatis ſit menſura. *ſecundo:* qui amat, ſentit, & dolet iacturam, ſeu damnum amici ſui. Multi autem poſt commiſſa peccata morta-

mortalia, quorum singulis faciunt iacturam Dei, nullum sentiunt dolorem: sed pro solito hilares sunt, & securi; quasi nihil perdidissent. quæ res certe signũ est, quod Deum non ament. *tertio*: qui amat omni modo conatur adesse amico; neque impedit eum frigus, aut æstus, aut tempestas, aut aliud quicquã: quemadmodũ de se, ac sui similibus testatur Apostolus; quod nihil eos *separabit à charitate, quæ est in Christo*: nos autem res paruæ impediunt; sicuti & illos, qui in parabola dicuntur ad *Cœnam magnam* inuitati. Excitamur nõnunquam ad Eucharistiæ susceptionem, conciones, aut aliud opus pium, ad honorem Dei; sed intercurrit statim quod nos remoretur; siue aëris tempestas, siue vẽtus, pluuia, corporis indispositio, defectus somni, dolor capitis, custodia liberorũ, mariti importunitas, mutua conuiuia, &c. Certè nihil horum impediret te, ab accipiẽdis alicũde quinquaginta florenis, si quis eorum solutionem in certam horam spopondisset. Hos itaque, & his similia, præ Deo amare deprehenderis.

Rom. 8. 39.

Luc. 14. 18.

Nota *secundo*: Non in hoc esse dilectionem Dei, vt quis erga eum bene affectus sit, atque ita aliquid operetur, quod ei placeat: sed qui affectus est erga eum sicuti oportet; etenim si diues aliquis matri inopi, pro sustentatione non plura conferret, quam alteri cuiuis pauperum, non diceretur eam diligere, etsi sustentaret eam, & aleret: quia non facit ei, quantum filius debet matri; sed quantum diues pauperi peregrino. ita nec nos Deum diligimus, nisi eum toto corde, anima, ac viribus, & magis quam nos ipsos diligamus. tantam enim dilectionem, nec minorem, à nobis requirit Deus.

Nota *tertio*: dilectionem esse debere initium omnis actionis cum Deo: sicuti enim, hominibus gratum nihil est, quod præstatur ab inimico, & cum quis à Principe aliquod requirit priuilegium, omnium primo fauorem eius captat, & dilectionem: sic neque apud Deum meremur quicquam operibꝰ nostris, si citra charitatẽ fiant. neq; is orationes exaudiet, neq; postulata cõcedet. Præ omnibus itaq; solicitus esto, vt Deum diligas, & ad supremum dilectionis eius gradum ascendas. Sunt qui diligunt Deum *primo*: ob temporale aliquod impetratum ab eo beneficium, ac maiora sperata. sed diligunt hi

Deum

Deum propter se ipsos; amorque eorum, dicitur *amor vtilis. Secundo:* diligunt alij, quia remissionem ab eo sperant peccatorũ, ac dona spiritualia, atq; animi quietem. habet & hic amor aliquid boni proprij. *Tertio*: diligunt alij, vt per eum cœli gaudijs fruantur; quemadmodum dixit Dauid: *inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem*: id est, cœlestem mercedem. *Quarto*: diligunt alij ex gratitudine; propter accepta ab eo beneficia: decet enim vt amemus benefactorem. Amor hic etiam naturalis esse potest; ex consideratione scilicet, naturalium Dei beneficiorum; estq; maior; vel minor, iuxta quod beneficia Dei magis, vel minus, æstimamus. *Quinto:* diligunt alij charitate à Spiritu Sanct. in cordibus eorum diffusa, de qua Apostolus ait: *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanct. qui datus est nobis*; Oritur autem hæc dupliciter. *Primo*: ex consideratione eorum quæ à Deo accepimus; remissionis scilicet peccatorum, interioris gratiæ, promissionis beatitudinis, ac mediorum, quibus hanc nobis Christus impetrauit, *Qui me*, ait Bernardus, *semel dicendo fecit, in reficiendo profectò & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dira.*

Psal. 118. 112.

Rom. 5. 5.

Lib. de diligendo Deo.

Secundo: ex ascensione animi, ac gradatione quadam, qua; post dictam iam considerationem, ad maiestatem imus, & charitatem Dei: quod tantus, ac tam potens Dominus, nobis tã egenis, & miseris, tanta, sine vllo merito, ex solo & puro amore, præstiterit. Porro cum hoc modo accendimur, vt tam magno, benigno, suaui, & benefico Domino adhæreamus ardenter desiderantes eius adspectum, & æternam possessionẽ; ac firmiter proponentes quod nunquam eũ simus offensuri; peruenimus tandem: *Sexto:* ad supremum charitatis gradum; qui in eo est, vt Deũ diligamus duntaxat propter se, nullo habito boni nostri respectu. Labora vt Deum diligas, & cogita, *primo:* quicquid ab eo factum est; siue cum nos creauit; siue cum proprio corpore nos redemit, & renouauit, non alia de caussa factum, quam vt eum diligamus. tanti facit Deus dilectionem nostram. *Secundo:* nihil esse dilectione facilius, aut iucundius. sicuti contrà, odio nihil est difficilius, & molestius, *Tertiò*: dilectiõe nos fieri diuinos, & cęlestes: odio cõtra reddi

diabolicos,& infernales. *Quarto*:dilectionē mereri omne bonū;odia vero omne malū: *Quinto*:dilectionē ex cōfessione nasci,bonis operib⁹ foueri,meditatiōe,& oratiōe accēdi.Ideoq; peccata cū vero dolore cōfitere,in bonis operibus assiduus esto,& in meditationibus, ac orationibus te ipsum exerce.

III. *Sermonem meum seruabit*. Secundus Spirit.S.effectus est, vt hominem faciat per dilectionem operari, mādata Dei seruare.quemadmodum.n.ignis non quiescit,sed cōsumit,aut saltē calefacit,quicquid proximum est, & adscēdit cum flamma sursum:sic & charitas semper operatur,& sursum assurgit. Opus eius est,Dei mandata ad honorem , & gloriam ipsius custodire. Vbi opus bonum non est, charitas non est;& vbi deest hæc,illa quoque desunt:ita vt charitas sine operibus, Deo non placeat;quia vera non est; nec opera placeant sine charitate,quia perfecta non sunt.

Nota *primo*:Charitatis esse naturā, vt placere studeat dilecto suo,neq; vllum sibi promittit prœmiū,nisi dilectū;ideoq; charitas non est mercenaria,in opere suo. sicuti .n. homo qui *vbi sup.* esurit,vel sitit,sine mercede comedit,aut bibit, vt Bernardus ait:aut sicuti mater sine mercede fouet infantem suū, natura eam ad hoc impellente:ita qui Deū sincere diligit,ad implenda Dei mandata mercede non eget: instigat.n.ad id charitas, nihil nisi Dei fruitionem desiderans.Cū aliquando S.Thom. Aquinas sapienter admodū, de venerabili Eucharistiæ Sacramēto scripsisset,ac præcipuè officium quod illo festo Ecclesia legit:orauit Neapoli,ad imaginem Crucifixi; audiuitque sibi dici:*Bene de me scripsisti Thoma,quam ergo accipies pro tuo labore mercedem?* ille,*Domine non aliam*,ait,*præter te.* Si quis ergo aliud præter Deum quærat,necdum perfecte diligit. Si quæris curam animarum,Pastoratus,aut beneficium Ecclesiasticum, propter lucrum temporale, hoc magis quam Deum diligis. Non *Matt.19.29.* oportet seruire Deo,vt edamus; sed edere, vt Deo seruiamus. *Ser.14.super Psal m.90.* Interim qui Deum propter Deum quærit,abundantem mercedem accipiet : *centuplum*,vt dixit Christus,*in hoc sæculo,& vitam æternam in futuro.*

Cur homo Dei manda[illegible] debeat. Nota *Secundo*:cū S. Bernardo, quatuor caussas propter quas

1. seruare debemus mandata Dei.*primo*:quia nos ex nihilo creauit,

uit, propter quod magis ipsius sumus, quam olla sit sui facto-
ris: & obligamur, vt faciamus quicquid ei placet. *Secundo*: pro- 2.
pter omnia eius beneficia, quibus nos donat, & quotidie di-
rigit; quorum tantus est numerus, vt potiori iure ei omnia
nostra debeamus; quam seruus debeat Domino, aut ancilla
heræ suæ. *Tertio:* quia sanguine, & morte sua, ex diaboli pote- 3.
state nos eduxit, ac sibi seruos fecit: propter quod vt Apostò-
lus dixit: *siue viuimus, siue morimur, Domini sumus*, ideoq; omnia Rom. 14. 8.
debemus facere, quæcunque mandauerit. *Quarto*: quia præter 4.
omnia beneficia, quibus ad cultum, & obseruantiam eius ob-
ligamur; gloriæ nobis promittit coronam tantam; ac tam pre-
tiosam; vt Apostolo teste: *nec oculus viderit, nec auris audiuerit, nec* 1. Cor. 2. 9.
in cor hominis adscenderit. ad quam minores sunt, omnes crucia-
tus, pœnæ, & tormenta; quam talitrum sit, ad imperium vni-
uersi orbis.

Nota *Tertio:* Cum eodem Bernardo; quomodo seruare de- Serm. de Adu. Domi.
beamus mandata Dei. Non in arca, sicuti seruantur duæ ta- Deu. 10. & 31.
bulæ Moysis, & deuteronomium in Tabernaculo; illic enim 1. Reg. 10.
abeunt in obliuionem. vnde filij Israel librorum horum non
sunt recordati, imo pro perditis eos habuerunt, donec sum-
mus Sacerdos Helcias, regnante Iosia, eos in Templo inuenit, 4. Reg. 22. 8.
neq; in sola memoria seruare debemus: *scientia*, enim *inflat*. ha- 1. Cor. 8. 1.
bebant Pharisæi legem in membranis, dependentem vt Hie- Num. 15. 37.
róny. notat, ante oculos suos; quo sic semper de ea cogitarent. in 15. Matth.
Neque oportet mandata solum seruare ore; sicuti illi faciunt,
qui de eis frequenter meminerunt: nam & diabolus ea alle-
gare nouit, & hæretici nihil aliud, nisi Dei verbum, crepant. Matt. 4. 6.
Neq; in solis auribus, potest enim diabolus ab his auferre, vt
non intimius penetret. Seruare ergo debemus, sicuti cibum,
quem sumimus, demittimusq; ad stomachum; vt ibi digera-
tur, atque inde ad hepar, & cor, vt sic distribuatur per totum
corpus: vnde nemo illud potest auferre. Ita & Dei verbum
audiemus primo, dein cum B. Virgine in corde seruabimus, Luc. 2. 19.
quemadmodum dixit Dauid: *in corde meo abscondi eloquia tua, vt* Psal. 118. 11.
non peccem tibi. Distribuemus quoq; per omnes animæ vires, &
inclinationes; vt omnes mores, & vultum, iuxta illud com-
ponamas.

Nota *Quarto*:quod dixerit Chriſtus hic; *ſermonem* tanquam ſi vnus ſit,nõ vero *ſermones*; quaſi eſſent multi. *Primo*:quia omnes Dei ſermones vnus ſunt. Chriſtus nobis ex lege (vt Apo-
Rom.9.28. ſtolus ait, ex Iſaia) fecit *verbum abbreuiatum*: totam enim le-
Eſai.10.23. gem vno concluſit charitatis præcepto; quod facile eſt, &
Serm.15. ſuaue,aliaque omnia facilitat,& mitigat. *amanti quippe*, dixit Leo, *nihil difficile*. *Secundo*: quia amici Dei admodum voluntarie mandata eius ſeruant; neque de multitudine eorum vnquam quęruntur.Solam attendunt Dei volũtatem,& hęc eis verbum vnum eſt,quia *voluntas vna* eſt: nempe, vt Apoſtolus
1.Theſſ.4.3. dixit:*ſanctificatio noſtra*. *Tertio*: vt conſideraremus vitam Chriſtianorum;ſicut enim Religioſi quiq; ſuas habent regulas; ita habet & ſuam à Chriſto Eccleſia, quæ Euangelio continetur. Non ſumus ſæculares,ſed ſpirituales: fecimus enim in Sacramento Baptiſmi profeſſionem, atq; ibi multis cœremonijs,
Audoenus vnctionib[9],& orationibus,ac exorciſmis,initiati ſumus.Itaq;
in eius vita. oporteret frequenter huius obligationis meminiſſe, (quẽad-
lib.1.c.16. modum ſubditis ſuis inculcare ſolet S. Eligius) & Chriſtianæ
Tom.6.Suri.
1.Decemb. vitæ regulam,habere ante oculos ſemper præſcriptam.

Nota *Quinto*:ſignificari his verbis effectũ Sacramenti Confirmationis; quem Apoſtoli die Pentecoſtes omniũ primi acceperũt,confirmati in charitate,& accipientes fortitudinẽ ad profitendam publice fidem,& Dei mandata ſeruanda. Dedit nobis duo Sacramẽta Chriſtus,per quæ reddimur Chriſtiani; primũ eſt,Baptiſmus:quo reddimur filij Dei. alterũ eſt, Confirmatio; quo reddimur viri,& milites, ac perfecti Chriſtiani:
a Epiſt.4. vt loquuntur SS.Pontifices,& Martyres,Clemens,[a] & Vrba-
b Epiſt.ad oẽs nus[b].In baptiſmo remiſſionẽ accipimus omniũ peccatorũ, tã
fideles. quoad pœnam,quã culpam,ſpiritu renaſcimur,accipimus vitam gratiæ;& Eccleſiæ,tanquã viua eius membra, incorporamur.Sed quomodo pueri ita habent naturã humanã, vt quãtũ ad naturam ſpectat,vere & perfecte homines ſint;nõ tamẽ quantum ad robur,& vires:ſic & baptizati,vere quidem ſunt Chriſtiani,non tamẽ habent plenum robur; vt virilia opera
Ioan.13.10. præſtẽt.baptizati erant Apoſtoli, antequam cum Chriſto comederent vltimam cęnam,vt teſtatur Chriſtus; attamen non
Matt.26.34. habebant fortitudinem.ſic negauit Petrus Chriſtum, & alij

omnes

omnes in passione eius *scandalizabantur*, erantq; omnes *pariter propter metum Iudaeorum*. Postquam verò aduenit in eos Spiritus S. abijt timor; & fuerunt roborati, ac perfecti: *ibant*, enim, *gaudentes à conspectu Concilij quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Propterea Apostolis mandauit Christus, ab Ierosolymis ne discederent, donec induerētur virtute ex alto, qua accepta, nihil nisi Diuini verbi curabant annuntiationē, desiderantes ea quæ ante timuerāt.i.vt aliquid pro Christi nomine paterentur. Itaq; discas hic, *primo:* quantum sit Sacramētum, Confirmatio: quod S. Melchiades Papa & Martyr, quodam modo Baptismo præfert. nam Baptismo quidē peccata perfecte remittuntur, sed Confirmatione infundūtur septem dona Spirit. S. vt SS. PP. Clemens,[a] Cyprian.[b] Patianus,[c] Ambrosius,[d] Rabanus,[e] & alij scripserūt. *Baptismo*, ait Melchiades, *mundamur, Confirmatione ad prælium roboramur.* Scribit de ea S. Cornelius Papa (iuxta citationem Eusebij[f]) quod ideo Nouatus in hæresin fuerit lapsus, quia nō esset obsignatus. Robur autem quod per Sacramentū hoc confertur, præcipuè contra visibiles fidei impugnatores militat, siue ethnicos, siue hęreticos: pro vt in Apostolis, & Martyribꝰ patuit. propter abundātiam gratiæ tamen (ob quā à magno Dionysio vocatur *Sacramentū perfectionis*) etiam contra hostes inuisibiles munimur vt Dei legem seruemus plenius. Fronti ait Cyrillus chrisma verecundiam abstergit, aures audiēdo Dei verbo aperiuntur, odoratus monet, vt ad virtutem proximos odore boni exempli prouocemus, pectus loricam iustitiæ induit & cæt. sicuti enim cum diabolo congressus est Christus statim post baptismum; ita & nos cum eodem congredi debemus.

Luc. 24. 49. *Act. 5. 41.* *Luc. 24.* a *Epist. 4.* b *Ser. de castit. Dom.* c *Tract. de baptis.* d *Lib. 3. de Sacra. c. 2.* e *Lib. 1. de inst. Cler. c. 30* f *Lib. 6. Hist. c. 35.* *Dion. c. 4. hier. Eccl.* *Cyrill. cat. 3.*

Disce *Secundo:* quam sit Sacramentum Confirmationis necessarium; sine quo vt citati Patres dicunt, nemo perfectus est Christian. quia caret plenitudine gratiæ, neq; vir est in Ecclesia, sed infans; neque, vt Melchiades ait, *inter perfectos* sedere debet. Ideoq; tam solicitè prouidebant Apostoli Samaritan. (à Philippo Diacono baptizatis) vt per Confirmationē perficerentur, mittentes ad eos statim duos Apostolorū præcipuos; Petrum, & Ioannē, vt acciperent Spiritum S. Quare si confirmatus non es, noli differre, & fac vt liberi tui Sacramento hoc

Act. 8. 14. *Ibid. v. 15.*

muniātur, statim atq; ad aliquod iudiciū peruenerūt, quia.n. per illud datur maior gratia, consequenter quoq; datur confirmatis in futuro maior gloria. Disce *Tertio*: diligenter hanc Confirmationis gratiam colere;& exercere : sicuti.n.habitus alij negligentia minuuntur,& pereunt;exercitio autem roborantur:sic & hęc gratia.Atq; ideo deberes te ipsum frequētius & pręcipue hoc festo,examinare, vtrum sentias hanc in te spiritualem fortitudinem,an vero timorē humanum, quo à virtutibus retraharis. Nam *Primo*: si à carnis concupiscentia,aut passionibus superaris,non es robustus,sed infirmus, & puer Christianus,etiamsi confirmatus fueris. *Secundo*: si proximum vides peccantem, nec tamen eum metu offensæ eius mones,

1. Ioan. 4. 18. non habes perfectam charitatem,*quæ foras mittit timorē*. *Tertio*: si erubescis frequenter confiteri,communicare, visitare infirmos, agere cum bonis,aut religiosis, aut aliud opus bonum publicū,quod sit ad proximi instructionē, vel tui humiliationem,non habes frontem aduersus animæ hostes satis armatā. *Quarto*:si tędet te diuini cultus,concionum vigiliarum,matutinarum,vt intersis diuino officio,si magis cōmoda corporis, quā vtilitas animæ placet,multum in te Sacramēti huius gratia est imminuta. etsi.n.character animæ inscribatur,nullo vnquā die delendus,quo cognoscimur huius Sacraméti participes,gratia tamē nostro peccato,& socordia,deleri potest quæ per cōfessionem,& peccati fugam iterum redit. Disce *Quarto*:

Confirmationis effectus. præstantes effectus, quos in nobis Sacramentū hoc operatur. *Primo*.n.imprimit animę characterem,seu signū de quo Apo-

Eph. 4. 30. stol.*in quo*,Spiritu S.*signati estis in die redētionis*.i.baptismi;quando ab omni peccato,& diaboli seruitute liberati estis. *Secundo*: per abundantiam gratiæ,remittit peccata venialia.*Tertio*:non remittit quidē peccata cognita,nō confessa : neque.n.ad hoc institutum est,auget tamen gratiā, & minuit pœnā, quæ post confessionem adhuc debebatur, & remittit peccata mortalia ignota,sed cum obligatione ea cōfitendi, cum fuerint cognita. *Quarto*:ex Christianis pueris reddimur Christiani viri,& pfecti,ac vere Christiani,id est,vncti,spirituales reges, & sacerdotes.*Quinto*:accipimus septem dona Spirit. S. vt intellectus, voluntas, & appetitus, fiant idonea instrumenta S.Spiritus.

Sexto:

Sexto: Theologicæ,& aliæ virtutes, roborantur, & augentur. *Septimo:* contra oẽs Dei hostes armamur, præcipuè cõtra Paganos,& hæreticos, aliosq; Ecclesiæ impugnatores, contra diabolũ, carnem,& mũdum, ne erubescamus cõfessionem fidei, exercitium operum Catholicorum,& malorum correptionẽ. *Octauo:* iuuamur ad implẽda Dei mãdata volũtarie,& delectabiliter. *Nono:* per augmentum gratiæ simus Deo gratiores. *Decimo:* Post hanc vitam maius habemus prœmium: sicuti maior est virorum, quam puerorũ merces. Vides itaq; non sine caussa, ab antiquis Ecclesiæ Doctoribus, Sacramentum hoc adeo cõmendari, vt cum omni desiderio illud suscipiamus, atq; diligenti confessione præuia, & munda conscientia. sicuti enim vitrum quanto fuerit maius, & purius, tanto capit plus vini, & purius: sic & Dei gratia plenior datur in hoc Sacramento, & purior, quo cor nostrum desiderij feruore fuerit capacius, seu apertius,& ab omni labe mundius.

Nota *Sexto*: impiam hæreticorum nostri temporis doctrinam, qui contra Dei verbum, mandata Dei audent asserere impossibilia, dicit aperte Christus, *si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* significans, charitate impleri mandata Dei. similiter: *hæc est*, ait Ioannes, *charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt.* quibus verbis duo docet. *Primum*: charitatem esse caussam, cur seruentur mandata Dei. *Secundum*: mandata non esse grauia, multo minus, vt hæretici delirant, impossibilia. *Maleuolis*, ait Augustinus, *& qui charitatem non habent, impossibilia sunt, pijs autem facilia*, propter virtutem quam habent à Spiritu S. *omnia possum*, dixit Apostolus, *in eo qui me confortat.* Si potuerunt Apostoli virtute hac Euangelium toto orbe annunciare, Martyres pro fidei confessione ineffabilia tormenta ferre, Monachi & Eremitæ rigidam vitam ducere, vt Deo placerent, neque eum offenderent, quomodo non potuerunt seruare mandata eius? Dixit CHRISTO adolescens, se mandata *omnia* seruasse, quæ proponebat CHRISTVS, tanquam ad salutem necessaria, neque hoc dicens mentiebatur, quia, teste Euangelista, CHRISTVS *dilexit eum.* De alijs multis, tum in veteri, tum in Nouo Testamento, legimus, qui *Dei iustificationes*, id est,

Lex an impossibilis?

1. Ioan. 5. 3.

Lib de perfe. iusti.

Phil. 4. 13.

Matt. 19. 40.

Mar. 10 21.
Num. 9. 13.
Ps. 104. 45.
Thob. 1. 8.
Luc. 1. 6.

iusta mãdata custodierint. Itaq; fuge hæreticorũ deliria, quæ ad nihil certe vtilia sunt, nisi vt hominem à mandatis Dei alienent, & fide sua speciali ad infernum ablegẽt, in quo multi sunt, qui fidem: nulli, qui charitatem habent.

IV. *Et pater meus diliget eum.* Tertius hic est Spiritus S. effectus, qui veniens ad nos facit, vt Pater nos diligat, & diligens benefaciat: neque enim dilectio eius sterilis est. imo, vt Bonauẽtura ait, magis est in effectu, quã affectu: id est, magis in augmento donorum nostrorũ, quam interioris affectionis Dei.

Deus quomodo diligat. Diligit Deus quinq; modis. *Primo:* dilectione cõmuni, qua diligit oẽs creaturas: de qua Sapiens dixit; *diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorũ quæ fecisti.* (Sap. 11. 25.) Sic etiam dæmones amat, & peccatores; non vt tales, sed vt naturam, & esse à Deo habent. *Secundo:* diligit Deus electos, antequam quicquam boni fecerint, imo antequam nati sint. quemadmodũ de duobus Rebeccæ filijs dicit, ex Malachia, Apostolus: *Cum nõdum nati essent, aut aliquid boni maliue egissent, Iacob,* inquit, *dilexi, Esau autem odio habui.* (Rom. 9. 11. Mala. 1. 2.) Illi. n. voluit misericorditer benefacere; hũc aũt iuste in peccato suo relinquere, nec dare quod ei non debebat. Duo hęc dilectionis genera, nemo suis operib⁹, aut S. Spirit. præsentia meretur, sed omnino gratis præstantur à Deo. *Tertio:* amat peccatorem, cũ incipit mouere eius cor, & ad conuersionẽ adducere. hunc amorem similiter peccator nõ meretur, etsi ad eũ se possit per bona opera disponere; vt fecit Cornel. Centur. per eleemosynas, & orationes, & ieiunia. (Act. 10. 4.) *Quarto:* amat nos remittendo peccata, & ex inimicis transferẽdo nos in filios dilectionis, quod (Matt. 8. 8.) misericorditer omnino, ac sine vllis nostris meritis fit in Sacramento Baptismi, & Pœnitentiæ. *Quinto:* amat filios suos, qui post susceptum baptisma pie viuunt, & mandata eius seruant, gratiã augent, seq; maiori dilectione dignos reddunt. Amorẽ hunc mereri possumus, obseruatione mandatorũ Dei; & merito nos amat Deus, propter inhabitantẽ in nobis Spiritum S. qui animas nostras quodammodo *diuinæ naturæ consortes* facit. Ideo sicuti amat homo filiũ suũ, quia hic ab ipso habet naturã humanam, sic Deus amat electos, quia eundem cum ipso Spiritum habent, qui ab ipso procedit, & illis animæ vitam tribuit. & quanto hic Spiritus fuerit in homine plenior, tanto dile-

dilectio Dei est maior, & qui per Sacramentum Cõfirmationis habent Spiritus plenitudinẽ, à Deo etiam cæteris paribus plenius amantur: sicuti homines filium iam adultum, & vtilem, perfectius amant, quam infantes, quos amant tenerius, & quibus maiora ostendunt amoris signa externa.

Disce hic *Primo:* opera bona quę ex charitate fiũt, apud Deũ mereri, nosq; per ea iustificari & non, vt hæretici volunt, per solam fidem. aperte enim dixit Christus; eos à Patre diligendos, qui eum diligunt, & sermonem eius seruant. Ex quo cõsequens est, opera nostra Deo placere, neq; esse immunda, aut peccata, neq; esse indifferẽtia, id est, nec bona, nec mala. Deus enim propter huiusmodi opera neminem diligeret. *Secundo:* Magnum esse à Deo diligi; per dilectionem.n. dat nobis Spiritum suum, & nos sibi filios facit, ac largitur omne bonũ. sicuti.n. à parẽte filius expectat omnia bona, sic & nos à Deo omnia expectare debemus. Noli dignitatem hanc cõtemnere; superat.n. oẽs seculi dignitates. Si filius Dei es, nemo est quem timeas; potes.n. exclamare cum Apostolo *: si Deus pro nobis quis contra nos?* Nemo patri propinquior est, quam sit filius. Nõ est cur de necessarijs sis anxie solicitus, patrem.n. habes diuitem, neq; est cur mortẽ timeas, is.n. ad patrẽ, qui re ipsa, tibi, quantum te hic amauerit, & quale prœmium, ac quantum præpararit honorẽ, ostendet. *Tertio:* ex quanto maiori charitate opera nostra fiunt, tanto ea magis Dei dilectionem mereri. Ideo si quis non tantum Deum diligat, audiens Diuina officia, & cõciones, ac Ecclesias libenter frequentans, sed ꝓximo quoq; pro facultatib. benefaciat, à Deo magis diligitur, & si quis infirmitates proximi patienter supportet, ac propter Dei amorẽ patientiam habet, in omnibus quæ ei à proximo inferuntur, nihil nisi salutẽ eius desiderans, maximum Dei amorem meretur. Et talis frequenter, verbo Dei, ad religiosam vitam excitatur, vt ita post hanc vitam, maiorem à Deo mercedem accipiat. Exemplo nobis sunt duo Centuriones; Cornelius, qui faciebat magnas eleemosynas: & alter, qui famuli sui in infirmitate miserebatur, eique à Christo sanitatem impetrabat. Ideoque noli conqueri, si, quia pauperibus opitularis, impediris ab Ecclesia: maiorem enim Deo charitatem exhibes, si

Rom. 8.
Act. 10. 4.
Matt. 8. 8.

Dominica die vno Sacro contentus, proximum iuues, quam si diem integrum hæreres in Ecclesia.

V. *Et ad eum veniemus.* Quartus Spirit. S. effectus est, quod tres Trinitatis Personæ ad nos veniant, in quo quinque mysteria significantur. *Primo*: quod alio modo in iustis sit Deus, quam in peccatoribus. Est quidem in omnibus per *essentiam*, *præsentiam*, & *potentiam* ac *Primo*: per *essentiam* quæ vbique est, vt omnia conseruet, quomodo anima est in toto corpore, & omnibus membris, vt ea vegetet. Hoc modo nos in eo tantum loco sumus, quo circumscribimur: sicut vinum in vase. Deus autem indiuisus *cœlum implet, & terram*, iuxta id quod Ieremias dixit, & quod Dauid ait, *Dominus in cœlo est, & in inferno adest.* *Secũdo*: per *præsentiam*, sicut nos sumus in cubiculo, in quo omnia videmus, & videmur ab omnibus. Deo nihil est absconditum. Penetrat infernum, & intima cordis, neque vllus est locus, in quo nõ possit Deus ex operibus suis cognosci. *Tertio*: per *potentiam*, quomodo rex est in vniuerso regno. Deus vbiq; potestatem habet, vnde orabat Mardochæus: *In cuius ditione cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ*, in amicis quoq; est per gratiam, & dona. *Secundo*: quod Deus apud pios non tantum sit, sicuti nos apud nos mutuo, sed & in ipsis, vnde dixit Ieremias: *Tu in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos.* Corpora enim nostra, & animæ, Dei templa sunt, in quibus est. *Tertio*: quod Deus in nobis semper sit, quia noua nos semper gratia ornat. sicuti fons cisternam suam implet, & in eãdem continuo influit. Cisterna supereffluit, nos non itẽ, sed per nouam semper gratiam dilatamur, instar vesicæ, quæ vento inflata, semper magis ac magis dilatatur. Possunt animę nostræ quamdiu hic viuimus, sempet dilatari, ac maiorẽ gratiam suscipere. *Quarto*: quod dona sua tres Personæ nobis verè tribuant, & non tantum per imputationem. Pater verè nos confirmat, & roborat, vti exemplo inexpugnatæ fortitudinis martyrum patet. Filius verè nos sapientes facit, intellectum fide, & Dei cognitione illuminans, similiter Spiritus S. verè corda nostra per gratiam, amorem, & iustitiam, à peccatis lauat, ac virtutibus ornat. quod hæretici nostri & indocte, & obstinate, negant: neminẽ docentęs vere à peccatis mundari.

atque

Marginalia: Quinq; hic significata. — I. Deus vbique. — Hiere. 23. 24. — Psal. 138. 8. — Esth. 13. 9. — 2. — Hier. 4. 9. — 1. Cor. 6. 19. — 3. — 4.

atque ita Spiritui S. magnam contumeliam inferentes; quasi minus in nobis possit, quam vel Pater, vel Filius. Fortitudinē sentimus, & sapientiam; cur ergo carebimus iustitia, quam dat Spirit. S. Hac sua hæresi maiorem, quam putent, contumeliam irrogant Spiritui S. nam *Primo*: si vere in iustis non est iustitia, frustra Apostolis datus est festo Paschæ Spiritus S. ad remittenda peccata. nam homines peccata retinent, etsi tecta per superinductam iustitiam Christi. sicuti lepram suam leprosus sub veste retinet. *Secundo*: excludunt Spiritum S. ex Sacramentis, quasi ea nullam ab illo efficaciam ad remittenda peccata habeant, & ad hominum sanctificationē. *Tertio*: Spiritum S. templo suo, quod membra nostra sunt, eijciunt. vbi. n. peccatum, ibi diabolus est; adeoq; Spiritus S. abest. neque. n. illum hic fert; sicut nec arca statuam Dagon. *Quarto*: Ab Ecclesia eum eijciunt. sicuti enim corpus non viuit, cuius omnia membra mortua: sic nec sancta est Ecclesia, in qua omnes polluti. *Quinto*: Tollunt eum à Sanctorum reliquijs, qui tamen viuos inhabitauit, & mortuis virtutem miraculorum influit. *Quinto*: Quod Sanctis multi semper Angeli adsint ad inhabitantis Trinitatis honorem, vt de Eliseo patet. ideoque contristari, vel contemni à nobis non debent.

Ioan. 20. 23. *1. Cor. 6. 19.* *1. Reg. 5. 4.* 5. *4. Reg. 6. 17.*

VI. *Et mansionem apud eum faciemus.* Quintus S. Spiritus effectus est, quod tota Trinitas nos inhabitet. Multos, ait Gregor. accedit Deus, sed mansionē nō facit, quia ex cōsuetudine poti⁹, quā deuotione boni aliquid agunt. Bis aut ter in anno confitentur, sed emendatio parua, quia tepida. alij initio quidē calent, sed ingruente auersitate frigent. Paucorum est perseuerantia, quæ sui possessores beat. Notat Bernardus Deum venire tripliciter. *Primo*: Ad nos, per inspitationes bonas, quas immittit etiam malis. *Secundo*: In nos, vt ibi commoretur. *Tertio*: contra nos; vt puniat. sicut Antiocho factum, & Pharaoni, ac Herodi. Vt autem Deus *in nos* veniat, ipse sibi locum parare debet; iuxta id quod dixit Salomon: *Sapientia ædificauit sibi domum*, interim & nostrum est, vt cooperemur: immutat Deus cor, vt nos id ornemus virtute. nempe iuxta doctrinam Dauidis: *iustitia, & iudicium, præparatio sedis eius.* da cuique suum; Superiori obedientiam, & reuerentiam, corde,

Mat. 10. 22. *Serm. de aduen. Dom.* Deus venit variè. *Prou. 9. 1.* *Psal. 88. 15.*

& opere,

& opere; neque enim ſufficit exterius obtemperare maioribus, niſi & ex intimo cordis affectu ſublimiter de eiſdẽ ſentiamus. ait Bernard. proximis vero auxilium da, & conſiliũ. atq; hæ erunt ſex columnæ; ſeptimam vero dabit iudicium, quo te ipſum caſtigans, Dei iudicium præuenias. Porro Apoſtol. Deũ non manere ſolum, ſed & *ambulare* in iuſtis docet, ex Moyſe; ideoque loci amplitudinem, id eſt, cor liberale vult, & quod nullæ mundi, vel carnis anguſtiæ ſtringant: vt ſic omnes animi vires penetret. Ambulat autem in nobis Deus. *Primo*, Cum in virtute proficimus, teſte Anſelmo. *Secundo*, cũ omnia noſtra gubernat. *Tertio*: cum familiares ei ſumus teſte Chryſoſt. ideoque, vt Anſelm. monet, charitatis dilatationẽ, & voluntatem vltroneã requirit. Diſce *primo*: Deum non *per fidem* tantum in nobis habitare, ſed & per charitatẽ; quæ cum otium neſciat, ad obſeruationem legis nos mouet. *probatio* enim *dilectionis*, ait Gregor. *eſt exhibitio operis*: & ſicut fides actionis initiũ, ita charitas legis perfectio eſt; & ab hac illa meritum accipit, & operatur. *Secundo*: Non vnicam, ſed omnes Trinitatis Perſonas inhabitare in iuſtis; ita vt omnes habeat, qui vnam habet. cuius rei ſi in te documenta petis, frequenter confitere, & communica, & in ſtatu gratiæ permane; ita fiet vt Patris potentiam, Filij ſapientiam, & Spiritus S. charitatem accipias. *Tertio*: Eos qui à Spiritu Sanct. inhabitantur, ab eodem accipere, vt Apoſtolus ait, vitam ſpiritualem: ita vt ſicuti anima corpus, ſic ille hos moueat. *Primo*: vt de virtute eant in virtutem. *Secundo*: vt probent, ac diſcernant ſpiritus, neque omnibus credant. *Tertio*: vt zelo pietatis ſemper impellantur ad meliora. *Quarto*: vt orent ſicut oportet. *Quinto*: vt artus, actuſque omnes ad Dei honorem dirigant. *Quarto*: Eſſe multos qui cum Spiritus S. blaſphemia, & ſui damno grauiſſimo, contemnunt Spiritum S. nam *Primo*: Quidam in eum peccant, *vt neque in hoc ſeculo, neque in futuro remiſſionem accipiant*: quales ſunt, qui de miſericordia Dei præſumunt, vel deſperant, qui fraternæ charitati inuident, qui agnitam veritatem impugnant, qui de peccato pœnitere nolunt. Tales erant Phariſæi, teſte Chriſto. quibus dictum quod, *Spiritûs blaſphemia neq; in hoc ſeculo remittatur, neq; in futuro*. Tales quoque hæretici, quos Apoſtolus *ſubuerſos vocat*,

Loco cit. — 2. Cor. 6. 16. — Leu. 26. 12. — Hom. 13. in 2. ad Cor. — Eph. 3. 17. — Hom. 30. — Gala. 5. 6. — Gala. 6. 8. — Peccantes in Spiritum Sanct. — Matt. 12. 32. — Matt. 12. 32. Mar 3. 29. — Tit. 3. 10.

cat,& proprio iudicio condemnatos. quia agnitam veritatem impugnant. Tales demum omnes, qui non ex infirmitate, vel ignorantia, ſed ex malitia peccant. *Secundo:* Sunt qui ne audiant bona, aures obſtruunt; vt concionante Stephano fecêre Iudæi. quos Dauid *vrere* dicit, *ſecundum ſimilitudinem aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, ne exaudiat vocem incantantium,* qua cogatur venenum eijcere. Huc referri poſſunt, qui conſcientiæ ſtimulis non mouentur; imo ne ſentiant, voluptatibus ſe dant. contrà quam Apoſtolus monet; *ſpiritum nolite extinguere. Tertio:* Mentiuntur aliqui Spiritui S. quaſi eum decepturi: inſtar Ananiæ, & Saphiræ. nempe, qui vota ſacrilege ſoluunt. *Primo:* Monachi, vel Monachæ, qui poſt caſtitatis vota eam violant. *Secundo:* generatim omnes qui vota non reddunt. etſi enim Confeſſarij quidam poſſint vota priuata mutare, vel tollere; multò tamen Deo gratius eſt, (niſi neceſſitas exigat) id non fieri. neque enim vouemus, vt poſtea non reddamus. *Tertio:* Qui violata matrimonij lege, magnum *magni Sacramenti* vinculum, quod Deus poſuit, rumpunt. *Quarto:* Qui conceptā ſemel emendationē, vel boni propoſitum, facile mutant: incōſtantia. n. hæc quędam mendacij ſpecies eſt, quia diabolo magis obſequitur, quā Spiritui S. *Quarto: Cōtriſtant aliqui Spiritū S.* contrà quam monuit Apoſtolus. *Primo:* Qui peccato mortali eum à ſe fugant. nam ſi delitiæ ei ſunt *eſſe cum filijs hominum*, vtiq; ab his abigi moleſtum ei erit; & tamen de eo legimus: *Spiritus S. diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperueniente iniquitate.* Vbi tria notantur hominum genera, quos ille fugit. *Primo:* fictus pro quo gręcus habet δόλος, ſeu fictio, qua proximus blanditijs circumuenitur. *Secundo:* cogitationes inſipientes quarum nec delectationem iuſtus debet admittere. *Tertio:* iniquitas, id eſt, peccatum mortale. *quod eſt iniquitas.* ſi peccatum te ingreditur, fugit Spiritus S. à te. ſi peccati materia ingreditur domum tuam, etiam hanc fugit; ideoque ſollicite cauebat Dauid: *ne habitaret in medio domus eius qui facit ſuperbiam, qui loquitur, &c.* Hunc imitare, certus maiorem te benedictionem accepturum à præſente Spiritu S. quam ab arca acceperit Obededom. Cogita quid B. Virginis præſentia domui Zachariæ contulerit; infantem

Act. 7. 51.
Pſalm. 57. 5.
1. Theſſ. 5. 19.
Act. 5. 3.
Eph. 5. 32.
Eph. 4. 30.
Prou. 8. 31.
Sapi. 1. 5.
Pſalm. 100. 7.
2. Reg. 6. 11.
Luc. 1. 41.

tem in vtero exultãtem, & vxorem propheciden. *Secundo*: Qui se venialibus grauioribus maculant; hinc enim & solita quies, & deuotio læditur. hæc ergo si sentis, noli in naturæ, vel aeris indispositionem reijcere, sed caussam veram, peccatum dico; inquire, & excute, ad exercitium orationis redi, peccatum defle, &c. hoc enim intendit diabolus, vt imminuta prius animi quiete, eam paulatim auferat; teque à Deo auertat. *Tertio*: Qui seipsos inordinatis animi passionibus contristant; nam & hæ ab oratione eos impediunt. Deo potius cor effunde, tãquam præsenti; quia & corã te, & in te est, eiq; doloris caussam aperi, & sanaberis. sin ad vanos abis, dolorem detractione augebũt, vt ab eis, qui doloris caussa sunt, auersus, inquietudinem maiorem sentias. Spirit. S. nomen est *Paraclitus*, seu *consolator*; solus ille etiam minima lacrymula, ad nostri solatium mouetur.

VII. *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Commendat Spiritum S. Christus, ex eius necessitate. nam sicut qui per eum diligit, legem implet: sic qui ob eius absentiam non diligit, legem non seruat. Vnde hæc duo non diligere, & Spiritum S. non habere; hic coincidunt. Spiritus enim S. dilectio ipsa, & dilectionis dator est.

Nota *Primo*: Non dici hic, quod lex impossibilis sit, actusq; nostri oẽs sint peccata; vt volunt hæretici. contra Apostolum, qui etiã *Gentes* dicit *naturaliter ea quæ legis sunt facere*. sed insinuatur, *Primo*: Eum qui non diligit, non seruare primum, & præcipuum mandatum. quod est de dilectione. *Secundo*: Eum non seruare decalogum; quo non externa tantum, vt humanis legibus (quæ occulta non iudicant) sed & interna præcipiuntur, ita vt ad eius impletionem charitas requiratur. ideo. n. Deus *ad Abel* primo notatur respexisse, quam *ad eius munera*. & Zacharias rogabat, vt *sine timore seruiamus Deo liberati de manibus inimicorum*. quo notaretur hominẽ Deo placere debere, quod facit charitas, vt placeant deinde eius opera. *Tertio*: Peccatum peccati alterius initium esse, & viam. Dauid ex adulterio, in homicidium, Cain ex fratricidio, in desperationem incidit. Prima Petri negatio erat simplex, secundæ, iuramentum accessit, tertiæ deuotio, & execratio. Iudas post occulta furta, Magdalenę pietatem publice arguit, dein Dominum vendit, & oscu-

Rom. 2. 14. *Luc. 10. 27.* *Gene. 4. 4.* *Luc. 1. 74.* *Mat. 14.*

& osculo tradit, tandem se suspendit. Recte peccatum Zacharias plumbo confert: semper enim deprimit. idq; Primo: Quia diabolus peccatori dominatur, eumque *vt bouem* trahit ad animæ *victimã*. *Secundo*: Quia dominantur ei passiones, quæ vbi semel præualent, modum nesciunt; Dalilæ instar, quæ Samsonẽ vexat, vsq; ad mortem. *Tertio*, Quia caret peccator Dei gratia, in qua robur eius fuerat, sicut Samson crinibus, & oculos amisit, ne mali magnitudinẽ videat. facit. n. peccandi consuetudo, vt peccata non æstimemus: *Quarto*: significatur. Peccare hominem, quoties aliquid eorum agit, quæ ad peccatum iuuant, vel disponunt. impudico enim nõ tantum actus, sed nec cogitatus turpis voluntarius licet, aut deliberatio de medijs perficiendæ impudicitiæ. similiter quicquid ad idololatriæ promotionem facit gentilis, vel ad hæresis roborationem hęreticus, peccatum est. vt vere deplorandus sit eorum status, qui in continuis peccatis, eo grauius fere peccant, quo plus laborant. Væ, quantum vobis iræ diuinæ furorem thesaurizatis! Superbi cultum corporis; & honores semper quærunt, auari diuitias, impudici libidines; omnia male. Et hæreticorum concionatores, vel milites, nũquid omnium pene actionum scopum habent stabilimen hæresis, veræque fidei extirpationem? assidui ergo in peccatis sunt, & non solum Christi sermonem non seruant, sed etiam oppugnant.

Zach. 5. 7.

Prou. 7. 22.

Iudic. 16.

Nota *secundo*: De eis qui non diligunt, dixisse Christũ: *sermones meos*: cum tamen de diligentibus, paulo ante dixerit: *sermonem meũ seruabit*. Primo: Quia boni omnia mãdata obseruat, tãquam si vnicũ esset, mali vero vel nullũ, vel pauca. Sauli mandauerat Deus, vt collecto exercitu inuaderet, vinceret, occideret Amalecitas; inuasit ille, & vicit, sed non occidit. ideoque Deo displicuit. *Secundo*: Quia boni alacres sunt ad omnia, viãq; mãdatorum Dei quasi *currũt*. Mali vero semper excipiũt, & murmurant. vt in hæreticis patet, qui ideo mãdata Dei docent impossibilia: imitati terræ promissæ exploratores, qui qa terræ detractione populum concitarunt ad murmur, simul cum populo omni, à terra illa exclusi sunt. aliquando etiam præcepta multiplicant, Euam imitati, quæ & esum, & attactum pomi, à Deo vetitum dicebat. Nihil est tam leue, quod inuo-

1. Reg 15. 9.

Psal. 118. 32.

Nume. 14. 36.

Gene. 3. 3.

inuoluntarijs grauiſſimum non ſit. *Tertio*: Quia habent boni vnicum mandatum, in quo cætera omnia vnum ſunt: *charitas* Coloſſ. 3. 14. enim *vinculum eſt perfectionis*, quo quia mali carent, mandata multa habent, & à ſe diuulſa.

Nota *ſecundo:* Pijs ſupra promiſſum à Chriſto *Primo:* Quod Pater eos diliget. *Secundo:* Quod cum Patre ad eos veniet. *Tertio:* Quod manſionem apud illos faciet. Malis vero hic nihil promittitur. *Primo:* Quia non niſi pœnam merētur, quæ Apoſtolis non congruebat; & mauult nos Chriſtus prœmij ſpe, & amore duci, quam timore cogi. ideoque in ſymboli clauſula *vitæ æternæ* fit mentio, non gehennæ, aut purgatorij: non quaſi ea credere non debeamus, ſed quod non deceat Chriſtianam ingenuitatem, ſolo eorum metu moueri ad bonum; quę quiſque facile euadet, ſi charitatem, viæ & vitæ ducem habet. *Secundo.* Quia punire à Deo alienum eſt, & peregrinum. vnde Hom. 46. recte Imperfectus: *Deus inuitus compellitur cum magno dolore peccatores damnare. Non enim ſic dolet, quia ipſe ab eis offenditur, ſed quia quaſi violenter cogitur perdere aliquem, qui cupit omnes ſaluare: Nam quemadmodum in nobis contra naturam, eſt benefacere, ſic & Deo cōtra* Ser. 5. de Natali Dom. *naturam eſt maleſacere, aut perdere.* D. Bern. exponēs illud D. Pauli, 2. Cor. 1. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis*, ait, *bene dicitur Pater miſericordiarum, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Nam quod iudicat & condemnat, nos eum quodammodo cogimus.* Itaque qui peccat, non tam à Deo, quam à ſeipſo punitur: neque enim Deus, ſed Epiſt. 18. peccati pondus eum præcipitat. quia *nulla eſt tam grauis ſarcina*, ait Ambroſius, *quam onus delictorum, & pondus iniquitatis*. Præcipitant quoq; eum dæmones, vt Photius notat ad illa Apoſto- Rom. 2. 7. li: *Reddet Deus eis qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam* &cæt. *quærunt, vitam æternam: ijs vero qui ſunt ex contentione, &c. ira & indignatio.* Vbi mutata Phraſi innuit Apoſtolus, Deum bonis prœmia reddere, malorum vero pœnam, ex ipſis delictis quaſi emanare. Deo clemēti naturale eſt, retribuere bona, præter naturam vero, punire. *Tertio*: Quia poteſt per antitheſin ex bonorum prœmio, aliqualiter pœna malorum ęſtimari. Dico *aliqualiter*. quia pęna eorū non ſiſtet in ſola negatione bonorū quæ habent iuſti; ſed tria inſuper habebunt his bonis cōtraria.

Primo:

primo, Oderit eos Deus, *cui odio est impietas, & impius*. Atque sicut ex amore omnia bona, sic contra hinc omnia mala. *Secũdo*, Veniet ad eos diabolus, qui *domum* Deo *vacantem* statim occupat. *Tertio*: Manet apud illos diabolus. *Babylon* enim *facta est habitatio dæmoniorũ, & custodia omnis volucris immundæ*. Et peccator hic diaboli vinculis impeditur, ne resipiscat, in futuro autem ita eis clauditur, vt nulla sit euadendi spes; nullumque refugium.

Sap.14.9. Matt.12.45. Apoc.18.2.

Disce *primo*, Non fieri per Deum, vt pereas, sed per te. Amant omnia sibi simile, si ergo Deum non amas neque ei similis es. *Secundo*: Nõ præcepta tantũ Dei, sed & verba omnia custodire, ac peccata etiam venialia, quantum potes, vitare: vult.n. Apostol. *vt probemus* quisq; pro conditione sua, *quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta*. Atq; hoc qui perfectius fecerit, plenius à Deo visitabitur, & potentiam, sapientiam, charitatem ab eo participabit, pleniorem.

Rom.12.2.

Et sermonem quem audistis, non est meus: sed eius qui me misit, Patris. Rationem hic reddit Christus, cur qui sermonẽ eius seruant, à Patre sint diligendi, nẽpè, quia Patris ipsius sermo est, Patrem ergo honorat, vel lædit, qui sermonem eius seruat, vel violat. Quod autem hic dixit Christus, *sermo quem audistis non est meus*. alibi ait: *Mea doctrina, non est mea, sed eius qui misit me*. Duo namque in Christo erant scientiarum genera; sicut duæ naturæ. Erat Christus Deus, ideoq; habebat scientiã diuinã, quã sicut & naturam, à Patre accepit. Erat & homo Christus, ideoq; animam, & scientiam habebat humanã; sed & hanc à Patre acceperat, vtroq; ergo modo doctrinam ait esse Patris, neq; se eam habere à seipso. Potuisset dicere, ait Chrysostomus, doctrina quã vobis vt homo propono, à diuinitate mea est, sed ad Patrẽ vsq; ascendit, vt originis, & generationis principiũ ostendat, sicque profundius doctrinam hanc nobis instillet, imo nõ sermones solum, sed & opera sua Patri Christus tribuere solet: *verba quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens ipse facit opera*. VIII.

Ioan. 7.16. Ho. 48. in Ioan. Ioan.14.10.

Disce *primo*, Euãgelij, verbiq; diuini dignitatem. *Est* enim *verbum Patris, & virtus Dei*, ait Apostolus, *in salutem omni credẽti*: quo hodie tria hominum millia, ex mõstris diaboli facti sunt

Heb.4.12. Rom.1.16. Act.2.41.

filij Dei, horum exemplo ora, vt & te Deus conuertat. *secundo*, Time violationē diuinæ legis, *potest* enim *Deus & corpus & animam* peccatoris *mittere in gehennam*. *Tertio*, Nihil ex te ipso cogites, loquaris, vel agas: sed à Patre, cū Christo, omnia accipe. In Paulo *viuebat Christus*, & in hoc ille *omnia poterat*. Idem accipies & tu, modo sincere diligas. *Primo* enim fient omnes actiones tuæ bonæ. *Secūdo*, fiunt meritoriæ. Sicut actionibus singulis meruit Christus, tum, quod ex charitate, tum, quod ex obedientia eas faceret. vnde beati quibus obedientia omniū operum forma. Quod non religiosi tantum, sed & seculares possunt, si ad Confessarij regulam se dirigant, Deique in omnibus voluntatem spectent. Sicuti enim religiosus bonus nō imperium Superioris expectat, sed nutus ei sufficit, sic piorū est, vbi Dei voluntatem norunt, imperium præuenire.

Luc. 12. 5. *Gal. 2. 20.* *Philip. 4. 13.*

IX. *Hæc locutus sum vobis apud vos manens*. Occurrit hic Christus paratę Apostolorum interrogationi, ait Chrysostomus, monetque vt tristes non sint, etsi necdum omnia intelligāt, quia Spiritum S. accipient instructorem. Alij valedictionem fuisse volunt: q. d. Christus, multa vobis locutus sum vtilia, nunc vero, quia mors instat, à Spiritu S. deinceps similia expectate. Nota. Locutum hominibus Christum *Primo*, Ante incarnationem *in Prophetis*, sed obscure, & cum terrore. *Secūdo*, Cum incarnatus in terris viueret, idq; clare & blādè. *Tertio*, Post ascēsionē in cœlos, per Spiritum S. Manent autē hi tres modi etiā hodie: nam *primo*: Peccatoribus metum inculcat, vt pęna territi peccata deserant. *Secundo*, Iustis per Ecclesiæ Prælatos benigne loquitur, obscure tamen, & per ænigma. *Tertio*, Post hanc vitam facie eis loquetur ad faciem; vt cognoscant eum sicuti & cogniti sunt.

Heb. 1. 1. *2. Cor. 5. 7.* *1. Cor. 13. 12.*

Nota *Secundo*, ex B. Augustino: aliam hic mansionem significari, quam supra: hic enim de visibili agitur, & defutura, ibi de inuisibili, ac æterna. Vnde duos habemus modos, quibus nobis Christus adest. *Primo*, Corpore, in Eucharistia, & sic tā malos accedit, quā bonos, sicut Iudæis conuixit olim peccatoribus, & iustis, eisq; loquebatur. Hoc tamen discrimine, vt malis ad aures, bonis vero ad cor loqueretur: qui virtute sermonū eius mūdi reddebātur, cū ad eosdem mali impingerēt: Sicut

Aug. tr. 77. in Ioan. *Ose. 2. 14.* *Ioan. 15. 3.*

Sicut ab Eucharistia boni sugunt gratiam, malis vero peccatū increscit. De Maria Oigniacensi refert Cardinalis Vitriaco, ꝙ sub eleuatione Dominum videret, in specie elegantissimi pueri in manib⁹ Sacerdotū, & post cōmunionē digne factā, eosdem videbat mirabiliter anima fulgere: qui si cōmunicassent indignè, Dominus cū indignatione ab eis recedebat. Ex quo obiter discimus, verā esse Caietani sententiā, ꝙ scil. Dominus gratiā det toto tēpore, quo species Sacramētales durāt, ideoque expedit à cōmunione aliquamdiu cū Domino colloqui, seq; totum ei refundere. *Secundo, Spiritu* venit, atq; hic modus iustis proprius est, manetq; etiā post consumtas species Sacramentales, atque eo Dominus nos instruit, & roborat; siue ei intendamus meditando, siue opus bonum agendo. Lib. 1 vitæ eius c. 4. & 13. Tom. 1. Surij 23. Iunij.

Nota *Tertio*, Docere hic Christum, quid petere ab ipso, & expectare debeam⁹, multi honores petūt, cū filijs Zebedæi, alij cū Nazarenis, miracula; vel cū Capharnaitis, panē, ac cibū; alij æstimationē sui, vt fratres, & cognati Christi; multi deniq; carnis libertatē, cū nostris hæreticis. Potest Christus dare etiā tēporalia, sed mavult dare quod melius est, & vtilius: nempe, verbum suum, quo creati olim cœli, & nunc homines creantur in operibus bonis, ac Sacramenta virtutē accipiunt peccata delendi, ac dandi gratiam. Cum ergo dixit: *Hæc locutus sum vobis*, &c. præsentię suæ vtilitatem significat, à qua tantum accepimus bonum, vt & tu de te bene meritos remuneres verbo Dei, ad animæ eorum vtilitatem. Matt 20. 21. Luc. 4 23. Ioan 6. 26. Ioan. 7. 3.

Paraclitus autem Spiritus S. Hic aperte Christus eum quem promiserat, *Paraclitum* dicit, & *Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere*, vt eum significet esse Deum, nō creaturam. *Primo* itaque *Paracletum* eum vocat, seu *Consolatorem*: quia & initio Apostoli, & etiam nunc fideles, consolatione egent, ob aduersitatum multitudinem, quibus cum nolit Christus suos opprimi, consolatorē mittit, qui gaudium det, quod nemo tollat, Facit autem hoc Spiritus S. *tripliciter*. *Primò*: Per magnitudinem amoris, sicuti enim ignem maximū aquæ nō extinguunt, sic de amore dicitur: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*. ita vt exclamarit Apostol. *Certus sum quod nulla creatura poterit nos separare à charitate Dei*. X. Ioan. 14. 17. Ioan. 16 22. Cant 8. 7. Rom. 8. 39.

Secundo: Ob altissimam gaudij penetrationem, adeo namque insidet profunde, vt nulla illuc tristitia appropinquet. *Tertio*, Qui Spiritus S. omnipotentia omnem tristitiæ materiam in gaudium conuertit. *diligentibus* enim *omnia cooperantur in bonum.* gaudentque de contumelijs, damnis, & morte pro Christi nomine illatis: de honore, & prosperis tristes B. Simeon vt honorem declinans ab omnibus rediretur, stultũ se finxit. S. Franciscus, cum tempore ægritudinis pullum gallinaceum comedisset, iniecto laqueo voluit per plateas circumduci, proclamante pręcone: *Hic est ille quem omnes vt sanctum colitis, cum delitiose viuat.* Tempore B. Dominici decumbebat Romæ mulier nomine *Bona*, cui ex corpore multi scaturiebant vermes, quos illa vlceribus egressos, ad loca priora recolligebat, nollebatque B. Dominico vel vermem vnum concedere, nisi rediturũ se polliceretur. Simili modo S. Franciscus cum maximo gaudio, maximum quinque stigmatum dolorem suscepit, quo passionem Christi melius sentiret. Disce hic non loqui eos ex Dei Spiritu, qui conscientias pręgrauant, & quasi in desperationem præcipitant; nullum hic crimen irremissibile, imo si Spiritus S. accedat, malum omne discedit. Ille enim *in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatiũ.*

Rom. 8.28.

Tom. 4. Sur. 1. Iulij.

Theodoricus de Apudeia in vita S. Domini l 2. c. 14

Tom. 4. Sur. 5. August.

In sequentia huius festi.

Secundo vocatur *Spiritus Sanctus*: quo notatur. *Primo*,: diuinitas eius, ne de Christi absentia queramur. *Secundo*, Officium sanctificandi corpus, & animam. Animę gratiam, intellectui fidem, voluntati charitatem corpori, toti se totum infundit. Vnde non loquuntur ex Spiritu S. qui proximos vel à bono impediunt, vel ad bonũ non promouent pro viribus; qui frequentem confessionem, & communionem (quæ sunt media ad gratiam) dissuadent, qui cõiugium virginitati pręferunt, qui à monasterijs homines auertunt. Mundi ista sunt, & libertatem carnis amantium, atque à Spiritu S. omnino aliena.

XI. *Quem mittet Pater in nomine meo.* Insinuatur hic *Primo*: Spiritum S. à Patre mittendum, idque *Primo*: vt Deum esse credamus, & digne suscipiamus. Duo nobis ad salutem erant necessaria, soli Deo possibilia, nempe, peccati remissio, & datio gratiæ, alterũ incarnatio Christi, & passio contulit, per pretiũ sangui-

ſanguinis eius, alterum confert Spiritus S. Qui à Patre mittitur, vt ſignificetur, *Secundo* eſſe munus vere Paternum, nō niſi filijs Dei commune, ad quod per confeſſionem homo ſe debet diſponere, vt accipiat, *Spiritum bonum quem dat pater de cælo petentibus ſe*. *Luc.11.13.* *Tertio*: Quia qui in Eccleſia Cōfirmationis Sacramentum dant, patresfamilias eſſe debent, ac Epiſcopi: ſicuti illud initio ſoli dederunt Apoſtoli. Baptiſauit quidem Samaritas Philippus, ſed vt Spiritum S. acciperēt, miſſi ad eos Hieroſolymis Petrus, & Ioannes. *Act.8.14.* Duodecim quoq; Ioannis Baptiſtæ diſcipuli, poſtquā ab alijs Epheſi eſſent baptizati, à B. Paulo confirmati ſunt. *Act 19.6.* Vnanimis Patrum omnium ſententia eſt, Presbyteros baptizare tantum, nō confirmare. Ita ex Romanis Pontificibus docent Clemens[a], Vrbanus[b], Melchiades[c], Damaſus[d], Leo[e], Innocentius[f], & alij. Ex Cōcilijs Laodicenum[g], Meldenſe[h], Elibertinum[i], Arelatenſe[k], Wormatiēſe[l], ex Patribus, Dionyſius[m], Patianus[n], Auguſtinus[o], &c. conueuit enim vt Sacramentum perfectionis, non niſi à pręſtantioribus Eccleſię miniſtris detur.

a *Epiſc.4.* b *Epiſt ad omnes fide.* c *Epiſt. ad Epiſc. Hiſp.* d *Epiſt.4.* e *Epiſt.1.* f *Epiſt.88.* g. *Cap.7.& 48.* h *Cap. 38.* i *Cap.6.* k *Cap.8.* l *Cap.2.* m *Cap. 4. Eccl. Hierar.* n *Tract. de Baptiſ.* o *in Pſ. 44.*

Nota primo: Non dixiſſe Chriſtum, *Quem pater mittet vobis*: ſed, *mittet*. Quia Spiritus S. Chriſtianis omnibus datur in Cōfirmatione, ſicut remiſſio peccatorum in Baptiſmo. Porro ſicut in Sacramēto omni ſignū externū eſt, & interior gratia ſic & in Cōfirmatiōe nobis vtrūq; applicat, aliter tamē, q̃ Apoſtolis, licet nec his ſigna externa defuerint. Quatuor .n. in eis facta legimus. *Primo*, fuit de cœlo ſonus vehemēs, & repētinus. *Act. 2.2.* qui ſignificat, *primo*, fortitudine à Chriſto ꝓmiſſam de cœlo eſſe. 2. ipſos vēti inſtar ꝑ vniuerſū orbē cito diſpergēdos, 3. ipſos vēti inſtar purgaturos hominū corda. 4. proſternēda ab eis idola omnia, & errores, principeſq; eis, ac ꝓſertim B. Petro, ſubijciēdos, 5. cōpungēdos ad eorū doctrinā hōies, notat .n. Greg. *Lib.5.mor. c 25.* Spirit. S. aliquādo inſtar *ſibili auræ tenuis* aduenire, *3.Reg.19.12.* vt Heliæ cōtigit, hodie vero accedere inſtar *vēti vehementis*, vt vitia radicitus cōuellat. 6 Chriſtianos oēs Dei gratia implēdos, ſicut impleta fuit domus tota, in qua erāt Apoſtoli. *Secūdo*: apparuerūt ſupra ſingulos diſpertitæ lingue, vt ſignificaretur, *primo*, eos doctrina collectos, ideq; ſentiētes, ad omnium linguarū populos breui diſpergēdos. *Secūdo*, Deū ꝑ ipſos omni lin-

ni lingua laudandum.*Tertio*,datam ipsis omnium linguarum
Petrus Ransanus in vita eius c.7. 2. notitiam,neq; enim yna solum lingua loquebantur , quæ à
singulis intelligebatur, vt de S. Vincentio Ferrerio narrant:
Act.2.4. sed aperte ait Lucas,eos loquutos *varijs linguis*,tū,quia per or-
Gen.11.7. bem vniuersum erant dispergendi,tū,vt peccati,& gratiæ di-
scrimē videremus:illud enim linguas cōfudit,vt hōies se mu-
tuo nō intelligerēt,hæc vero linguarū notitiā attulit.vnde de
1.Cor.14.18. se testatur Apostol.*omniū vestrum linguis loquor*,& B.Petrus, Ia-
cobus,Ioannes,cum nunquā literas Græcas didicissent Græ-
ce tamen scripserūt,non quod in omnibus linguis exactissimi
2.Cor.11.6. fuerint,sed quia intelligere poterant,& respondere. Alioqui
2.Cor.10.10. testatur Apostol.se *imperitum* fuisse *sermone*.Noluit enim Deus
eloquentia hōies cōuerti. *Tertio*, fuerunt linguæ ignitę,ignis
autē lucet,& ardet:vnde notatur hic *primo*:accepisse Aposto-
los plenā mysteriorum fidei cognitionē hic promissam. *Secū-
do*,arsisse eos Dei amore,& contra aduersa omnia fuisse soli-
datos,instar lateris,quem indurat fornax,atque huius ardoris
vi,se per orbē vniuersum sparserunt,sicut extortus è tormēto
globus. *Quarto*,sederunt linguę supra *singulos*, vt notarentur
singuli iam cælestes effecti.*Erat autem illic præsens turba hominū*
Act.1.15. *fere centum viginti*:qui numerus à Clemente *a*, & Gregorio *b*
a lib 6. firo. c.36. mystice exponitur,nam *primo*,componitur ex additione om-
b Lib 26. mor.c.7. nium numerorum,qui sunt in quintodecimo, quintusdeci-
mus autem plenilunium habet,& gradus totidem erant Hie-
rosolymis ante templum,adeoq; perfectus est , constat nam-
que ex septenario,qui vitæ præsentis figura est,& octonario,
qui resurrectionem notat,seu vitam futuram. *Secundo*: est nu-
merus trigonus. Ter.n.quadragies facit 120.*Tertio*,est tempus
Gen.6 3. homini ante diluuiū præfinitū,quo etiā Noë fabricauit arcā.
Atq; ita significatur hic *primo*;Spiritum S.perficere, sicut sol
facit plenilunium.*Secundo*: quod cum per Spiritum S. simus
Matt. 5.14. lux mūdi.*tertio*,ꝙ per Spiritū S. sic trāseamus tēporalia,vt cō-
Eccl. 11. 2. sequamur æterna.Hinc Sapiēs monet , *da partē septē nec non &*
16.mor. c. 7. *octo*,i.vt Greg exponit, sic dispenses tēporalia , vt non amittas
ęterna.*Quarto*:Spiritū S.per fidem Euangeliorū 4.& 10.præ-
ceptorū,solidare nos in amore Trinitatis. *Quinto*:Spiritum S.
saluare nos in Ecclesia à peccati diluuio. Atq; hoc fere modo
super

ſuper Gentilium primitias deſcendiſſe Spiritum S. teſtis eſt S.Petrus, niſi quod Iudæorum nulli, vt notat Gregorius, Spiritum S.acceperint ante baptiſma, vt illi. quo ſignificaret Deus futuram Gentium benedictionẽ. B. Paulus quoq; extraordinarie Spiritũ S. accepit, baptizatus.n. ab Anania Diacono, ab eodẽ ſuſcepit quidẽ manuũ impoſitionẽ, verũ nõ erat hæc Sacramẽtalis, ſed tantũ ſanatoria oculorũ: De⁹ vero, qui peculiariter eũ vocauerat, eidẽ peculiariter Spiritũ S. infudit. *Act. 10. 44. & 11. 15.* *Lib. 27. mor.* *Act. 9. 17.*

Eſt autem alius modus, iſq; conſuetior, vt baptizatis Apoſtoli manus imponerent. de quo Tertul. *Caro abluitur vt anima emaculetur, caro vngitur vt anima conſecretur, caro ſignatur, vt anima muniatur; caro manus impoſitione adumbratur, vt & anima Spiritu illuminetur.* Vbi *primo*: de baptiſmo agit, ac *dein* de cõfirmatione. Solent enim hæc duo Sacramenta olim coniungi, vt docet Cyprianus agens de baptizatis à Philippo, *quibus id quod deerat, à Petro & Ioanne collatum eſt, vt oratione pro eis habita, & manu impoſita, inuocaretur, & infunderetur ſuper eos Spiritus S. Quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Eccleſia baptizantur, prapoſitis Eccleſiæ* (hoc eſt Epiſcopis) *offerantur, & per noſtram orationem, ac manus impoſitionem, Spiritum Sanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico* (ita namque fit in Confirmationis Sacramento) *conſummentur.* *De Reſurrectione carnis. c. 8.* *Epiſt. 73. ad Iubaian,*

Quatuor ergo cæremonias Confirmationis apud Tertullianum habemus. *Prima* eſt; *vnctio.* Vnde & *Sacramentũ Chryſmatis* vocatur, quod *in genere viſibilium ſignorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe baptiſmus*; ait Auguſt. Chriſmatis confectionem, ait Fabianus Papa, Apoſt. à Chriſto didiciſſe in die cœnæ; ideoq; & tunc quotãnis renouatur. myſticã vero eius explicationẽ, ponit Dionyſ. qui & Confirmationẽ vocat *myſteriũ ſacroſanctum.* imò, Origenes, *a* Cyprianus, *b* Cyrillus *c*, à chryſmate nos volunt dici Chriſtianos, quaſi vnctos. Addit Cyprianus *d*, componi chriſma ex oleo, & balſamo, vt Regiæ & Sacerdotalis dignitatis cõiunctio notetur. Et Baſilius *e* id conſecrari dicit, ex Apoſtolorũ traditione. Habet porro oleũ myſteria ſua, vt Cypr. notat. *Nihil.n. hoc oleũ cõmune habet cũ liquoribus, qui ex quorundã fructuũ pinguedine exprimũtur. Vnde nõ hæc medendis corporib⁹ vnctio eſt inſtituta, quia ſanctificatis elemẽtis iã nõ propria natura pbet* *Lib. 2. cont. epiſt. Petilia. c. 104.* *Cap. 3. Eccl. Hierar.* *a Hom. 9. in Leuit.* *b Lib. 1. ep. 12* *c Catech. myſt. 3.* *d Ser. de cœna Dom.* *e De Spiritu S. c. 27.* *Serm. de cœna Dom. ferè in princ.*

effectum, sed virtus diuina potẽtius operatur, quia adest veritas signo, & Spiritus Sacramento. est.n.oleum oliuarũ, calidum, pingue, nutrimentum ignis, lucidum, innatans, premiturq; ex olea, q̃ bis annue viret, ac si quis eo inunctus sit difficulter apprehẽditur. q̃ omnia gratiæ cõueniũt, *primo.* n.inflãmat igne charitatis. *secũdo:* athletas facit, diabolo, mũdoq; inapprehẽsibiles. Vngit.n.nos Christus, teste Aug. vt luctatores cõtra diabolũ faciat. Et sicut musca oleo delibuta in vitę periculo est, sic in nobis gratia vnctis, mala omnia moriuntur. *Tertio.* misericordia & benignitate impinguat. *Quarto,* mũdanis omnib. superfertur. *quinto:* intellectũ illuminat, animasq; gratia septiformi inungit. quia *post fontẽ,* vt ait Ambr. *superest vt perfectio fiat, quãdo ad inuocationem Sacerdotis* (Episcopum intelligit) *Spiritus S. infunditur, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus Consilij, atque virtutis, Spiritus cognitionis ac pietatis, Spiritus S. Timoris.* inde vero fit vt gustata semel virtute, magis ad eã excitemur. *Sexto:* Homines in bono cõseruat, vt semper sint quasi in eodẽ virore: sicut Angelos, vt Dionysius docet, eadẽ ex caussa semper pingim⁹ iuuenili facie. Porro balsamum ꝙ simul calet, & fragrat, in nobis fieri docet, vt Christo, & proximis bonus odor simus, &, vt ait Dionysius, eximia virtutũ fragrãtia repleamur. Hæc autem duo linguis successere, quia Apostolorum erat Euangelium promulgare, eoq; alios accendere, nostrum autem est, exemplo potius, quam verbo trahere. Refert de Gentili Sacerdote Turonensis, quod cum pręsente Imperatore sacrificasset, nec acciperet responsum, exclamarit adesse Christianũ aliquẽ, qui baptizatus, & cõfirmatus cũ sit, dæmones oẽs fugarit, & statim adolescẽs vnus intrepidus prosilijt, eum se esse professus. Similẽ fragrantiã ad oẽs spargere oportet, vt currãt alij *in odorẽ* eorundem *vnguentorum, & glorificent patrẽ, qui in cælis est. Secunda* cęremonia est, impressio crucis, à qua Sacramẽtum hoc, Cypriano [a] *signaculum Dominicum* dicitur, Augustino, [b] *signaculum Christi;* Innocentio [c], *consignatio* Cornelio [d], *signaculum vnctionis.* Armamur enim hoc Sacramento cõtra hostes Christi, & crucis perduelles. Fronti autem crux chrismate inscribitur, vt militiam nostram vbique profiteamur.

Tertia est, Cõsignatio in fronte, vbi verecundiæ sedes, est & velo

Serm. 47. de verbis Domini.
Lib. 3. de Sacra. c. 2.
Cælest. Hierarch. c. 10.
2. Cor. 2. 15.
Cœlest. Hier. c. 4.
De gloria Martyrum c. 41.
Cant. 1. 4.
Matt. 5. 16.
a Epist. 73. ad Iubaian.
b 19. contra Faust. Manich. c. 14.
c Epist. 1.
d Epist. ad Fabian. Antioche.

velo lineo obnubimur;tum ad chriſmatis reuerentiam, tum ad Sacramenti profeſſionem, mundiq́ue contemptum. humiliter alapam Epiſcopus infligit,vt ad omnia tormenta fortitudinem accipiamus.De ſigno hoc audi, quid dicat Auguſtinus:*Niſi adhibeatur,ſiue frontibus credentium.ſiue ipſi aquæ qua regenerantur, ſiue oleo quo chriſmate vnguntur, ſiue ſacrificio quo aluntur,nihil eorum ritè perficitur*.alibi docet,diuerſa Sacramenta diuerſis applicari membris:Baptiſmum ſc.corpori, & præcipue capiti,Euchariſtiã ori,Confirmationẽ fronti. *Quarta* eſt,Impoſitio manuum,quæ hic tam ſolẽnis eſt, vt Sacramento nomen dederit apud Melchiadem, [a] Damaſum, [b] Leonem,[c] Cyprianum,[d] Tertullianum,[e] & alios.ſignificat autem *primo*, perfectionis conſummationem,& libertatem:hæc enim duo Latine dicimus *ſupremam operi manum imponere*, &, *manu mittere*.*Secundo*:Dationẽ gratiæ cœleſtis.*Tertio*:Protectionẽ Spiritus S.tanquã galeæ cõtra aërearum poteſtatum iniurias. Nota *ſecundo*:Errorẽ hæreticorũ noſtri temporis, qui cõfirmationem dicunt,olim cæremoniã duntaxat baptiſmi fuiſſe,cum baptizatus Epiſcopo ſiſtebatur examinandus,&monendus ad cõſtantiã,populuſq; iuberetur pro eodẽ orare,ſed hæc quo Scripturæ,vel Patrum teſtimonio probant? certe datum per manuum impoſitionẽ Spiritũ S. Scriptura aperte teſtatur: vti & citati ſupra ſupra Patres,qui addũt, Nouatũ ab Eccleſia apoſtataſſe,ꝙ Sacramenti huius plenitudinẽ non accepiſſet.Notanda aũt eſt hic Scripturæ phraſis,cum dicit: *per impoſitionem manuũ dari Spiritũ S*.nã de baptiſmo ſimiliter dicitur, ꝙ *per lauacrũ regenerationis ſalui fiamus*. vt ſignificetur per vtrumq; Sacramentũ,tanquã per inſtrumentum,gratiã dari. Errant prætererea hæretici,cum manuum impoſitionẽ dicunt, tantũ ordinatam fuiſſe ad donum linguarũ, aut prophetiæ, vel miraculorũ. nam cum & energumeni varijs linguis loquantur, & aſina Balaam locuta ſit vt homo, & Cayphas prophetarit, & mali quoq; miracula faciãt, ad hæc omnia Spiritu S. opus nõ eſt,neq; gratia:præſertim,cum datus ſit Spiritus S.vt Eccleſiæ dona perpetua cõferret,&digniora;donum aũt linguarũ primitiuæ Eccleſiæ fere propriũ fuit;tum, ad Gentiũ conuerſionẽ;tum,ad fidei vniformitatẽ in primis cõuerſis,qui numero

Tract.118.in Ioan.in fine.

a *ad Epiſ. Hiſpani.*
b *Epiſt.4.*
c *Epiſt.88.*
d *Epiſt.ad Iubaian.*
e *Lib de Baptiſmo.*

Epiſt. Fabia. apud Euſeb. l.6.c.33.
Act.8.17.
Tit.3.5.

Num.22.28.
Ioan.11.51.
Matth.7.22.

Matth.28.18. Apoc.9.1. pauci erant.neq; eo iam opus,quia habẽt nationes,& linguæ singulæ doctores sibi proprios,quos intelligant. Nota *Tertio:* Diabolũ cõtrario prorsus modo venisse in mundum.Christ⁹ potestate à patre accepta,& cœli clauibus, ascendit in cœlũ, vt nos benediceret. Diabolũ quasi stellã vidit Ioannes *cadentẽ de cœlo,*& habentẽ *clauẽ putei abyssi,* ex quo fumus ascendit solẽ obtenebrans cũ locustis, & sonitu equorũ currentiũ ad prœliũ.Spiritus.n.S.lucẽ adfert,diabolus caliginẽ.ille cœlestis est & purus,hic infernus,& immundus. tentationes huius quasi ex inferno assurgunt,nosq; expugnãt,&passionibus obnubilant,vt ex Dauidis,& Petri lapsu patet,ac hæreticorum varijs erroribus.item instabiles ad superbiã,& luxuriã, velut equos præcipitant,vt curruum instar, non nisi per terrena volutemur. Vis ergo spiritum quo ageris,discernere? finem quo agit vide:nam Spiritus S.à mundo ad Deum,& quietẽ auocat:diabolus cõntra,à Deo ad mundũ. *Secundo:*in positis supra verbis,dicitur Spiritus S.*mittendus à Patre,in nomine Filij*:non q sic mittat eum Pater à Filio,ait Augustinus,vt Filius à Patre. Pater.n.non habet à Filio virtutẽ spirandi. sed,*primo*:quia Pater mittit per Filiũ.procedit namq; à Patre,per Filiũ:ita Cyrillus. *Secundo:*quia mittit per merita Filij,qui *rogat Patrem*.rogare autem,idem est quod merita iam exhibere. *Tertio*: Quia mittit loco Filij,id est,vt sit consolator sicut fuerat Filius,qui me detur *contritis corde. Quarto:*Quia mittit vt perficiat opus,& spiritualem structuram à Filio inchoatam.

2.Reg.11.& 25. Ioan.15.26. 4.de Trin. c.20. 10.in Ioan. c.6. Ioan.14.16. Isai.51.1.

XII. *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Videbat Christus non intelligi se à discipulis suis,neque dicta sua ab eis retineri : ideoque duo hic Spiritus S.officia indicat, quibus vtroque malo liberentur. ac *Primo docebit omnia,*nõ ea tantum quæ hic dicta à Christo, sed(vt alibi promissum eis) *omnem veritatem* : nõ quod etiam naturalia omnia cognouerint,in his enim ab Adamo,& Salomone,imo & ab Ethnicis quibusdam superati sunt, tanquam minus necessarijs ad salutem:habebant interim in his, pro oportunitate, vt doctissimis etiam possent satisfacere; vt de B.Antonio refert Athanasius.imo multos Philosophorum Apostoli conuictos ad fidem traduxerunt.vnde de B.Petro refert Clemens,cum de

Ioan.16.13. in eius vita. Lib.Recogni.

de Simone, alijsq; doctissimis non semel disputando triumphasse. atq; idē de cæteris cogita Apostolis, qui vt de se testatur B. Paulus: *non subterfugerunt quo minus annuntiarent omne consilium* Dei. & quæ sciebant Ecclesiæ transmiserunt. *Act. 20. 27.*

Disce *primo:* Ecclesiæ sapientiam, didicit enim ab eo, qui omnia nouit, & docet, *primo*: exterius per audita, vel lecta. *secundo*: per ingenij illuminationem. *Tertio*: per excitationem affectus, doctrina enim Christiana in contemplatione, simul & actione, consistit. atque illam quidem Spiritus S. fide, sapientia, scientia, & intellectu perficit; hanc vero fortitudine, pietate, &c. Qui literas docet *primo:* characteres pręscribit, & format, dein manum discipuli ducit, sic Spiritus S. primo docet, dein voluntatem mouet.

Disce *Secundo,* Neminem qui Spiritu S. careat, esse perfecte doctum, nam quod Sapiens *infinitum* dicit *numerum stultorum,* inde est, quia infinitus est numerus peccatorum. sunt aūt stultorum duo genera, *primi* stulti sunt in omni materia. *secundi,* in aliqua tantum. sic spiritualiter quidam in omnibus desipiūt, vt infideles omnes, qui intellectum non habent sanum. quidam vero in aliquibus, qui fidem habent, sed sapientiæ dono carent. ideoque ad stulta deuoluuntur. & eos aliqui cum Democrito rident, alij vero cum Heraclito lugent, ꝙ piorum est. Porro peccati stultitia dupliciter se prodit. *primo*: Quia peccator sine scrupulo properat ad infernum. stultus autem est, qui pro scelere damnatus mortis, saltans, & gestiens, ad eam festinat. *Secūdo:* Quia peccatis singulis propria superbia est. Superbi vt splendeant, tormenta sibi inferunt, & pauonum instar, caudas, alasq; vix leuant. Ebrij & irati canū instar sibi mutuo allatrant. soli pij rationē sapienter audiunt. *Eccl. 1. 15.*

Disce *Tertio:* Spiritum S. consolandi officium perpetuare. Pater semel mundum condidit. Filius semel redemit. sed Spiritus S. etiam nunc quotidie nos solatur, & docet cognitionē Christi, roboratque nos in interiori homine, vt discamus *cum omnibus Sāctis, quæ sit lōgitudo, latitudo, sublimitas ac profundū crucis,* ꝙ fit cū cęli gloriā, operū merita, peccati & miserię abyssū intuemur, vt sic ad beatitudinē ꝑ ueniamus ad q̄ sum⁹ cōditi. Aliqui ex verbis his inferūt, oēs sigillatim de omnib. à Spiritu S.

instrui

1. Ioan. 2. 27. instrui, vt olim Apostolos, adeoq; non habere *necesse, vt aliquis eos doceat, quia vnctio docet de omnibus*. sed hi toto cęlo erant; quia et si sine Spiritu S. veritas non cognoscatur, humana tamen instructio reijci non debet. Tribus ergo modis Spiritus S. docet. *primo*: immediate, sine aliorum cooperatione. sic Apostolos olim, & B. Paulum docuit. *secundo*: mediate, cum ad hominum prædicationẽ ipsi interius intellectum aperit, & voluntatem mouet. sicut factum olim Cornelio, & nobis etiã nunc hoc. n. sensu promisit Christus, fore *omnes docibiles* Dei. & eodẽ modo docet Christianos Ioannes, vt Concionatores alios nõ audiant; sed *quod audierũt ab initio, in ipsis permaneãt*. docet enim Christianos *vnctio* seu Spiritus S. sed per doctores, & per eosdem inchoatam doctrinam perficit. vnde & Apostoli ꝙ præsentes plantarant verbo, absentes rigarunt per epistolas scripto. *Tertio*: Docet Spiritus S. Episcopos in grauibus fidei difficultatibus: vt ex Scriptura, vel Traditione veritatẽ definiant. sic cum Cerinthus turbaret Ecclesiã, vt ait Epiphanius, duodecim Apostoli, teste Clemẽte, coierunt, ac primo Petrus veritatem miraculo probat, deinde Paulus & Barnabas similia subiungunt, post hos Iacobus ex Scriptura rem omnem deducit, atque ita vnanimiter conclusum est. idem vero in posterioribus quibusque Concilijs obseruatum.

Luc 24. 27. Ephes. 3. 16. Act. 10. Ioan. 6. 45. 1. Ioan. 2. 24. L. 6. Apost. Const. c. 12. Act. 15. 7. Ibid. v. 12. Ibid. v. 13.

Secundum: Spiritus S. officium est, quod in memoriam reuocabit Christi doctrinam, ne sicut nobis fit, ea excideret. Fecit autem hoc Spiritus S. præcipue, in Euangelistis, qui verba Christi ipsissima nobis tradiderunt, cum tamen B. Ioannes ad minus 50. annis post Christi ascensionem, exspectarit. scripsit enim ex Pathmo redux, vt Athanasius,[a] & Epiphanius[b] docent. priuilegium vero hoc Apostolis proprium fuit, vt primi Ecclesiæ fundatores canonice scriberent, ac purum Dei verbum nobis transmitterent. & licet Concilia Oecumenica, sicut quatuor Euangelia, venerari debeamus (vt de primis quatuor ante sua tempora celebratis, Gregorius docet) tamen eorum definitiones non sunt à Spiritu S. verba singula inspirante, sed tantum dirigente. ideoque sicut dignior est epistola, quam ad dictamen Principis Secretarius scribit, quam si eam Secretarius ipse etiam fideliter componat:

a In Synopsi. b Hære. 51. Lib. 1. epist. 24. & l. 3. epist. 33. & li. 5. epist. 2.

nat: sic in Scriptura Canonica fit, *quæ non est allata vd nos voluntate humana, sed Spiritu S. inspirati, locuti sunt sancti Dei.* ideoque nec apex vnus energia sua caret. & recte dixit Augustinus, se nullius hominis scripta tanti facere, quanti Scripturam. *2. Pet. 1. 21. Epist. 19 ad Hier. in prin.*

Nota *primo:* Etsi fuerit hæc Apostolorum prærogatiua, Ecclesiam tamen ea non omnino destitui: in cõtrouersijs enim, ad prioris ętatis consuetudinem recurrit, & ex hac litem finit. sic cum tẽpore Cypriani Concilia Africæ, Ægyptij, Syriæ, ab hæreticis baptizatos dicerent rebaptizandos; idque vt putabant ex scriptura, S. Stephanus Papa ex traditionis memoria contrarium resoluit.

Nota *secundo:* Spiritum S. etiam nobis audita in memoriam reuocare, sicut & delicta pręterita, vt fratribus Ioseph contigit. Deusque orandus, vt quæcunque salutaria sunt, suggerere dignetur. noli tamen tristitia absorberi, si non omnia retineas, aliqua saltem ex omnibus selige. *Gen. 42. 21.*

Nota *tertio:* cum B. Bernardo. Spiritum S. in nobis tria operari excitat enim memoriã, illuminat intellectum, & inflammat voluntatem. nos vicissim potentias has ei offeramus, vt purget voluntatem, doceat intellectum, & memoriam vegetet: atque ita solis cœlestibus inhæreamus, diuinæ voluntati confirmes. *Serm. 1. de Pente.*

Nota *quarto:* etiam dæmonẽ habere ꝙ suggerat, & doceat, nempe, septem spiritus, septem donis oppositos, superbiam dico, auaritiam, &c. refricat etiam mala alias visa, vel audita. & sunt qui amisso Spiritu S. hunc malignum admittunt. Tu vero mala fuge, neque Spiritui gratiæ contumeliam fac.

XIII.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Abeuntes Iudęi pacem precari solent, & Christus hic abitum ad passionem parat. alibi Dominus etiam ingredientes monet, vt *pacem* precẽtur, spondetque precationem fore efficacem, si fuerit illic *filius pacis:* sin autem, reuersuram nihilominus ad precantem. *Matth. 10. 12.*

Disce *primo:* Non aspernari salutationes, & apprecationes aliorum; sed potius labora, vt eis inueniaris dignus, maxime salutatus à pijs, vel Sacerdotibus, quorum est alijs bona precari. *secundo*, in salutatione sis benignus, & comis: piorũ enim salutatio nunquam inefficax est, nam si ea alij sint indigni, fit

quod

Psalm.34.13. quod dixit Dauid, vt *oratio ipsorum conuertatur in sinu eorum*, & ad precantes redeat.

Nota *primo*: Pacem esse rerum omnium tranquillitatem, vt fit cum præstat diligenter quisque quod suum est: optima autem pax à Deo est, *quæ vero à Deo sunt, ordinata sunt*. & quanto quisq; Deo cōiunctior, tāto pax eius est maior. nempe, maxima est in cęlis, quia ibi vnio perfectissima. deinde in cordibus iustorū: *Pax*. n. *multa timentibus legem* Dei. porro *impijs non est pax*: quia in illis dominæ famula, id est, sensus rationi imperat.

Rom.13.1. Psa.118.165. Isai 48.22.

Nota *secundo*: Nomine *Pacis* intelligi *Primo*: Spiritū S. pacis authorem, à quo vt Dauid prædixit: *oritur abundantia pacis*. *Secundo*: Pacem inter nos & Deum conciliatam. cuius dignitas æstimari debet ex calamitatum, & miseriarum numero, quas prior inimicitia nobis induxit, & ex Dei maiestate. atq; ita consolatur nos Christus; q. d. nō ibo ad Patrē, nisi prius pacē vobis cum illo sanxerim. *Tertio*: Pacē cōscientiæ quā vel reatus pœnæ, vel peccata venialia imminuunt. *Quarto*: Pacem mutuam inter nos, quam Nyssenus vocat, *beneuolam ad proximos affectionem*. *Quinto*: Omne bonum, solent enim Iudæi nomine *pacis*, omne bonū precari & sane probabile est, Christū *qui est pax nostra*, omnia hæc nomine pacis clausisse, ab ipso enim pacem cum Deo, & nobis, & proximis habemus.

Psal.71.7. Ephes.2.14.

Nota *Tertio*: cum Bernardo. Christum nobis pacem relinquere, vt nos ei relinquamus debitam gloriam. quia *gloriam suam alteri non dabit*, ei enim *soli honor* debetur *& gloria*, nos autem *quid habemus quod non accepimus*? stultè contra pictorem gloriatur pictura. Adde quod bello Christi pacem nos acceperimus. glorificare ergo eum debemus, sicut Iudæi glorificarunt Iudith, exultantes de obtenta pace, quisquis odium amat, pace in æternum carebit.

Serm.13.in Cant. & epist. 126. Esai.42.8. 1.Tim.1 17. 1.Cor.4.7. Iudith.16.4

Nota *Quarto*: Duplicasse Christum nomen *pacis*: vt ostenderet pacem nobis duplicem dari; nempe, præsentis vitæ, & futuræ. illa imperfecta est, multisque mixta aduersis, hæc vero perfecta, quam etiam propterea Christus notanter *suam* vocat. illa huius viæ est, quia animam ad omnia firmat, & roborat: nam vt recte Bernardus: *Pax vobis à vobis sit, & omne quod extrinsecus minari videtur, non terret, quia nō nocet*. hoc aūt cū magnū sit, vtiq; meretur præmium.

Serm.29.in Cant.

Nota

Nota *Quinto*: Christum Apostolis nihil legasse, præter pacem. multi temporalia relinquunt, sed sine pace. optimum testamentum dat, qui cum Thobia filijs virtutem, & pacem legat. Opibus in cœlo pacem para; & noli, vt filios temporaliter promoueas, teipsum spiritaliter negligere. *Tob.4.8.*

Nota *Sexto*: ex Bernardo, Homines pace vti tripliciter. *Primo*: Aliqui bona reddunt pro bonis, & nemini nocent. *Secundo*: Alij ne quidem pro malis mala reddunt, pacifici cum *his qui oderunt pacem*. *Tertio*: Alij etiam pro malis bona reddunt. *Primi* paruuli sunt, & facile scandalisantur. *Secundi*: in patientia possident animas suas. *Tertij*: etiam alios lucrantur. *Primi* quantum in ipsis est, pacem habent. *Secundi* tenent. *Tertij* faciunt. *Primi*: sunt pacati. *secundi*: patientes. *Tertij*: pacifici. Interim nec pacifici omnes summe perfecti sunt. *Quidam enim*, ait Bernardus, *si quempiam vel leuiter scandalizatum conspexerint, valdè solliciti sunt quomodo eum ad pacem queant reducere: & viderentur pacifici, nisi quod eorum commotio, si fortè quidquam contra eos factum, dictumue videbitur, tardius vniuersis poterit difficiliusq; sedari. Qui nimirum si verè pacem diligerent, haud dubium quin eam quærerent sibi ipsis*. *Septimo* notat Gregorius. Cauendum ne amor pacis sæcularis, pacem excludat sempiternam: qui enim hic semper gaudet, minus ad futura anhelat. *Admonendi*, inquit, *sunt pacati, ne dum nimis humanā desiderāt pacē, prauos hominū mores nequaquā redarguāt, & cōsentiendo peruersis, ab auctoris sui se pace disiungāt*. Ne dū *humana foris iurgia metuūt, interni fœderis discessione feriantur. Quid est enim pax transitoria, nisi quoddam æternæ pacis vestigium? Quid esse ergo dementius potest, quam vestigia in puluere impressa diligere, sed seipsum à quo impressa sunt non amare*. mūdi pacē largitur Deus, *vt corda & intelligentias nostras custodiat*. nā sicut canis nō facile domo benigna auellitur, ita qui pacē interiorē sensit, difficulter eā per peccatū deserit. Nota *Octauo*: Media obtinēdę, & conseruādæ pacis. *primū* est, Fuga omniū peccatorū. nam mortalia gratiā tollūt, venialia charitatis feruorē minuūt. sic Salomoni *Secura mens iuge cōuiuium est*: & Apost. monet, vt *iustificati ex fide, pacē habeam⁹*, quasi, inquit Leo, *iustificatio pacis cōciliatio* sit. quisquis ergo inquietudinem sentit, peccata serio cōfiteatur, eorumq; fugam proponat. *Secundum* est, frequens cōmunio. hic enim

Serm. ad Cleric. c. 26 & in sentent.

Serm. 4. de Aduentu Domini in fine.

Parte. 3. Pastor. c. 23.

Philip. 4. 7.

Prou. 15. 15.
Rom. 5. 1.

Psal.84.5. enim eum suscipimus, qui *pacem loquitur in plebem suam*. sed vt vini dulcedinem nemo nouit, nisi gustet. ita nec communionis frequentis vtilitatem, nisi expertus. *Tertium*, victoria passionum, si non vt omnino non sint, saltem vt non Collat.12.c.3. præsint. solet enim post bellum difficile, pax sequi gratissima. Theon Abbas triumphum dicebat gratiorem sudore emptum, quam qui sine lucta acquiritur. *Quartum*: humilitas, Matt.11.29. & mansuetudo. nam vt ventorum indices mouet in omnem partē ventus, ita superbos passio. contra, sicut defossa ventos nō sentiunt, ita nec animus humilis. *Quintū*, assidua cęlestium meditatio. iuxta illud Augustini. *Saluator noster ascendit in cœlū*, Serm.175. de Tem in prin. *ibi sit mens, & hic erit requies.* multi curiosa sectanctur cum animi detrimento, quibus melius erat, si cogitarent quid Petro in simili re dixerit Christus: nempe, *Quid ad te? tu me sequere.* id est, mitte aliena, & tui curam habe. hoc enim qui neglegit, & Ioan.21.20. temporis, & inordinati sæpe iudicij rationem reddet. *Sextum*, Resignatio animi in Deum, qui nos instar filiorum Psalm.22.1. *regit*, ideoque *nihil* nobis *deerit*. magnam iustis consolationem 2.Mora.c.18. docet Gregorius, ꝙ omnia hic Deo conscio fiant. & si stabilē Serm.22.& 25. optas pacē, ait Leo, hoc velis, ꝙ vult Deus: neq; enim absoluCollat.16.c.3. ta pax est, vbi voluntatum dissensio est, teste Cassiano.

XIV. *Non quomodo mundus dat, ego do vobis*. Habet & mundus pacē suā, quā promittit sępe, & aliquando pręstat: sed nō sine Deo. 1.Tim.2.2. vnde & Apostolus monet, pro ea orari. consistit aūt pax hæc in quiete temporali, amicis, opibus, honore, valetudine, &c. sed pax ista solida nō est, quid enim iuuat exterior quies animum In 7.Beatitu. inquietū? porro Christi pax animū pacat, &, vt Nyssen⁹ docte, etiam paupertimos, facit Dei filios, omniq; gratia fœcundat. Deinde: pax mundi mala multa, & abusus gignit: vnde est illa stultorum prouocatio: *Venite fruamur bonis, quæ sunt.* Sap.2.6. *vino pretioso & vnguentis non impleamus, coronemus nos rosis antequā marcescāt*. Pax vero Christi, vt B. Leo docet, & Bernardus, virtutum omnium est mater. *Tertio*: Liberat quidem pax mundi à malis aliquibus; infamia, periculis, egestate: relinquit tamen id ꝙ malorum maximum est; scilic. peccatum. & sicut arborē non extinguit defoliatio, si radix viuat; sed folia facile repullulant: sic manente peccati radice, calamitates facile redeunt,

quæ

quæ non nisi ex peccato primi parentis fluxerunt, aut si non redeant, fit tamē in futuro, vt tarditatem supplicij, Deus grauitate compenset. Pax Christi primo peccatum tollit, vnde consequenter tolluntur tribulationes, vel vt non sint, vel vt non contristent. *ibant* enim *Apostoli gaudentes quod digni essent contumeliam pati pro nomine Iesu.* Act.5.41. *Quarto*: Pax mundi incerta est, & maxime desiderata deserit: vnde quærelæ illæ O *mors quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantijs suis: viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus.* Eccl.41.1. perit pax illa cum valetudine, tantoque fit minor, quanto mors vicinior; turbat enim gehennæ, & iudicij metus. at vero pax Christi mortem optat, & huius appropinquatione exultat: vt docet Gregori[9]. 6.Mora.c 23.

Est quoq; inter mundū, & Christū, diuersitas. *primo*: mundus multa promittit; pauca, vel nulla pręstat. exemplo diaboli. Matth.4 8. Christus vero *princeps pacis, & veritas,* dat quicquid spondet. *Secundo*: Pax mundi internum dolorem habet, & tanto fere Isai.9.6. est hic maior, quanto illa lætior: Christus autem si non tollat Ioan.14.6. tribulationes externas, dat tamen gaudium interius tam efficax, vt illæ non turbent. vt ex martyribus patet. ideoq; dixisse videtur, *in mundo pressuram habebitis, vt in me pacem habeatis.* Ioan.16.33.

Tertio: Mundus pacem dat mali ablatione, Christus collatione boni, & constantiæ, contra mala. fit ergo illic, sicut in homine quem ægrotantem duo tegmina fatigant, ideoque alterum aufertur; sanum vero calefaciunt, & fouent. mundus infirmitates relinquit, Christus tollit, & sanat. *Quarto*: Mūdus pacem suam laboribus vendit; Christus gratis, & sine com- Esai.55.1. mutatione. imo scopus mundi est, *primo*: vt pace hominem, quasi proditorio osculo, perdat. *secundo*: vt anima neglecta corpus foueatur. *tertio*: vt ipse ex te commodum sentiat. vt in parentibus patet, qui ex liberis voluptatem quærūnt. *quarto*: Diabolus mundi princeps æternam tibi damnationem pace Iob.21.12. parat. *tenent*, inquit Iob, *tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Christus autem animæ pacem, eamque tibi vtilem, & æternā parat. Vide ex his quid sit ad vanitates, & insanias falsas respicere, & pace momentanea, æternam; falsa verā vendere.

XV. *Non turbetur cor vestrum, neq; formidet.* Verba hæc *primo*, Apo-

ſtolos ad ſpem excitant, & gaudium, quod eſſent pacis præſidio contra omnia muniti. *ſecundo*: ad patientiam. ſenſus enim

Matth.11.12. eſt: Pacem vobis do, non vt mala non ſentiatis, cum *regnum*

Act.14.22. *cælorum vim patiatur*, & *per multas tribulationes oporteat in illud ingredi*, ſed vt malis non ſuccumbatis. Legi veteri pro-

Deut.28.65. prius fuit timor, & formido: dictum enim illic, *Dabit tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos & animam conſumptam mœrore, eritq; vita tua quaſi pendens ante te*. Item, *Mane dices: quis mihi det veſperum? & veſperè: quis mihi det manè? propter cordis tui formidē qua terreberis, & propter ea quæ oculis tuis videbis*. Porro in Lege noua ablatus eſt metus, quia datū perſeuerātiæ donū. non

Iud.15.& 16. timuit Sampſon etiā ligatus, qui ſciebat ſe vincula facile rupturū: ſic neq; Chriſtianus timeat, qui omnia poteſt, in eo qui ipſum cōfortat. *Tertio*: Poſſunt verba hæc iungi ſequētibus, vt ſenſus ſit, nolite turbari, quia etſi ad mortē vado, vt dixi, tñ poſt triduū, venio ad vos. vt diſcamus nō ſtatim Dominū pu-

Pſalm 33.19. tare abſentem, quia affectu nō ſentitur. nā *iuxta eſt Dominus eis*

Pſalm.15.8. *qui tribulato ſunt corde*, eſtq; *à dexteris ne cōmoueantur*. neq; diu ſenſum ſui ſubtrahit. *Quarto*: Modū hic diſcimus ſeruiendi Deo

Pſal.99.2. nempe *in lætitia, vt gaudeamus in Domino ſemper, qui hilarē datorem*

Philip.4.4. *diligit*. Monet itaq; Chriſtus hic, *primo* vt nō turbetur cor quia

2 Corin.9.7.

Prou.12.21. *nō cōtriſtabit iuſtū quicquid ei acciderit*. recte aūt *cor* addidit, quia

Matt.26.34. *primo* indeliberatas turbationes declinare nō poſſum⁹. *ſecūdo*: qa nō omnis turbatio peccatū eſt; cū & Chriſti *anima ad mortē*

Thob.3.6.& 7. *vſq; triſtis* fuerit. Stoicorū error fuit ſapientē nullis moueri: ſed

Hierem.20. refutarūt eos Peripatetici, & in S. literis Thobias mortē opta-

Iob.3.1. uit, Hiere. Domino querit, & diei natiuitatis cū Iob maledicit ſine peccato tñ, ad exprimendā mali ſui magnitudinē, ne nos facile queramur leuibus malis vix pulſati. itē ne pœnis à Deo immiſſis, vt pueri quidā virgis, induremur. ſed eas à Deo, vt medicinas, ſentiamus, & corrigamur. Interim verba eorum patris inferioris erant, quę mala omnia fugit, nō rationis, quę ſpe meriti, & gloriæ, libens illa ſuſcipit, præſentium oblita: ſi-

Vide Pined. cut ꝙ de potionis amarore queratur æger, à ſenſu eſt, non à

in Iob in proœmio. rationis iudicio. ideoque nō ſtatim peccat, qui in afflictioni-

Iob.1.8. bus ſuis queritur: modo terminos nō excedat. neq; putes Iob vel Hieremiam exceſſiſſe, ſed vtriuſq; dignitatem cum mali grauitate compone. Iob.n. Rex fuit, omnibus omnino bonis,

opum, liberorum, valetudinis, &c. affluentiſſimus, & omnibus orbatus, etiam vxoris, & amicorum probra ſuſtinuit. Hieremias iniuſte cæſus, & vinctus, ob peccati magnitudinẽ videbat inſtare, tam grauẽ populi captiuitatẽ. quid ergo mirũ, ſi diẽ ſuũ vterq; dicat *maledictũ* à Deo. i. infelicẽ, quia maximæ infelicitatis fuit initiũ, optetq; illũ perire. i. non fuiſſe. nempe nõ vt abſolute nõ fuerit, ſed vt nõ fuerit, cum illo addito: id eſt, quatenus erat calamitatis tantæ initiũ. ideo enim Iob notanter non *diei* abſolute; ſed *diei ſuæ* maledixit: id eſt, eum infelicẽ ſibi dixit, & pęnalem. Monet ergo Chriſtus ne corda turbentur, ne ſc. abſorpta ratione, turbatio, peccati in nobis cauſa ſit. Pro quo Nota *primo*: Turbari cor cum ratio ſuperatur, & ſuccumbit: vt qui in aduerſis, Deum putaret non habere curã ſui, vel in graui carnis tentatione fornicationem nõ eſſe peccatum mortale. ſicut Monachis, & Sacerdotibus apoſtatis cõtingit, qui dein ad ſacrilegos coitus tranſeunt, eoſq; defendunt. has ergo turbationes Chriſtus vetat, & vt eas caueamus oportet in nobis habere *diuiſionem animæ*, ſeu partis inferioris, *& ſpiritus*, ſeu rationis & partis ſuperioris: vt animæ offenſio, ſpiritum non lædat, ſicut paterfamilias muſæum habet, extra cubiculum in quo ignem ſtruit, ne illic fumo turbetur. ſeculares quia diuiſionem hanc non habent, ſtatim in tribulationibus Deum execrantur, & blaſphemant: pij vero omni cuſtodia *cuſtodiunt cor* ab omnibus illicitis.

Hiere. 20. 14.

Prou. 4. b.

Nota *ſecundo*: Non reperiri in Scripturis noui Teſtamenti turbationes tantas, quantas ex veteri Teſtamento ſupra poſui: quia Spiritus S. plenitudine iam accepta, in grauiſſimis tribulationibus non tantum immoti, ſed & læti triumphamus: vt in martyribus patet. quod autem B. Paulus dixiſſe legitur Pontifici; *percutiet te Deus paries dealbate* recte exponit Gregorius, vt non maledictio, ſed prophetia ſit.

Act. 23 a.
7. Moral. c. 13. in fine.

Nota *Tertio*: Oẽm turbationẽ merito eſſe ſuſpectã, quia rationẽ obnubilat, & facile etiã in ſigna, vel verba externa prorũpit: imo hæc vtilia alijs, nobiſq; decora perſuadet. ſicut incompoſiti geſtus ebrio placent quos poſtea ſobrius damnat: ſi paſſione tangeris, vide ſobrius maneas, illamque, vt Chriſtus monet, quam citiſſime componas.

Matth.28.18. pauci erant. neq; eo iam opus, quia habēt nationes, & linguæ
Apoc.9.1. singulæ doctores sibi proprios, quos intelligant. Nota *Tertio:* Diabolū cōtrario prorsus modo venisse in mundum. Christ⁹ potestate à patre accepta, & cœli clauibus, ascendit in cœlū, vt nos benediceret. Diabolū quasi stellā vidit Ioannes *cadentē de cœlo,* & habentē *clauē putei abyssi,* ex quo fumus ascendit solē obtenebrans cū locustis, & sonitu equorū currentiū ad prælium. Spiritus. n. S. lucē adfert, diabolus caliginē. ille cœlestis est & purus, hic infernus, & immundus. tentationes huius quasi
2. Reg.11. & 25. ex inferno assurgunt, nosq; expugnāt, & passionibus obnubilant, vt ex Dauidis, & Petri lapsu patet, ac hæreticorum varijs erroribus. item instabiles ad superbiā, & luxuriā, velut equos præcipitant, vt curruum instar, non nisi per terrena volutemur. Vis ergo spiritum quo ageris, discernere? finem quo agit vide: nam Spiritus S. à mundo ad Deum, & quietē auocat: diabolus cōntra, à Deo ad mundū. *Secundo:* in positis supra ver-
Ioan.15.26. bis, dicitur Spiritus S. *mittendus à Patre, in nomine Filij:* non quòd sic
4. de Trin. c.20. mittat eum Pater à Filio, ait Augustinus, vt Filius à Patre. Pater. n. non habet à Filio virtutē spirandi. sed, *primo:* quia Pater mittit per Filiū. procedit namq; à Patre, per Filiū: ita Cyrillus.
10. in Ioan. c.6. *Secundo:* quia mittit per merita Filij, qui *rogat patrem.* rogare au-
Ioan.14.16. tem, idem est quod merita iam exhibere. *Tertio:* Quia mittit loco Filij, id est, vt sit consolator sicut fuerat Filius, qui mederetur
Isai.61.1. *contritis corde.* *Quarto:* Quia mittit vt perficiat opus, & spiritualem structuram à Filio inchoatam,

XII. *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Videbat Christus non intelligi se à discipulis suis, neque dicta sua ab eis retineri : ideoque duo hic Spiritus S. offi-
Ioan.16.13. cia indicat, quibus vtroque malo liberentur. ac *Primo docebit omnia,* nō ea tantum quæ hic dicta à Christo, sed (vt alibi promissum eis) *omnem veritatem* : nō quod etiam naturalia omnia cognouerint, in his enim ab Adamo, & Salomone, imo & ab Ethnicis quibusdam superati sunt, tanquam minus necessarijs ad salutem: habebant interim in his, pro oportunitate, vt
In eius vita. doctissimis etiam possent satisfacere; vt de B. Antonio refert
Lib. Recogni. Athanasius. imo multos Philosophorum Apostoli conuictos ad fidem traduxerunt. vnde de B. Petro refert Clemens, eum

de

de Simone, alijsq; doctissimis non semel disputando triumphasse. atq; idē de cæteris cogita Apostolis, qui vt de se testatur B. Paulus: *non subterfugerunt quo minus annuntiarent omne consilium* Dei. & quæ sciebant Ecclesiæ transmiserunt. *Act. 20. 27.*

Disce *primo*: Ecclesiæ sapientiam, didicit enim ab eo, qui omnia nouit, & docet, *primo*: exterius per audita, vel lecta. *secundo*: per ingenij illuminationem. *Tertio*: per excitationem affectus. doctrina enim Christiana in contemplatione, simul & actione, consistit. atque illam quidem Spiritus S. fide, sapientia, scientia, & intellectu perficit; hanc vero fortitudine, pietate, &c. Qui literas docet *primo*: characteres præscribit, & format, dein manum discipuli ducit, sic Spiritus S. primo docet, dein voluntatem mouet.

Disce *Secundo*, Neminem qui Spiritu S. careat, esse perfecte doctum, nam quod Sapiens *infinitum* dicit *numerum stultorum*, inde est, quia infinitus est numerus peccatorum. sunt aūt stultorum duo genera, *primi* stulti sunt in omni materia. *secundi*, in aliqua tantum. sic spiritualiter quidam in omnibus desipiūt, vt infideles omnes, qui intellectum non habent sanum. quidam vero in aliquibus, qui fidem habent, sed sapientiæ dono carent. ideoque ad stulta deuoluuntur. & eos aliqui cum Democrrito rident, alij vero cum Heraclito lugent, ꝙ piorum est. Porro peccati stultitia dupliciter se prodit. *Primo*: Quia peccator sine scrupulo properat ad infernum. stultus autem est, qui pro scelere damnatus mortis, saltans, & gestiens, ad eam festinat. *Secūdo*: Quia peccatis singulis propria superbia est. Superbi vt splendeant, tormenta sibi inferunt, & pauonum instar, caudas, alasq; vix leuant. Ebrij & irati canū instar sibi mutuo allatrant. soli pij rationē sapienter audiunt. *Eccl. 1. 15.*

Disce *Tertio*: Spiritum S. consolandi officium perpetuare. Pater semel mundum condidit. Filius semel redemit. sed Spiritus S. etiam nunc quotidie nos solatur, & docet cognitionē Christi, roboratque nos in interiori homine, vt discamus *cum omnibus Sāctis, quæ sit lōgitudo, latitudo, sublimitas ac profundū crucis*, ꝙ fit cū cęli gloriā, operū merita, peccati & miseriæ abyssū intuemur, vt sic ad beatitudinē ꝑueniamus ad ꝗ sumꝰ cōditi. Aliqui ex verbis his inferūt, oēs sigillatim de omnib. à Spiritu S.
instrui

1.Ioan.2.27. instrui,vt olim Apostolos,adeoq; non habere *necesse,vt aliquis eos doceat,quia vnctio docet de omnibus*.sed hi toto cęlo erant;quia et si sine Spiritu S.veritas non cognoscatur, humana tamen instructio reijci non debet.Tribus ergo modis Spiritus S.docet. *primo*:immediate,sine aliorum cooperatione.sic Apostolos olim,& B.Paulum docuit. *secundo*:mediate,cum ad hominum prædicationē ipsi interius intellectum aperit, & voluntatem mouet.sicut factum olim Cornelio,& nobis etiā nunc hoc.n.sensu promisit Christus, fore *omnes docibiles* DEI.& eodē modo docet Christianos Ioannes,vt Concionatores alios nō audiant;sed *quod audierūt ab initio,in ipsis permaneāt*. docet enim Christianos *vnctio* seu Spiritus S.sed per doctores, & per eosdem inchoatam doctrinam perficit.vnde & Apostoli ꝙ præsentes plantarant verbo, absentes rigarunt per epistolas scripto.*Tertio:* Docet Spiritus S.Episcopos in grauibus fidei difficultatibus:vt ex Scriptura, vel Traditione veritatē definiant. sic cum Cerinthus turbaret Ecclesiā,vt ait Epiphanius, duodecim Apostoli,teste Clemēte,coierunt,ac primo Petrus veritatem miraculo probat, deinde Paulus & Barnabas similia subiungunt, post hos Iacobus ex Scriptura rem omnem deducit,atque ita vnanimiter conclusum est. idem vero in posterioribus quibusque Concilijs obseruatum.

Luc 24.27. Ephes.3.16. Act.10. Ioan.6.45. 1.Ioan.2.24. L.6.Apost. Const.c.12. Act.15.7. Ibid.v.12. Ibid.v.13.

Secundum: Spiritus S.officium est, quod in memoriam reuocabit Christi doctrinam,ne sicut nobis fit,ea excideret.Fecit autem hoc Spiritus S.præcipue,in Euangelistis, qui verba Christi ipsissima nobis tradiderunt, cum tamen B.Ioannes ad minus 50. annis post Christi ascensionem, exspectarit. scripsit enim ex Pathmo redux, vt Athanasius,[a] & Epiphanius[b] docent.priuilegium vero hoc Apostolis proprium fuit, vt primi Ecclesiæ fundatores canonice scriberent, ac purum Dei verbum nobis transmitterent. & licet Concilia Oecumenica,sicut quatuor Euangelia,venerari debeamus (vt de primis quatuor ante sua tempora celebratis, Gregorius docet) tamen eorum definitiones non sunt à Spiritu S. verba singula inspirante, sed tantum dirigente. ideoque sicut dignior est epistola, quam ad dictamen Principis Secretarius scribit, quam si eam Secretarius ipse etiam fideliter componat:

a *In Synopsi.* b *Hære.51.* *Lib.1.epist. 24. & l.3. epist.33.& li. 5.epist.2.*

nat:

nat:sic in Scriptura Canonica fit, *quæ non est allata vd nos voluntate humana, sed Spiritu S. inspirati, locuti sunt sancti Dei.* ideoque nec apex vnus energia sua caret. & recte dixit Augustinus, se nullius hominis scripta tanti facere, quanti Scripturam. 2. Pet. 1. 21. Epist. 19 ad Hier. in prin.

Nota *primo:* Etsi fuerit hæc Apostolorum prærogatiua, Ecclesiam tamen ea non omnino destitui: in cõtrouersijs enim, ad prioris ętatis consuetudinem recurrit, & ex hac litem finit. sic cum tẽpore Cypriani Concilia Africæ, Ægyptij, Syriæ, ab hæreticis baptizatos dicerent rebaptizandos; idque vt putabant ex scriptura, S. Stephanus Papa ex traditionis memoria contrarium resoluit.

Nota *secundo:* Spiritum S. etiam nobis audita in memoriam reuocare, sicut & delicta pręterita, vt fratribus Ioseph contigit. Deusque orandus, vt quæcunque salutaria sunt, suggerere dignetur. noli tamen tristitia absorberi, si non omnia retineas, aliqua saltem ex omnibus selige. Gen. 42. 21.

Nota *tertio:* cum B. Bernardo. Spiritum S. in nobis tria operari excitat enim memoriã, illuminat intellectum, & inflammat voluntatem. nos vicissim potentias has ei offeramus, vt purget voluntatem, doceat intellectum, & memoriam vegetet: atque ita solis cœlestibus inhæreamus, diuinæ voluntati confrmes. Serm. 1. de Pente.

Nota *quarto:* etiam dæmonẽ habere ꝙ suggerat, & doceat, nempe, septem spiritus, septem donis oppositos, superbiam dico, auaritiam, &c. refricat etiam mala alias visa, vel audita. & sunt qui amisso Spiritu S. hunc malignum admittunt. Tu vero mala fuge, neque Spiritui gratiæ contumeliam fac.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Abeuntes Iudęi pacem precari solent, & Christus hic abitum ad passionem parat. alibi Dominus etiam ingredientes monet, vt *pacem* precẽtur, spondetque precationem fore efficacem, si fuerit illic *filius pacis:* sin autem, reuersuram nihilominus ad precantem. XIII. Matth. 10. 12.

Disce *primo:* Non aspernari salutationes, & apprecationes aliorum; sed potius labora, vt eis inueniaris dignus, maxime salutatus à pijs, vel Sacerdotibus, quorum est alijs bona precari. *secundo,* in salutatione sis benignus, & comis: piorũ enim salutatio nunquam inefficax est, nam si ea alij sint indigni, fit quod

Psalm.34.13. quod dixit Dauid, vt *oratio ipsorum conuertatur in sinu eorum*, & ad precantes redeat.

Nota *primo*: Pacem esse rerum omnium tranquillitatem, vt fit cum præstat diligenter quisque quod suum est: optima Rom.13.1. autem pax à Deo est, *quæ vero à Deo sunt, ordinata sunt*. & quanto quisq; Deo cõiunctior, tãto pax eius est maior. nempe, maxi- Psa.118.165. ma est in cęlis, quia ibi vnio perfectissima. deinde in cordibus Isai 48.22. iustorũ: *Pax. n. multa timentibus legem Dei.* porro *impijs non est pax*: quia in illis dominæ famula, id est, sensus rationi imperat.

Nota *secundo*: Nomine *Pacis* intelligi *Primo*: Spiritũ S. pacis Psal.71.7. authorem, à quo vt Dauid prædixit: *oritur abundantia pacis. Secundo*: Pacem inter nos & Deum conciliatam. cuius dignitas æstimari debet ex calamitatum, & miseriarum numero, quas prior inimicitia nobis induxit, & ex Dei maiestate. atq; ita consolatur nos Christus; q. d. nõ ibo ad Patrẽ, nisi prius pacẽ vobis cum illo sanxerim. *Tertio*: Pacẽ cõscientiæ quã vel reatus pœnæ, vel peccata venialia imminuunt. *Quarto*: Pacem mutuam inter nos, quam Nyssenus vocat, *beneuolam ad proximos affectionem*. *Quinto*: Omne bonum, solent enim Iudæi nomine *pacis*, omne bonũ precari & sane probabile est, Christũ Ephes.2.14. *qui est pax nostra*, omnia hæc nomine pacis clausisse, ab ipso enim pacem cum Deo, & nobis, & proximis habemus.

Serm.13.in Cant. & epist. 116. Nota *Tertio*: cum Bernardo. Christum nobis pacem relinquere, vt nos ei relinquamus debitam gloriam. quia *gloriam* Esai.42.8. 1.Tim.1.17. *suam alteri non dabit*, ei enim *soli honor* debetur *& gloria*, nos au- 1.Cor.4.7. tem *quid habemus quod non accepimus*? stultè contra pictorem gloriatur pictura. Adde quod bello Christi pacem nos accepimus. glorificare ergo eum debemus, sicut Iudæi glorifi- Iudith.16.24 carunt Iudith, exultantes de obtenta pace, quisquis odium amat, pace in æternum carebit.

Nota *Quarto*: Duplicasse Christum nomen *pacis*: vt ostenderet pacem nobis duplicem dari; nempe, præsentis vitæ, & futuræ. illa imperfecta est, multisque mixta aduersis, hæc vero perfecta, quam etiam propterea Christus notanter *suam* vocat. illa huius viæ est, quia animam ad omnia firmat, & robo- Serm.29.in Cant. rat: nam vt recte Bernardus: *Pax vobis à vobis sit, & omne quod extrinsecus minari videtur, non terret, quia nõ nocet.* hoc aũt cũ magnũ sit, vtiq; meretur præmium.

Nota

Nota *Quinto*: Christum Apostolis nihil legasse, præter pacem. multi temporalia relinquunt, sed sine pace. optimum testamentum dat, qui cum Thobia filijs virtutem, & pacem legat. Opibus in cœlo pacem para; & noli, vt filios temporaliter promoueas, teipsum spiritaliter negligere. *Tob. 4. 8.*

Nota *Sexto*: ex Bernardo, Homines pace vti tripliciter. *Primo*: Aliqui bona reddunt pro bonis, & nemini nocent. *Secundo*: Alij ne quidem pro malis mala reddunt, pacifici cum *his qui oderunt pacem*. *Tertio*: Alij etiam pro malis bona reddunt. *Primi* paruuli sunt, & facile scandalisantur. *Secundi*: in patientia possident animas suas. *Tertij*: etiam alios lucrantur. *Primi* quantum in ipsis est, pacem habent. *Secundi* tenent. *Tertij* faciunt. *Primi*: sunt pacati. *secundi*: patientes. *Tertij*: pacifici. Interim nec pacifici omnes summe perfecti sunt. *Quidam enim*, ait Bernardus, *si quempiam vel leuiter scandalizatum conspexerint, valdè solliciti sunt quomodo eum ad pacem queant reducere: & viderentur pacifici, nisi quod eorum commotio, si fortè quidquam contra eos factum, dictumue videbitur, tardius vniuersis poterit difficiliusq; sedari. Qui nimirum si verè pacem diligerent, haud dubium quin eam quærerent sibi ipsis.* *Septimo* notat Gregorius. Cauendum ne amor pacis sæcularis, pacem excludat sempiternam: qui enim hic semper gaudet, minus ad futura anhelat. *Admonendi*, inquit, *sunt pacati, ne dum nimis humanā desiderāt pacē, prauos hominū mores nequaquā redarguāt, & cōsentiendo peruersis, ab auctoris sui se pace disiungāt*. Ne dū *humana foris iurgia metuūt, interni fœderis discessione feriantur. Quid est enim pax transitoria, nisi quoddam æternæ pacis vestigium? Quid esse ergo dementius potest, quam vestigia in puluere impressa diligere, sed seipsum à quo impressa sunt non amare.* mūdi pacē largitur Deus, *vt corda & intelligentias nostras custodiat*. nā sicut canis nō facile domo benigna auellitur, ita qui pacē interiorē sensit, difficulter eā per peccatū deserit. Nota *Octauo*: Media obtinēdę, & conseruādæ pacis. *primū* est, Fuga omniū peccatorū. nam mortalia gratiā tollūt, venialia charitatis feruorē minuūt. sic Salomoni *Secura mens iuge cōuiuium est*: & Apost. monet, vt *iustificati ex fide, pacē habeam⁹*, quasi, inquit Leo, *iustificatio pacis cōciliatio* sit. quisquis ergo inquietudinem sentit, peccata serio cōfiteatur, eorumq; fugam proponat. *Secundum* est, frequens cōmunio. hic enim

Serm. ad Cleric. c. 26 & in sentent.

Serm. 4. de Aduentu Domini in fine.

Parte. 3. Pastor. c. 23.

Philip. 4. 7.

Prou. 15. 15.

Rom. 5. 1.

enim eum suscipimus, qui *pacem loquitur in plebem suam*. sed vt
Psal.84 5. vini dulcedinem nemo nouit, nisi gustet. ita nec communionis frequentis vtilitatem, nisi expertus. *Tertium*, victoria passionum, si non vt omnino non sint, saltem vt non
Collat.12.c.3. præsint. solet enim post bellum difficile, pax sequi gratissima. Theon Abbas triumphum dicebat gratiorem sudore emptum, quàm qui sine lucta acquiritur. *Quartum*: humilitas,
Matt.11.29. & mansuetudo. nam vt ventorum indices mouet in omnem partẽ ventus, ita superbos passio. contra, sicut defossa ventos nõ sentiunt, ita nec animus humilis. *Quintũ*, assidua cęlestium meditatio. iuxta illud Augustini. *Saluator noster ascendit in cœlũ,*
Serm.175. de Tem in prin. *ibi sit mens, & hic erit requies.* multi curiosa sectanctur cum animi detrimento, quibus melius erat, si cogitarent quid Petro in simili re dixerit Christus: nempe, *Quid ad te? tu me sequere.* id est, mitte aliena, & tui curam habe. hoc enim qui neglegit, &
Ioan.21.20. temporis, & inordinati sæpe iudicij rationem reddet. *Sextum*, Resignatio animi in Deum, qui nos instar filiorum
Psalm.22.1. *regit*, ideoque *nihil* nobis *deerit*. magnam iustis consolationem
2.Mora.c.18. docet Gregorius, ꝙ omnia hic Deo conscio fiant. & si stabilẽ
Serm.22.& 25. optas pacẽ, ait Leo, hoc velis, ꝙ vult Deus: neq; enim absoluta
Collat.16.c.3. ta pax est, vbi voluntatum dissensio est, teste Cassiano.

XIV. *Non quomodo mundus dat, ego do vobis*. Habet & mundus pacẽ suã, quã promittit sępe, & aliquando pręstat: sed nõ sine Deo.
1.Tim.2 2. vnde & Apostolus monet, pro ea orari. consistit aũt pax hæc in quiete temporali, amicis, opibus, honore, valetudine, &c. sed pax ista solida nõ est, quid enim iuuat exterior quies animum
In 7.Beatitu. inquietũ? porro Christi pax animũ pacat, &, vt Nyssen⁹ docte, etiam pauperrimos, facit Dei filios, omniq; gratia fœcundat. Deinde: pax mundi mala multa, & abusus gignit: vnde est illa stultorum prouocatio: *Venite fruamur bonis, quæ sunt.*
Sap.2.6. *vino pretioso & vnguentis non impleamus, coronemus nos rosis antequã marcescãt*. Pax vero Christi, vt B. Leo docet, & Bernardus, virtutum omnium est mater. *Tertio*: Liberat quidem pax mundi à malis aliquibus; infamia, periculis, egestate: relinquit tamen id ꝙ malorum maximum est; scilic. peccatum. & sicut arborẽ non extinguit defoliatio, si radix viuat; sed folia facile repullulant: sic manente peccati radice, calamitates facile redeunt,

quæ

quæ non nisi ex peccato primi parentis fluxerunt, aut si non redeant, fit tamē in futuro, vt tarditatem supplicij, Deus grauitate compenset. Pax Christi primo peccatum tollit, vnde consequenter tolluntur tribulationes, vel vt non sint, vel vt non contristent. *ibant* enim *Apostoli gaudentes quod digni essent contumeliam pati pro nomine Iesu.* *Quarto*: Pax mundi incerta est, & maxime desiderata deserit: vnde quærelæ illæ *O mors quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantijs suis: viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus.* perit pax illa cum valetudine, tantoque fit minor, quanto mors vicinior, turbat enim gehennæ, & iudicij metus. at vero pax Christi mortem optat, & huius appropinquatione exultat: vt docet Gregori⁹. Act.5.41. Eccl.41.1. 6.Mora.c 23.

Est quoq; inter mundū, & Christū, diuersitas. *primo*: mundus multa promittit; pauca, vel nulla pręstat. exemplo diaboli. Christus vero *princeps pacis, & veritas,* dat quicquid spondet. *Secundo*: Pax mundi internum dolorem habet, & tanto fere est hic maior, quanto illa lætior: Christus autem si non tollat tribulationes externas, dat tamen gaudium interius tam efficax, vt illæ non turbent. vt ex martyribus patet. ideoq; dixisse videtur, *in mundo pressuram habebitis, vt in me pacem habeatis.* Matth.4.8. Isai.9.6. Ioan.14.6. Ioan.16.33.

Tertio: Mundus pacem dat mali ablatione, Christus collatione boni, & constantiæ, contra mala. fit ergo illic, sicut in homine quem ægrotantem duo tegmina fatigant, ideoque alterum aufertur; sanum vero calefaciunt, & fouent. mundus infirmitates relinquit, Christus tollit, & sanat. *Quarto*: Mūdus pacem suam laboribus vendit; Christus gratis, & sine commutatione. imo scopus mundi est, *primo*: vt pace hominem, quasi proditorio osculo, perdat. *secundo*: vt anima neglecta corpus foueatur. *tertio*: vt ipse ex te commodum sentiat. vt in parentibus patet, qui ex liberis voluptatem quærunt. *quarto*: Diabolus mundi princeps æternam tibi damnationem pace parat. *tenent*, inquit Iob, *tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Christus autem animæ pacem, eamque tibi vtilem, & æternā parat. Vide ex his quid sit ad vanitates, & insanias falsas respicere, & pace momentanea, æternam; falsa verā vendere. Esai.55.1. Iob.21.12.

XV. *Non turbetur cor vestrum, neq; formidet.* Verba hæc *primo*, Apo-

opum, liberorum, valetudinis, &c. affluentissimus, & omnibus orbatus, etiam vxoris, & amicorum probra sustinuit. Hieremias iniuste cæsus, & vinctus, ob peccati magnitudinẽ videbat instare, tam grauẽ populi captiuitatẽ. quid ergo mirũ, si diẽ suũ vterq; dicat *maledictũ* à Deo. i. infelicẽ, quia maximæ infelicitatis fuit initiũ, optetq; illũ perire. i. non fuisse. nempe nõ vt absolute nõ fuerit, sed vt nõ fuerit, cum illo addito: id est, quatenus erat calamitatis tantæ initiũ. ideo enim Iob notanter non *diei* absolute; sed *diei suæ* maledixit: id est, eum infelicẽ sibi dixit, & pęnalem. Monet ergo Christus ne corda turbentur, ne sc. absorpta ratione, turbatio, peccati in nobis causa sit. Pro quo Nota *primo*: Turbari cor cum ratio superatur, & succumbit: vt qui in aduersis, Deum putaret non habere curã sui, vel in graui carnis tentatione fornicationem nõ esse peccatum mortale. sicut Monachis, & Sacerdotibus apostatis cõtingit, qui dein ad sacrilegos coitus transeunt, eosq; defendunt. has ergo turbationes Christus vetat, & vt eas caueamus oportet in nobis habere *diuisionem animæ*, seu partis inferioris, *& spiritus*, seu rationis & partis superioris: vt animæ offensio, spiritum non lædat, sicut paterfamilias musæum habet, extra cubiculum in quo ignem struit, ne illic fumo turbetur. seculares quia diuisionem hanc non habent, statim in tribulationibus Deum execrantur, & blasphemant: pij vero omni custodia *custodiunt cor* ab omnibus illicitis. Hiere. 20. 14. Prou. 4. b.

Nota *secundo*: Non reperiri in Scripturis noui Testamenti turbationes tantas, quantas ex veteri Testamento supra posui: quia Spiritus S. plenitudine iam accepta, in grauissimis tribulationibus non tantum immoti, sed & læti triumphamus: vt in martyribus patet. quod autem B. Paulus dixisse legitur Pontifici; *percutiet te Deus paries dealbate* recte exponit Gregorius, vt non maledictio, sed prophetia sit. Act. 23. 3. 7. Moral. c. 13. in fine.

Nota *Tertio*: Oẽm turbationẽ merito esse suspectã, quia rationẽ obnubilat, & facile etiã in signa, vel verba externa prorũpit: imo hæc vtilia alijs, nobisq; decora persuadet. sicut incompositi gestus ebrio placent quos postea sobrius damnat. si passione tangeris, vide sobrius maneas, illamque, vt Christus monet, quam citissime componas.

Nota *Quarto:* Turbationum victoriam in nostro esse arbitrio, iuuante gratia: alioqui Christus eam frustra præciperet. laborandum itaque, ait Bernardus, vt ante orationem, & cōmunionem, toti simus pacati. orandusque Deus vt iuuare dignetur, neque si necdum pacati sumus, oratio propterea, vel communio reijcienda, vt quidam volunt, sed Confessario animi inquietudinem exponemus, vt per Sacramentum, illiusque monitiones, tempestas deferbeat.

Serm. 46 in Cant. & lib. de præcep. & dispens.

Secundo: monent citata verba, vt formidinem, & metum excludamus: metuimus autem duo; peccatum scilicet, & pęnam. Prius merito metuimus, quia malorum omnium caput est; sed potest hic metus esse citra afflictionem, si de auxilio, & gratia Dei, quæ humilibus præsto est, confidamus. Apostolus *certum* se dicebat, quod *nulla creatura* eum posset à charitate Dei separare; *interim castigabat corpus suum, ne efficeretur reprobus*: sed continuam Dei charitatem sibi impetraret. Posterius vero filij non timent, sed serui; quia peccasse se sciunt. Vult ergo Christus vt ad filiorū Dei numerum aspiremus, quo à peccatis liberi, pœnas non timeamus: quia *charitas operit multitudinem peccatorum*. neque mala timeamus ab hominibus infligenda, sufficit enim in his omnibus gloriæ auxilium.

Rom. 8. 28. 1. Cor. 9. 27. Iacob. 5. 20. 1. Petr. 4. 8.

XVI. *Audistis quia ego dixi vobis: vado & venio ad vos.* Sensus hic duplex. *prior*: iam insinuatus supra. Nolite turbari, quia etsi à vobis vado per mortem, rursus tamen ad vos venio, per resurrectionem: *neque* enim *relinquam vos orphanos*. Posterior est. Dixi vobis, quia vado: gaudete itaque, quia vado ad Patrem, qui maior me est, vt cum ipso regnem indutus decore.

Ioan. 14. 18.

Nota *primo*: Reuocare Christum hic verba, monitionesque suas, vt & nos in tentationibus cogitemus promissā peccato pœnam, in aduersis autem promissum auxilium, & gratiam. Peccato Deus perditur, vt à nobis absit; tribulatione aduocatur, vt cito adsit.

Nota *secundo*: Quomodo hic Christus habeatur; nempe, *vadit, & venit*: quia sicut in mundo nunc aer serenus est nunc pluuius, sic in spiritu nunc deuotione exultamus, nūc iacem⁹ aridi, & languidi. medij hic sumus inter gloriā, & pœnā; Angelos, & dæmones; optio nobis offertur vtrū magis placeat.

Nota

Nota *tertio*: Christum venire ad nos, quinque modis; & totidem recedere. *Primo*, per internas inspirationes, & moni- *Apoc.3.20.*
tiones externas. *pulsat* enim *dilectus ad ostium*, & *mittit manum suam per foramen*: sic cum Salomoni dicenti *Aperi mihi soror mea* *Cant. 5.4.*
amica mea, columba mea, illa responderet: *exspoliaui me tunica, laui* *Ibid.v.2.*
pedes meos, &c. misit ille manum suam per foramen, & venter sponsæ *Matt.26.41.*
contremuit. nempe, vocat nos Christus, &, si negligimus, metu mortis, & inferni, tremorem facit, fugitque vt tanto magis mala nostra deinde doleamus. si tamen nec sic resipiscimus, tacet, & ad alios abit. cum in horto discipulos bis increpitos, tertio inuenit dormientes, tacuit. similiter nisi corrigamur, tandem non monet amplius, sed spreto Saul Dauidem eligit. *Secundo*, Per remissionem peccatorum. sicuti enim pater *Luc.15.*
occurrit filio prodigo, eumque osculatus in gratiam, & fami- *Ioan.14.23.*
liam admisit: sic occurrit pœnitenti Deus, & mansionem apud eum facit, quamdiu ille non mortaliter peccat. *Tertio*: Per consolationem. hæc autem duplex. *Prior*: temporalis, qua seculares Dei amorem in se, cum Israelitis, metiuntur. *Posterior*: spiritalis. quæ tanto fit maior, quanto prior illa est minor. nam *secundum multitudinem dolorum consolationes lætifi-* *Psal 93.19.*
cant animam, &, *Sicuti abundant passiones Christi in nobis: ita & per* *2.Cor.1.5.*
Christum abundat consolatio. Hinc *ibant Apostoli gaudentes*, cum fu- *Act.5.41.*
erãt habiti *digni contumelijs pro nomine Iesu*. idemque martyres omnes senserunt. Porro etsi videatur abesse Deus, cum gaudio hoc caremus; non tamen semper abest. nam sicut consolationes temporales varie dispẽsantur, accipiunt enim eas aliquando boni, vt Abraham, Iacob, Dauid; & mali, vt Pharao, Nabuchodonosor, epulo; item carent eis aliquando boni, vt Thobias, Lazarus; & mali, vt filius prodigus; sic spiritales quoque consolationes non semper sequuntur merita. Iudæos etiam malos ait Apostolus, *requiescere in lege*, & *gloriari*: se vero *Rom.2.17.*
nonnunquam ita grauatum malis supra modum, vt *tæderet vi-* *2.Cor.1.8.*
uere. Non ergo desertus à Deo, quisquis vel aduersa sentit, vel solatia non sentit. cum spoliatum omnibus Iob, in sterquilinio testa saniem radentem, *vitæ tæderet* aderat ei Deus, non *Iob.10.1.*
spectator tantum; sed & præsens adiutor, & futurus remunerator. *Quarto*: Per Eucharistiam. sed hic modus est admodum

varius,nā bonos,& corpore visitat,& spiritu, eis benedicens, malos vero corpore tantum,eiq; sibijpsis maledicunt. Quos autem Deus spiritu visitat apud eosdem manet, quamdiu socordia culpaq; nostra non eijcitur: tunc autem circuit,quærens dignos se,& indignos deserit. Patet hoc in diuitibus nostri sæculi, qui cum possent octauo die Eucharistiam suscipere,nolunt tamen;*Primo*: Quia laboris,& præparationis eos piget, nec piget horas plures cum Iesabel corpore ornando perdere.*Secundo:* Alij se indignos tāti hospitis visitatione protestantur. Sed hi, si vere ita sentiunt cum Centurione,instrui debent;nunquam nos Christo dignos, si eius maiestatem infinitam spectemus,sed sufficit ei tanta, quantam possumus, dispositio,& cor humilitatum. neque enim visitat nos,vt iudex,vel vltor,sed vt pater,& medicus. Verum pauci proh dolor! sunt, qui ex animo excusationem hanc sentiant, sed pigritiæ & desidiæ pallium est. *Tertio*: Alij cordis ariditatem excipiunt,& indeuotionem:sed & hi instrui debent, duas esse ariditatis caussas.*prior*: ex nobis est ideoque per confessionem & vitæ emendationem à nobis tolli debet. *posterior* est Dei permissio. Atque in hoc cogitare oportet Eucharistiam non affectus, sed animæ nutrimentum esse:sicut & in cibo corporali nutritionem potius quam delectationem spectamus, fit autem vt animæ tanto sit communio vtilior quanto est affectui sterilior. sicut plus fere nutriunt cibi, qui gulam minus afficiunt. Qui ergo excusatione friuola,à tanto se bono detinet merito eum Christus deserit. contra vero opifices videmus, nihil obstante hebdomadali labore, octauo die cū maximo ardore communicare.*Quinto*:Per iudicium. Videtur hic Christus nobis absens, dum quemque sibi ipsi permittit, sed veniens veniet,& nihil silebit,aut inultum patietur & indiscussum. Nota Christum pijs dixisse prius, *vado,* deinde *venio:*quia primo hos aduersa premunt, quam Christus liberet, sicut in Iob, & Thobia patet. porro ad malos primo *venit*, per monitiones, & deinde non audstus *vadit*, quia eos deserit, & in iudicio, ad eosdem prius *veniet* examinaturus, deinde *vadet* cum electis abiens in gloriam, illis relictis. Mundus quoque primo *venit* per prospera, deinde

4.Reg.9.30.

Matth.8.8.

inde *vadit*,& abit per aduersa,ac mortem,in qua ab omnibus quæ mundi sunt,homo destituitur & quid facies,si Christum non habeas? mundus fugit,Christus abest, Angeli reijciunt, dæmones suscipiunt. Vide Christum habeas,& solatij omnis iacturam hic elige , vt æterna solatia, & gaudia consequaris. tempus enim breue est, *quia veniens veniet & non tardabit.* Haba.2.3.

XVII. Sermo.20 in Cant.
Si diligeretis me,gauderetis vtique:quia vado ad Patrem. Verba hæc exponi possunt. *Primo:*cum B.Bernardo,vt notentur Apostoli,quasi necdum plene diligant.Præceptum dilectionis Deut.6. est,vt *ex toto corde,ex tota anima,& ex tota virtute*,diligamus.*cor*, ad zelum affectionis;anima, ad iudicium rationis; *virtus*, ad constantiam pertinet, diligendus itaque Deus toto affectu, tota vigilantia rationis,& tota constantia. vt sit Iesus affectui dulcis,contra illecebras carnis;& sicut clauus clauum,ita voluptas pellat voluptatem : sit quoque lumen intellectus,& dux rationis,vt non hæreses tantum, sed & zelum caueamus inordinatum.sit denique amor fortis, qui nec terrori cedat, nec labori succumbat.atque ita amemus affectuose, circumspecte,& valide:quia amor cordis,sine eo qui est animæ,dulcis quidem est,sed seductilibus, amor aũt animæ,sine eo qui virtutis est,rationabilis quidem est,sed fragilis: vt in Apostolis patet, quibus dictum *si diligeretis me gauderetis vtique. An non diligebant,de cuius discessione dolebant? sed diligebant quodammodo & non diligebant quodammodo,& non diligebant,diligebant dulciter, sed non prouidenter, diligebant carnaliter, sed non rationabiliter. denique diligebant toto corde,sed non tota anima;dilectio eorum contra salutem eorum.vnde & aiebat:*Expedit vobis vt ego vadam.

Hæc Bernardus ex quibus discimus modum amandi Deum.*primo:*ex corde toto, & affectu : dum eius in nos beneficia recolimus.*Secundo:*cum prudentia, quam ille tanquam æterna sapientia dat,modum docens, quo de Christi passione gaudeamus. non quod mortem Filio DEI optare absolute debeamus, præ qua eligenda nobis potius essent omnia tormenta , sed quia de mortis fructu , nostraque salute gaudemus. Audierat Christum moriturum Petrus, & præ zelo ait : *Absit à te Domine* ; CHRISTO putans

Matth 6.23 In c.16.Matt. mortem indecoram; sine mala tamen intentione (vt post Hieronymum, Anselmus notat) & nihilominus audiuit à Domino, *Vade Satana* non absolute, (vt diabolus aliquando) sed Matth 4.10. *vade post me*: id est, noli aduersari mihi, sed voluntatem meam sequere. ne sis mihi *scandalo*, seu impedimento boni. nō quod hic vt hæretici calumniantur, grauiter peccarit: sed quia non Vide Bell. r. Tom. 1. li. 1. de Rom Pont. 6, 21. habebat zelum secundum scientiam. *Tertio*: Debemus amare Christum constanter; quia ille in omnibus laboribus per annos 33. se pro nobis ad extremum vsque spiritum, constantem habuit.

Secundo: possunt hæc verba exponi, vt discipulorum dilectio non culpetur, sed ipsi ex ea ad gaudium excitentur. gaudet enim diligens de bono amici. si ergo Christo ex discessu à nobis conferenda erant omnia corporis bona, regnique possessio, vtique quisquis eum diligit, gratulari, & gaudere debet.

Disce *primo*: In quo consistat verus amor proximi, & gaudium, de bonis eius. nempe, si ad Deum, & Patrem vadat. Multi parentum plus de vanitate liberorū gaudent, quam de sanctitate, aut virtutum studio, imo si eos seculo auulsos audiant, tristantur. sed male diligunt, dolent enim de vero bono.

Disce *Secundo*, Gaudere de Christi ad Patrem ascensu, membra enim capiti suo congaudent. Christus autem caput nostrum est, cuius gloriam ex quatuor colligimus. *Primo*: Quia in humana natura super Angelorum choros euectus, ad Patris dexteram sedet. *Secundo*: Quia data est *ei omnis potestas in cælo & in terra*, tanquam Regi Regum, & Domino Dominorum. *Tertio*: Quia tanquā summus Sacerdos, Patri se ipsum iugiter offert, & quæ vult impetrat. *Quarto*: Quia simul nobis adest in Eucharistia, & proinde quantū possumus ei, nec minorem debemus honorem, quam præstent Angeli in cœlis.

Disce *Tertio*: Non tristari si pios videas mundo spreto, Christū sequi, quin potius cōgratulare, ꝙ ad Patrē eant, cuius itineris ianua, mors est. *Quarto*: In tribulationibus pro iustitia toleratis lætare; quia ad Patrem ducunt. quotidie de via hac Prou. 14.12. cogita, ne forte aliquando erres; *est* enim *via quæ videtur homini iusta,*

iusta, sed nouissima eius ducunt ad mortem. Vespere actus omnes examina, & si in aliquo declinaris, noli quiescere, antequam Deo reconcilieris, ne te aduersarius, Deo permittente, intercipiat.

Quia Pater maior me est. Ponitur hic caussa, cur gaudere debeant discipuli, de Christi abitu: nempe, quia it ad eum, qui possit, & velit ipsum glorificare. Nota *Primo*, Arrianos olim, & nunc Caluinistas quosdam, ex hoc loco Filium negasse Patri æqualem, scilicet, eligit primo hæreticus articulum quē teneat: deinde omnia lustrat, num aliquid sit quod detorquere pro se possit, neque Patrum expositionem, Traditionem, vel alia Scripturæ loca reueretur, quia non veritatē, sed sui defensionem quærit. Fecerunt hoc olim Arriani, cum Filium Patri negarūt ęqualem, etsi legissent in Scriptura, *Pater & ego vnum sumus* [a]. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres vnum sunt:* [b] *Christus est ex Patre secundum carnem qui est super omnia Deus benedictus in secula* [c]. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* [d] & scirent orbis totius consensu recepto, se damnari. Similiter nostri hodie hæretici votorum violationem probant, Sanctorum, & imaginum cultum, & ciborum delectum, ac preces pro defunctis, damnant, &c. imo & hęc quibusdam Scripturæ fragmentis probare nituntur, v. g. *Oportet Episcopum vnius vxoris esse virum:* [a] *non quod intrat in os coinquinat hominem* [b]. *Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile* [c]. Cum tamen aliter ea sincerior ætatis superioris Ecclesia exposuerit, nempe, non esse ordinandos bigamos, cibos non esse vitandos, quasi in se malos, vt Manichæi fecerunt, & Encratitæ, non esse colendos plures Deos, &c. Certe vxoribus abstinuerunt Apostoli, licet ante Apostolatum fuissent coniugati, & à quibusdam cibis abstinendum sanxerunt, mutuas orationes petierunt, nec indignati, si quis eorum vmbras (hæ autem velut quædam imagines sunt) aliquo honore dignaretur: ad quarum, sicut & ad semicinctiorum, contactum, morbi, & dæmones fugabantur. Ecclesiam audi, deuitans profanas nouitates.

XVIII.

a *Ioan. 10. 30.*
b *1. Ioan. 5. 7.*
c *Rom. 9. 5.*
d *Phil. 2. 6.*

a *1. Tim. 3. 2.*
b *Matt. 15. 11.*
c *Exod. 20. 3.*
Matth. 19. 27.
Act. 15. 29.
1. Tim. 2. 1.
Act. 5. 15.
Act. 19. 12.

Nota *Secundo*, Neminem Catholicorum Filium Deitate

Patri docuisse inæqualem, cum in Trinitate *nihil sit maius, aut min⁹, sed vna diuinitas, æqualis gloria, & coæterna maiestas.* Etsi enim Pater Filium gignat, & Spiritũ S. spiret, ipse nec genitus, nec spiratus: non est tamen vel Filio secundum diuinitatem, vel Spiritu S. maior, sed loquitur hic Christus secundum naturã, quæ erat itura ad Patrẽ, id est, secũdum humanitatẽ: secundũ hanc enim à Patre aberat, eratq; Patre minor; imo aliquando reputatus *quasi leprosus, & opprobrium hominum.* Monet ergo Apostolus Christus, vt gaudeant, quia secundum naturam illã, qua nõ solum Patre, sed & Angelis minor erat, iturus erat ex his miserijs quas passus, passurusque adhuc erat, ad Patrem, exaltandus ab eo, supra omnem creaturam.

In Symbolo. Athan. *Esa.53.4.* *Psal.21.7.* *Psal.8.6.* *Heb.2.9.*

Nota *Tertio*: Christum libenter de naturæ huius fragilitate locutum, vnde & se *filium hominis* sæpe vocat. *Primo* vt nos cõfunderet, qui ad maiora semper aspirantes, ab eo quod in nobis summum est, nomen quærimus, vt *Domini* salutemur. imò sunt, qui si literarum inscriptionibus aliqua tituli pars desit, literas reijciant cum indignatione; nec cogitant noxiam hanc ambitionem, cælo nos, summaque gloria excludere. Mirabatur de se Bernardus, quomodo tot per eum miracula Deus operaretur, cum se putaret summum peccatorẽ. interim si diabolus ad pusillanimitatem tentet, non est malum præcedentibus meritis se, cũ B. Catharina Senensi, fulcire: sicut & Christus se *Dei Filium* sæpe profitetur. *Secundo:* vt se doceret ex homine natum. Parentes primi homines erant, non tamen filij hominum: Christus autem se ex his natum insinuat, vt corũ peccata redimeret. *Tertio*: vt humanæ naturę deinceps dignitatem ostenderet, omnes enim homines Dei fratres sunt, ex vno parente Adam nati, similiter humilitatem suam, qua nos fratres salutat, dicens: *narrabo nomen tuum fratribus meis. Quarto,* Vt nos efficeret Dei filios, p Spiritum S. atq; hinc Angeli homines venerari cœperunt, quod fratres Christi sint, & Dei filij per Spiritum adoptionis, clamantes, *Abba pater. Quinto,* vt matris suæ ostenderet dignitatem, quæ non *Christotocos* tantum, sed & *Theotocos* est, vt impie negauit olim Nestorius. nam & de rebus diuinis loquens Christus se *filium hominis* vocat, vt cum dixit Nicodemo: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit, filius*

Psal 21.23. *1. Ioan. 1. 12.* *Apoc.22.9.* *Rom 8.15.* *Ioan.3.13.*

filius hominis qui est in cælo. Christus autem tunc non erat in cœlis, secundum humanitatem.

Et nunc dixi vobis, priusquã fiat, vt cum factũ fuerit, credatis. Hinc patet, multa Christũ Apostolis in cœna proposuisse, q̃ipsi nõ intelligerent pre tristitia: hic autem caussa propositionis exponitur, scil. nõ, *primo*, vt ipsi turbarẽtur, qũo solemus inimicis p̃dicere impedẽtes calamitates. *secundo*, nõ vt ipse doloris sentiret mitigationem, quomodo in seculo amici sibi mutuo querelas deponunt, eumq; qui iniuriam infert proscindũnt conuitijs, in doloris mitigationem. *Tertio*: non vt eos præmuniret, & à malo erueret: sicut Dauidem Ionathas, & quandoque pios Deus; de quibus dicitur: *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant & liberentur*. Voluit Christus Apostolorũ sanguine Ecclesiam rigari, sicut Principes strage hostiũ ditiones suas propagant. Ideo ergo hæc verba eis proponit, vt ad martyria roborarentur, verbisque Christi fidem haberent. XIX. *1. Reg. 20.* *Psal. 59. 6.*

Sunt autem in Scriptura variæ fidei conditiones. *Primo*, est fides *mortua*, que instar cadaueris animam non habet. *Secundo* est *viua* per gratiam. *Tertio* est *operatis* per charitatem. *Quarto* est *inanis*, quæ instar artificis modum agendi nouit, & tamen nihil agit. *Quinto* est *modica*: de qua reprehensus B. Petrus, & Apostoli omnes. *Sexto* est *magna*: de qua laudatur Chananæa, & Centurio. Que in eo consistit: vt credamus cum Centurione, posse Christum etiam absentes, liberare ab omnib⁹ malis, solo verbo; & hoc facturum confidamus, cum Chananea. *Septimo* est fides *omnis*, apud Apostolum, quæ sui firmitate etiam difficillima potest. Sed reperitur hec etiam in reprobis, vt Dominus monet. Quia ergo fides Apostolorum imperfecta adhuc erat, perfici debuit à Spiritu S. *Primo* enim, quãdoque in fide fluctuabant; vt liquet ex duobus illis euntibus in Emaus, & ex fuga tẽpore passionis. *Secũdo*: Multa adhuc ignorabant de quibus debuerunt instrui. *Tertio*: Metus eos intra parietes tenebat conclusos, ne fidem auderent profiteri. quia autem dubius in fide, infidelis dicitur, ideo dubitantibus Apostolis Spiritum Sanctum promisit, dicens: *vt credatis*: quasi fidem non haberent, qui non credebant, vt debebant. *Iac. 2. 17.* *Gal. 5. 6.* *Matt. 8. 26.* *Matt. 16. 8.* *Matt. 15. 28.* *Matt. 8. 10.* *1. Cor. 13. 2.* *Matth. 7. 22.* *Luc. 24. 21.*

Nota *primo*: Veræ fidei neceſſitatem, & vtilitatem, huius enim cauſſa ſe Chriſtus nobis locutum dicit, & in vtroq; Teſtamento multa prędixit, iam præterita, vt ex horum impletione, credamus etiam quæ necdũ ſunt impleta: ſic cum de mundi interitu diſcipulos inſtrueret, Hieroſolymitanam ſimul deſtructionem prædixit, vt ex huius veritate, illum quoque crederemus. *Matth.24.*

Nota *Secundo*. Commendatam nobis fidem, non vt ſolum ei aſſentiamur, vt peccatores faciunt, multo minus vt cũ hæreticis, ex ea certos pro libitu articulos ſeligamus, ſed vt ei vitam conformemus. Attende ergo ad Chriſti verba, dixit ille, Eccleſiæ fidem non defuturam, hoc crede dixit. quoque poſt mortem ſingulis reddendam rationem de omnibus, etiã *cogitationibus otioſis*, & quia oẽs mori vides, cogita etiã te moriturum, vt rationem reddas, & vide hic vt fides tua perficiatur. *Primo*: ne *mortua* ſit, ſed gratia viuat. *Secũdo* ne *modica* ſit, ſed plena, & credat quicquid Eccleſia, ſiue ſcriptum, ſiue traditum, credi iubet. *Tertio*: ne vacillet ſed ſit ſolida. *Quarto*, ne ſit inanis, ſeu otioſa, ſed operetur. *Quinto*: Omnia ex fidei pręſcripto fac, *Iuſtus enim ex fide viuit.* *Matth.12.36.* *Haba.2.4. Rom.1.17. Gal.3.11. Heb.10.38.*

XX. *Iam non multa loquar vobiſcum.* Subdit hęc Chriſtus. Vt oſtẽdat *Primo*, paſſionis horam inſtare, Iudamque iam facinori pene accinctum. *Secundo*: vt indicet hactenus ſe verbo, nunc autem exemplo docturum. Præiuit quidem nos Chriſtus exemplo à prima vſque infantia, vt propterea dixerit Lucas, *cœpit Ieſus facere, & docere.* ſed acta illa, præ his quæ iam inſtabant, quaſi rudia erant: nunc enim perfectiſſimum omnis virtutis ſpecimen parat. Multi ſunt ab eloquentia celebres, ſed plus hi præſtarent, ſi etiam vita præirent, plus mouent exempla, quam verba. & de humanis rebus melius meretur, qui modũ docet bene viuendi, quam qui bene dicendi. Vitia parentũ liberos inficiunt magis, quam verba corrigant. Cum aliquãdo B. Franciſcus Borgia III. Societatis Generalis, feria ſexta, cum alijs ad ſententias dicendas conueniſſet, *Opera*, ait, *verbis præſtant*: & exurgens omnium pedes oſculatur, non ſine ſtupore aliorum, & lacrymis, quod tantus olim, nempe Gandię Dux, & Gothalaniæ Prorex, tantum ſe dimitteret. Parum eſt Chri- *Act.1.1.* *Ribaden. lib. 4. vitæ eius c.1 § 16.*

Christiano bene dicere, nam & Ethnici hoc possunt, sed magnum est bene viuere. *Tertio*: Vt moneat, nos sufficientia scire, nec esse cur alios pro punctulis bonis (vt vocant) fatigem⁹, vt multi faciunt eiusdem semper vitæ, nempe, *semper discentes & nunquam ad scientiam peruenientes*, quæ didicimus, executioni mandanda sunt, vt prosint. *Quarto*: Vt ostendat, scientiam quam hic habemus, admodum esse circumscriptam. nam & intellectus angustus est, & memoria labilis. Sunt quidem aliqui, qui de multis bene scripserunt, sed & ipsi fatentur, ea q̃ sciunt, esse minimam partem eorum quæ ignorant. Ideoq; Apostolus scientiam viæ, comparat *scientiæ paruulorum*, eamq; dicit *euacuandam*, in patria vero & intellectus clarior, & memoria erit firmior, sciemusque illic omnia, quæ scire desideramus. *Quinto*: docet, perfectionem Christianismi non requirere multorum, sed vtilium cognitionem. Dedit enim Christus *verbum consummans, & abbreuians*: nempe, *Iesum Christum, & hunc crucifixum* in hoc namque sunt omnia, & quisquis hunc, cum Paulo, nouit, naturalia omnia transcendit. Hoc sensu monuit Christus orantes, *ne multum loquatur*. *Multum* autem *loqui* ait Augustinus, *est in orando rem necessariam superfluis agere verbis, multum autem precari, est ad eum quem precamur diuturna & pia cordis excitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu, quam affatu.* non mandatur nobis, vt multa discamus, sed vt sciamus, *quæ sit voluntas Dei* eamque impleamus. *Sexto*: docet, ea quæ hactenus dicta, esse pauca, si conferantur cum his, quæ Spiritus S. erat docturus. ille enim Ecclesiam in omnibus, siue quæ ad fidei stabilitatem contra hæreses, siue quæ ad cæremonias spectant, instituit: & licet Christus fundamenta iecerit, Spiritus S. tamen particulatius singula deduxit, nam ab eo Apostolorum scripta, Canones Conciliorum, traditiones, & Patrum expositiones &c. habemus. Ideo dixit alias Christus: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Paracletus autem &c.* Itaque contra Spiritum S. peccant, qui enumerata statim impudenter reijciunt. *Septimo*: docet, se *multum* nobis loqui, non *multa*. quotidie enim siue in bonum, siue in malum, adest, imo, inest nobis, & loquitur: *fac*, vel, *non fac*. Et quis-

2.Tim. 3. 7.
1.Cor. 13. 11.
Rom. 9. 28.
1.Cor. 2. 2.
Matth. 6. 7.
Epist. 121 ad Probam viduam c. 10.
Ioan. 16. 12.

quisquis loquentem non audit, postea cum Iudęis audiet: *Multa habeo de vobis loqui, & diiudicare.* Notat enim Christus, quotiescunque inspirationes bonas reijcimus, etsi nos id negligamus: sed cogitet quisque se grauis pœnæ constitui reum, dum negligit Deum.

Ioan. 8. 26.

XXI. *Venit enim Princeps huius mundi.* Caussa hic ponitur, cur cũ discipulis Dominus deinceps nõ multa loquetur: Princeps vero hic, diabolus est qui alibi *eijciendus* dicitur & *iam iudicatus.* intrauit enim hic *post buccellam in Iudam,* misitque *in cor eius* vt Christum venderet, imo *traderet.* Monet ergo Christus principem hunc venire, & esse in procinctu, quia iam Iudas, alijq; Iudæorum ministri incipiebant se parare.

Ioan. 12. 31. Ioan 16. 11. Ioan 13. 27.

Nota dæmones vocari *Principes*, quinque de caussis. *prima* est, naturalis eorum dignitas, & fortitudo: propter quam ab Apostolo, *principes* dicuntur, *& potestates.* vbi notat S. Thomas; eos duo tantum hæc nomina retinuisse; quia alia vel Dei, vel hominum ministeria connotant, adeoq; ipsis non placent. Seraphin, Cherubin, Throni, ab amore, cognitione, & requie in Deo, dicũtur: Dominationes, & Virtutes, ea quæ Deus vult disponunt ad nostram salutem, quæ Archangeli, & Angeli, deinde exequũtur. Imo nec *Angeli*, nec *Spiritus* absolute dicũtur: sed *Angelus Satanæ Spiritus nequam, Angelus crudelis, &c. Secunda* est, quia inter dæmones etiam vnus alteri imperat, vt docui alias. *Tertia*: Quia dominantur singuli aliquib. vitijs, & hominibus in ea pertractis. *quarto*: Quia coluntur à multis vt Dij: vnde est illud Dauidis: *Omnes Dij gentium dæmonia,* & Apostol. *diabolum*, vt Epiphan. notat, vocat *Deum huius seculi*: non quod ille mundum condiderit, vt cum Manete olim docuerunt alij, sed ꝙ à mũdo honoret. Nã cũ optatis in cælo honoribus, ꝑ superbiã decidisset; in terris, ait Nazianz. honorẽ quæsiuit, & inuenit. *quinto*: Quia primorũ parentũ peccato princeps, imò tyrãnus nostrũ omniũ, factus est, & imperiũ vsurpauit; donec *alligatus est à fortiori, & vasa eius sunt direpta.* Porro vocatur *princeps*, non *mundi*, sed, *mundi huius*: inanis scil. & immundi. potestas. n. eius sub terrã, & infra cælum extenditur, nec vltra. Vnde Apostol⁹, aerẽ, vocat *aerẽ Spiritus*, seu *Spirituũ*, & dæmoniorũ. *Secundo*, Malis dominatur, quibus nomen mundi cõuenit: tum,

Ephes. 6. 12. 1. Cor. 12. 7. 1. Reg. 16. 14. Prou. 17. 11. Dom 3. Quadrag. §. 1. Psal. 95. 5. Hære. 66. Orat. de Calam. animæ suæ. Ephes. 2. 2.

tum,quia hic illis plenus,ita vt electi,dicantur,*pusillus grex*,tũ, *Luc.12.32.*
quia hic materiam malitiæ,& peccati habet. *Tertio*:Quia nascimur in mundo omnes cum peccato originali, & ſicut Regem dicimus Dominum eorum, qui in ditione eius naſcuntur;ita dominatur diabolus omnibus in peccati ditione natis.Collige hinc grauitatem tormentorũ Chriſti, nouit enim diabolus noua,& grauiſſima inuenire,qui in æternum, ea & ipſe patitur,& alijs infligit.huc reſpexiſſe videtur Chriſtus,cũ dixit: *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum*: id eſt, iam & vo- *Luc.22.53.*
bis,& diabolis , me torquendi poteſtatem indulgeo,facite quæ vultis.

Diſce *Secũdo*:Timere diabolum neque enim *veniet*, ſed *venit*.Semper intentus,*quærit quem deuoret*,tanta vi , vt *neminem* *1.Pet.5.8.*
timeat.noli tamen nimium timere,quia ſicut Philiſtæum deiecit vnus lapis,ſic diabolum vnica crux.Si vigilat,vigila &tu: nam vt temere ſecurus eſt Princeps, quem hoſtes inuadunt, ſic & ſecuritas noſtra noxia eſt.Apoſtolus certe tantam adhi- *1.Reg.17.*
buit vigilantiam,vt dixerit *non ignoramus cogitationes Sathanæ*. *2.Cor.2.11.*
Vide ſtratagemata eius explores; quia hæc detexiſſe, eſt viciſſe.

Diſce *Tertio*:Non dixiſſe Chriſtum,quo fine Diabolus veniat.Norunt enim omnes eum *furta*, cædes,& exitium nobis *Ioan.10.10.*
machinari,quantumcunque blandiatur,adeoq; cum oppugnantem ſentis,repugna,& vide ne expugneris.

Diſce *Quarto*,Opera malorum diabolo tribui. *Primo*:*Quia* *2.Tim.2.26.*
ad ipſius voluntatem captiui impelluntur ab eo.Secundo: Quia habẽt *Luc.11.26.*
mali per omnia ſimilitudinem diaboli in anima,niſi quod reſipiſcere poſſunt,dum viuunt, diabolus non eadem ex cauſſa *a Ioan 6.70.*
malos,Scriptura[a] *dæmones* vocat *Spiritus dæmoniorum*,[b] *filios Be-* *b 1.Tim.4.1.*
lial,[c] *ſerpentes*,[d] *genimina viperarum*.[e] Vide ergo peccatum fugi- *c 2.Reg.20.1.* *d Pſal.139.4.*
as,& Chriſto, qui eſt Patris ſimilitudo,conformeris. *e Matt.3.7.*

Et in me non habet quicquam.Putarunt olim multi,neminem XXII.
pati aduerſa,niſi propter priores culpas proprias : vt liquet in amicis Iob,ne ergo ex Chriſti paſſione Apoſtoli ſcandalizarentur;monet Dominus,paſſurum ſe quidem à mundi Principe, ita tamen , vt non inueniat ille quicquam ſuum.

Quod

Quod *primo* Augustinus, Cyrillus, Chrysostomus, de peccato intelligunt, à quo tantum Dominus abfuit, vt etiam inimici non potuerint ipsum arguere, neque in domo Cayphæ quicquam reprehensione dignum inuenire. Imo Iudas, Pilatus, Pilati vxor, Centurio, eum testati sunt *iustum*. natus enim ex B. Virgine de Spiritu S. sine peccato orginali, dein Patri per omnia obediens, superbiam humilitate vicit, & auaritiam liberalitate, dum omnia sua pro nostri redemptione, & se totum profudit. gulæ victoriam ieiunium testatur; inuidiã non sensit, qui cum lacrymis *pro persecutoribus orauit*, nec libidinem institutor virginitatis, nec acediam, quia *in laboribus fuit à iuuentute*. Christum in his imitare, & si à conscientia argueris, time latere illic aliquid, quod diaboli sit, qui originalis peccati suasor, ad alia quotidie peccata singulos incitat. Nemo omnium (si Christum, & B. Virginem demas) diabolo exemptus semper fuit, imo sunt, quorum omnia diaboli sunt; intellectus, per infidelitatem; voluntas, per auersionem à Deo; aliæ potentię, & membra, per peccata eis commissa. in malis Catholicis, intellectus quidem aliquid Dei habet, nempe, fidem: sed cætera omnia, diaboli sunt. in iustis quoque peccatum veniale diaboli est, & nisi ab eo se expediant, laborat ille, vt prolata ditione sua, eos paulatim ad mortalia crimina pertrahat.

Ioan. 8. 46. Matt. 26. 60. Psal. 87. 16.

Secundo possunt verba citata intelligi: vt diabolus in Christum nihil potestatis habuerit. potestas enim hæc ex peccato nascitur; & cum illo crescit. Sic Diabolum Iob *Regem* vocat *super oẽs filios superbiæ*. & apud Cassianũ Serenus Abbas quosdã dæmonũ auaritiæ, quosdã luxuriæ, præesse ostẽdit. Christ⁹ ergo ab omni peccato liber, etiã à subiectione hac liberrimus fuit. vnde illud *in me*, emphasin habet: nẽpe, præter quẽ alij *omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*. Strauit autẽ Christus diabolum, cum ille eũ deglutire, & perdere sperabat: sicut pisces esca allecti capiuntur hamo; & Goliath Dauidẽ ridens fundę succubuit. Est vero hoc nõ paruũ Christianis omnibus solatium, quia cũ Christi mẽbra simus, etiam in nos diabolus nihil potest; imo *nec capillus de capite nostro perit*. ideoque odit diabolus iustos, crucẽ, aquã benedictam, nomen Iesu, Mariæ, & aliorum

Iob. 41. 25. Collat. 8. c. 14. Rom. 3. 23. 1. Reg. 17. 50. Matth. 10. 30.

aliorum SS. sicut de Antonij nomine, testatur Athanasius & de Simeonis Stylitæ statua, quam Romę in officinis suis mercatores ponebant Theodoretus. Si ergo in te adhuc diabolus quicquam potest, non Christo, sed tibi imputa. *Tertio*: exponi possunt. Diabolus *in me* non habebit, ꝙ spetat: nempe, victoriam, & inductionem ad peccatum: sed à me potius religabitur in abysso. Docet B. Cęsarius frater Gregorij Nazian. Christum in horto pauorem, & tædium admisisse, ac pro calicis translatione orasse, non quod vere ita sentiret, sed vt diabolum ad pugnā alliceret, quasi cum homine ineundā; vt quoque ille maiora infligeret, eo Christus fortior staret: silicis instar, quem attritio calefacit, imo tanto gloriosior triumpharet; dū *in nomine eius iam omne genu flectitur cælestium, terrestrium, & infernorum*. Erant aliquando Iouis, Martis, Apollinis, &c. nomina in honore; sed eiecit ea crux Christi: ad nostram vtique consolationem; nam si diabolus Christum persequens sibi damnationem maiorem, Christo honorem peperit: idē faciet dum nos persequitur, sicut etiam in martyribus, & virginibus patuit. ideoque nihil timeas sed Christo confortare, & in ipso vinces.

In eius vita. *In Philothe. c. 26.* *Apoc. 20. 2.* *Dial. 3.* *Philip. 2. 9.*

Sed vt cognoscat mundus, quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Verba hęc dupliciter intelligi possunt. *Primo*: Vt iungantur superioribus, mediante quadam tacita interrogatione: nā cum dixisset Christus: *Princeps huius mundi in me non habet quicquam.* rogare quis posset; cur ergo pateris? huic itaque interrogationi respondet Dominus, id fieri, vt sic cognoscamus, quantum ipse amet Patrem, cuius mandato tā voluntarius acquiescit. vt merito dixerit Dauidicum illud: *in voluntate tua deduxisti me: tenuisti manum dexteram meam*. q. d. dextera seu Diuinitas mea posset me eripere, sed tu mandato tenuisti eam, vt faciam quo me voluntas tua deducit. ideoque orans dixit: *non sicut ego volo, sed sicut tu.* XXIII.

Psal. 72. 23.

Disce *primo*: indicium amoris Dei esse, mandatorum eius obseruationem. iuxta illud: *Si quis diligit me, sermones meos seruabit*: sic Christus nō verbo tantum, sed & exemplo nos docuit: qui Patri coæqualis, mandato tam graui, se libens per omnia subiecit. vt obedientiæ nostræ discamus imperfectionem,

Matt. 26. 39.

1. Ioan.5.3. quia vilissimi cum simus *mandata quæ grauia non sunt*, non præstamus. Ea solum præcipit Deus, quæ naturæ conformia sunt, vetat, quæ contraria: quid enim tam naturæ cōforme, quam Deum amare super omnia, & parentes, & proximos ? quid contrà, tam contra naturam, quam ebrietas, inuidia, carnis pollutio illicita, &c. & tamen mandata Dei tam leuia non seruamus, nisi murmurantes, cum negligentia, & frequenti intermissione, imo sæpius nosipsos, quam Deum quærimus:
1. Reg. 15.3. Saulem imitati, qui sub specie sacrificij, ea quæ mandarat Deus occidi, seruauit. Similia faciunt, qui prætextu misericordiæ, non puniunt delinquentes; qui caussa eleemosynæ, furantur, qui vt orent, Superioribus sunt immorigeri. nam vt
Collat.4.c.20 recte Daniel Abbas, apud Cassianum; intentio *recta opus non excusat*. Martha & Maria in Bethania habitabant; *vt sciremus*,
Ser. ad milites templi c. 13. ait Bernardus, *nec bonæ actionis studium, nec sanctæ contemplationis otium, nec vllas denique pœnitentiæ lachrymas, extra Bethaniam diuinæ accepta esse voluntati.*

Disce *Secundo*, non verecundari ob humilia obedientiæ exercitia: imo si vis obedientiæ specimen subditis exhibere, Superioribus obedi: sicut & Christus exemplo obedientiam
Prou.21.28. docet, quam docuerat verbo. inter cæteras enim virtutes, obedientia maximam venerationem meretur. *vir enim obediēs eloquitur victorias*; alliciendo scilicet alios ad sui amorem. & serui obedietes heris suis amatissimi sunt. de quibus dici possit illud Salomonis: *Vidisti virum velocem in opere suo, coram Regi-*
Prou.22.29. Ioan. 14.31. *bus stabit*: dignus minister.

Secundo, possunt hæc verba coniungi sequentibus; nempe, *surgite eamus hinc*. q.d. Christus, vt mundus cognoscat me nō subterfugere Patris mandata, surgite, eamus ad passionis initia, locumque captiuitatis meæ. Docet itaque *Primo*, obediētiæ celeritatem: vt vere de ipso dictum sit: *in auditu auris obediuit mihi*. *Secundo*: Audiendum *primo* pacate, & sedendo: atque
Psal. 17.45. *dein* ad opus cum alacritate surgēdum. *Tertio*. Ex nulla re magis dilectionem Dei manifestari, quam si homo à passionib⁹ suis, & vitijs surgat, atque eat de virtute in virtutem. Sed prô dolor! multi in Ecclesia diu sedent, frequentant Sacramenta, & vix domum reuersi, omnia illic turbant: qui sicut amorem suum

suum non declarant, ita timere possunt, se ab amore alienos. *Quarto*: Amore Christi aduersa libenter pati, & bene agere: hoc enim vocatio nostra, ait B. Petrus, requirit: estque singulare Spiritus S. donum, cuius præsidio contra aduersitates, laboresque omnes munimur, imo ad eos excitamur. 1. Pet. 3.

ORATIO.

Benignissime Domine Iesu Christe, bonorum omnium largitor, qui cum Patre Christianorum cordibus S. tuum Spiritum infudisti, quo eos instrueres, confortaresque, sanctaque Ecclesia vitam donares: atque in vnitate conseruares. Rogamus te vt eundem Spiritum tua largiaris Reipublica, quo & in vnitate fidei concordes efficiantur, & in diuino tuo seruitio feruentes. Infunde etiam illum in corda Sacerdotum, Catholicorumque Doctorum vt illius splendore illuminati, docte feruideque Christianam plebem erudiant. Quin & omnes passim Christianos eius præsidio corrobora, non solum per Baptismi, ac Confirmationis Sacramentum, verum etiam per diuinum tuum amorem, cælestiumque mandatorum obseruationem: vt ita tres Sanctissima Trinitatis persona in nos vnanimiter descendant, ac nobiscum simul habitent. Patre nobis largiente inuictum animi robur, quo & mala declinemus, & bona viriliter peragamus. Te vero Dei filio Sapientiam, discretionemque in verbis, factisque suppeditante Spiritu S. autem feruentem charitatem, pacisque interna tranquillitatem infundente. Quærit namque Princeps huius mundi perdere nos. Verum tua diuinitate nos tuente non est quod vllatenus formidemus. Scimus namque vnam personam sine altera non venire: Atque ideo pro aduentu Spiritus S. obsecramus, vt tribus simul potiti terno hoc præsidio muniamur, perficiamurque. Quapropter excita in nobis deuotionem, vt frequenter peccata debite confiteamur, & Sacra mysteria reuerenter suscipiamus Sic etenim de aduentu tuo certissimi reddemur. Ne ergo destituas nos tua optata præsentia amantissime Domine Iesu, qui verus existens Deus regnas cum Patre, ac Spiritu S. per infinita sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO AD SPIRITVM SANCTVM.

O Sanctissime Spiritus, tertia in Trinitate persona, charitas Patris, ac Filij, supremum Dei donum, à Patre ac Filio tanquam ab vno principio descendens. vnus idemque cum ijs existens Deus, eiusdem per omnia potentia, sapientia, bonitatis, perfectionis, æternitatis. adeo vt pariter quoque cum illis honoreris ac adoreris, vtpote creaturarum omnium Dominus, viuificator, ac consummator: rogamus te, mitte nobis diuinitatis tua radios, atq; exiguam diuini tui amoris scintillulam, cœlestiumq; tuarum opum particulam. Es namque Pater pauperum, dator munerum, lumen cordium, consolator optimus, dulcis hospes animæ, in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium, lux beatissima, replens cordis intima tuorum fidelium. Sine cuius numine nihil est in homine, nihil est innoxium. Atque ideo rogamus te vt in nobis laues quod est sordidum, riges quod est aridum, sanes quod est saucium flectens interim quod est rigidum, fouens quod est frigidum, regens quod est deuium. Da porro tuis fidelibus in te cõfidentibus sacrum septenarium. Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium: vt vel sic tandem in cœlesti patria læti possimus te adspicere, diligere, laudare, tibique vna cum Patre, ac filio in omnem sæculorum æternitatem condignas, gratiarum actiones rependere. Amen.

DOMI-

DOMINICA SACRO-SANCTAE TRINI-TATIS.

Euangelium Matth. XXVIII.



N illo tempore, dixit Iesus discipulis suis. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.

Breuis Euangelij Exegesis.



Ontingit historia presentis Euangelij in Galilæa, quo ex Domini mandato, mulieribus ipsa resurrectionis die intimato, Apostoli se receperant: in monte, vt multi putant, Thabor: quem B. Petrus *montem sanctum* vocat, & probabile est, multos illuc fideles Hierosolymis, & ex Galilæa confluxisse: volebat .n. Christus apparere illic, quia eo sine metu fideles omnes coire poterant: quod in Iudæa non licebat. B. Paulus illic *plus quàm quingentos* fuisse docet, si tamen apparitiones hæ eædem sint. Volebat autem Christus fideles reddere certos; *Primo*, de sua resurrectione. *Secundo*: de accepta potestate à Patre. *Tertio*: de potestate Apostolis data per vniuersum orbem. *Quarto*: de præsentia sua in omnibus necessi- Matt. 28. 10. 2. Pet. 1. 18. 1. Cor. 15. 6.

tatibus,& aduersis. Apparuit ergo hic Dominus discipulis, in terram ruentibus,& adorantibus: & quia in tanto numero adhuc nonnulli dubitabant, accedit eos,& datam sibi terræ potestatem, dæmonibus fugatis, docet; imo & potestatem cœli, quia passionis merito humanitas exaltata erat, supra omnes Angelorum choros. Posthæc tanquam Dominus, abiturus, Apostolos, seu Legatos coram omnibus creat, qui ipsius nomine omnia administrent, eisq; mandat: *Primo*: Ne in vno loco hæreant, nec Iudæos Matt. 10. 5. tantum, sed & Samaritas,& Gentes (à quibus eos olim prohibuerat) instruant. *Secundo*: Vt omni creaturæ, id est, hominibus omnibus, cuiuscunque sexus, linguæ, conditionis,&c. Euangelium redemptionis annuntient. *Tertio*: vt credentes regenerent per aquam; Ioan. 4. 2. *in nomine Patris,& Filij & Spiritus Sancti*, sicut & ante fecerant, cum missi essent baptisare; ac pijs, vitam, malis, mortem æternam prædicant. *Quarto*: Vt non tantum multa scire, sed & bene viuere, alios doceant: cui rei, ait, expediet repetitio, & annuntiatio eorum, quæ à me præcepta sunt. Porro ne in hac functione metu deficiatis, præsentem me vobis semper spondeo: nam & de cœlo vos intuebor,& vobiscum in Eucharistia manebo, & gratia, ac Spiritu sapientiæ, & fortitudinis deducam, ac protegam.

Documenta Concionis XV.

I. De ferijs c. 2. Dixit Iesus discipulis suis. Festiuitas SS. Trinitatis, Ecclesiæ Romanæ antiqua non est; vt ex Alexandro III. qui anno 1780. sedit, patet. qui docet nos quotidie Trinitatem venerari; tum, in hymno *Gloria Patri,& Filio,& Spiritui S.* tum, in con-

consignatione crucis; in qua non voce solum dicimus, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* sed etiã signis alijs profitemur trium Personarum proprietates. Quod enim dicimus, *in nomine*: indicat, *Primo*: vnum esse nomen, seu Deum. *Secundo*, omnia Dei attributa esse vnum nomen, quod Angelus vocat *mirabile*. &, *nemo nouit, nisi qui illud accepit*: nempe, Beati, qui tamen illud non comprehendunt. *Pater* in frontis signatione nominatur; tum, quia Trinitatis principium est; tum, quia nunquam ad nos missus. *Filius*, in signatione ventris; quia ex vtero Patris *ante luciferum genitus*, & quia ex B. Mariæ vtero humanam naturam accepit. *Spiritus S.* in medio est, tanquam amor vtriusq;, & nexus. *Secundo*, quia author incarnationis. *tertio*: quia nos à sinistris, ad gratiæ dexteram transfert, & filios iræ, exules, constituit filios Dei, hæredes. Propter hæc quotidie Trinitatem veneramur, & præfatio de Trinitate, (quæ vna est ex nouem, à Pelagio II. ante annos plus minus 1000. commendatis) solet dominicis singulis, in sacrificio decantari. Interim pientiores quique, festum hoc pro deuotione sua colebant; vel prima, vel secunda, vel vltima Dominica post Pentecosten: donec Ecclesia Romana certum diem; nempe, primam Dominicam statuit. *Primo*: vt esset vniformitas. *Secundo*: Vt post decursa Christi mysteria, & Spiritus S. aduentũ, Trinitati toti gratias agamus; rogantes vt ad nos venire dignetur, & mansionẽ apud nos facere. *Tertio*: Quia hodie Christianus quisque de Trinitatis mysterio, pro necessitate, & captu suo, instruitur. Reperiũtur hodie, qui vel cum insipiente dicunt; *non est Deus*, vel cum alijs; *Quid enim nouit Deus*? propter quæ duo, Apostolus homines ait olim vixisse *sine Deo in mundo*: quia nullius reuerentia, à peccato continebantur. & sunt prô dolor non hæretici tantum, sed & Catholici horum similes; *Primo*: qui scientes & prudentes peccant; siue superbia, quam execratur Deus; siue impudicitia, siue auaritia, quæ est *idolorum seruitus*, siue alio quolibet peccato. Hi enim si Deum crederent, crederent etiam iustum, adeoque metu pœnæ à peccato quiescerent. qui plateas quotidie oberrat, recte dicitur non habere directorem; & puer ad quæuis effusus, dicitur persuadere sibi quod non videatur

Iud. 13. 18.
Apoc. 2. 17.
Psal. 109. 3.
Epist. ad Episc. Germ. & Gall.
Ioan. 14. 23.
Psal. 52. 1.
Iob 22. 13.
Ephe. 2. 12.

deatur à parentibus: eodem modo, errant peccatores ad peccata omnia, persuadent ergo sibi *non esse Deum*, à quo videantur. *secundo*, qui vel desperant, vel de Dei benignitate, & sollicitudine diffidunt: cum tamen hæc Deo propria sit. *Tertio*, Qui plus de honore proprio, quam diuino sollicitus est. His omnibus pręsens festiuitas seruit, vt discant; *Primo*: esse Deum vnum. *secundo*: qualis is sit. *tertio*: quomodo cum eo agere debeamus. Hæc enim tria in præsenti Euangelio ostendemus; vt sic Deum omnes noscant, ament, & reuereantur.

Psal. 52. 1.

Delegit autem Ecclesia præsens Euangelium huic festo; *primo*, quia fit in eo expressa mentio Trinitatis. *secundo*, quia fit illic mentio baptismi, qui est eximius SS. Trinitatis effectus, & quem Trinitas tota, cum Christus baptisaretur, sacrauit: adfuit enim Pater in voce, Filius in flumine, Spiritus S. in columbæ specie: item Pater nos adoptat, Filius sua merita communicat, Spiritus S. peccatis emundat. denique Pater bene viuendi potentiam, & vires; Filius sapientiam, Spiritus S. voluntatem & actum largitur.

Matt. 3. 17.

II. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Sententia hæc, quæ sequentium, imo salutis totius fundamentum est, quatuor sensus admittit. *Primo*, De Diuinitate Christi, hanc enim accepit à Patre & de ea dixit; *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt*. *Secundo*. De humanitate; quę vi incarnationis, etiam in vtero matris, ratione Personæ diuinę, omnium erat Dominus: ita vt dicat Elisabeth, Mariam *matrem Domini*. atq; ideo Magi adorantes offerunt thus, Deo; aurum, Regi; myrrham, homini: *Tertio*: De officio quod à Patre tanquam Redemptor mūdi, & Doctor acceperat: de quo dixit ipse, apud Lucam: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*. quæ verba sic exponit Athanasius *Postquam peccarat, & lapsus esset homo, eiusq; lapsu perturbatis omnibus, mors inualuisset ab Adam vsq; ad Christum, terraque execrationi data esset, infernus apertus, paradisus clausus, cælum infensum, & tandem corrupto & interemto homine insiluisset diabolus contra nos, tunc demum Deus hominum amator in hæc verba locutus est: Quem emittā, & quis proficiscetur? Omnib. obticentibus locutus est filius, ecce ego, mitte me. Quo tempore illi respondet Pater vade ergo, Tum inquam dedit illi hominem, vt ipsum verbum caro fieret, carnemq; assumptam in omnibus*

Quatuor explicationes.
Ioan. 17. 10.
Luc. 1. 43.
Luc. 10. 22.
Tom. 1. Oratio in illud omnia mihi tradita sunt circa princip.

nibus instauraret. Tradita enim sunt illi vt Medico qui sanaret morsum serpentis: & vt vita quo excitaret mortuum, & vt luci quo illuminaret tenebras, & vt rationi quo redintegraret vitam rationalem. Postquam igitur tradita sunt illi omnia, & factus est homo, correcta sunt omnia, & perfecta terra, pro maledictione benedictionem obtinuit, paradisus reseratus est, infernus se metu contraxit, monumenta aperta sunt, portæ cœli eleuatæ, &c. ex quibus liquet; Christum ab initio incarnationis, potestatẽ accepisse, in cœlo implendi ruinas; & in terra purgandi culpas. ita vt *in ipso instaurata sint vniuersa; siue quæ in cœlo, siue quæ in terra.* nam, vt ex Apocalypsi patet, nemo alius hæc duo præstare potuit, præter Christum: ideoq; dixit Ioannes Bapt. *Pater diligit Filium, & dedit illi omnia in manus*, q.d. nõ ego, sed Christus mundi reparandi potestatẽ accepit. *Quarto*: de potestate, quã Christus passione sua promeruit, hostibus omnibus triũphatis: de qua Apost. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortẽ, mortẽ autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum* &c. Et iam olim Deus ipse, apud Dauidem: *Dabo* (inquit Pater Filio) *tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* & Daniel se in visione noctis vidisse scribit, quasi *Filium hominis, venientem vsque ad antiquum dierum*, qui dedit illi *potestatem, & honorem, & regnum*, vt omnes populi, tribus, & linguæ, obediant ei. Potestas autem hæc tanta est, vt eam Daniel *æternam* dixerit, & cuius nunquam futurus est finis: magno vtiq; fidelium solatio, & præsidio: ne peccent, etiamsi Rex temporalis vrgeat: quia maior est cui famulantur, Rex æternus. Vidit hoc Susanna, & in illum intuita, peccato mortem prælegit. Similiter Apostoli, *Deo magis quam hominibus obediendum* docuerunt.

Ephes. 1. 10. Apoc. 5. 3. Ioan. 3. 35. Phil. 2. 8. Psal. 2. 8. Dan. 7. 13. Dan 7. 14. Luc. 1. 33. Matt. 10. 28. Dan. 13 23 Act. 5. 29.

Nota *Primo*: Ex his verbis conuinci atheos. nam qui cœli, & terræ potestatem habet, imo alteri communicat, omnipotens vtique est, & omnium remunerator. hunc autem vocamus Deum. Porro hoc ipsum 8. alijs rationibus cõuincam: plus enim hæc apud atheos, quam Scripturæ valet authoritas; quã rident. neq; tamen subtilitates sectabor, hæ. n. scholis cõueniunt; sed rationes etiã plebi perspicuas; vt videant omnes,

Octo demõstrationes quod Deus sit. quantũ à vera Dei notitia, & æstimatione defecerit ætas nostra. *Prima* ratio, ex creaturis sumitur; qua Apostolus docet Philosophos potuisse conuinci, vt Deum crederent æternũ,
1. & omnipotentem. *Cœli*, ait Dauid, *enarrant gloriam Dei*: nam
Rom. 1. 20. sicut ex palatij alicuius structura, & ornatu colligimus illic
Psal. 18. 1. esse Principem: sic ex mundi palatio, cuius fundamentum, terra; tectum, cœli; luminare, sol, luna, stellæ, cuius partes omnes ita ad hominum dispositæ vtilitatem, vt nihil eo sit ornatius, vel iucundus; facile colligimus, non fortuito ista confluxisse, nec fortuito consistere, sed Deo ita iubente.

2. *Secunda*: Ex admirabilitate creationis; nihil enim est tam exiguum, quod non omnia habeat, siue ad perfectionem, siue ad protectionem sui, necessaria. statuæ ars, artificem loquitur; & ars creaturæ, non indicabit creatorem? præsertim si
Psal. 138. 6. hominem videas, de quo Dauid ait; *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam*. Solum cerebrũ hominis, Galenum licet ethnicum, ad Dei laudem prouocauit.

3. *Tertia* est: ex continua mundi gubernatione. aurigam discimus, si currus eodem tramite decurrat, sine offensa; & ex horologio quod horas sonat, & planetarum, ac cœlorũ motus exhibet (quale aliquando fecit Nicolaus Copernicus Argentinensis) æstimamus mathematicũ: & mundus iam 5500. annis eundem in cœli gyrationibus, ac quatuor anni tempestatibus, cursum tenuit. vtique non sine moderatore.

4. *Quarta*: ex homine, in quo quatuor sunt, quę Dei notitiam inculcant. *Primum*; est conscientia, quæ vt peccatorum pondere grauatur, (semper imminentem metuens pœnam) ita virtutum exercitatione exhilarescit, ita vt recte dixerit Salomon, *Simplicibus via Domini fortitudo*. (eam namque dum am-
Prou. 10. 29. bulant roborantur magis) *pauor autem his qui operantur malum*.
Orat. pro Milo. Nam, vt recte Tullius, *Magna vis est conscientiæ; & multum in vtramque partem valet: vt neque timeant qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarint. Et conscientia im-*
In Psal. 51. *piorum vti magna est pœna*, ait Augustinus, *sic piorum magnum est*
Epist. 47. c. 4. *gaudium. Vnde bona conscientia nullius*, teste Hieronymo, *fugit ocu-*
lib. de Senectute. *los*. & Cicero, *conscientiam bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordationem longe, esse iucundissimam*, ait. *Secundum*: est met⁹, quem

quemvel ex cadauerum conspectu,vel ex tenebris,vel ex spirituum,aut dæmonum apparitione , concipimus:etsi enim quosdam prostitutæ vitæ ista non tangant, qui tamen animi sunt quietioris, terrentur. *Tertio:* naturalis via quærendi remedium in aduersis;statim enim,etiã nõ aduertentes,oculos subleuamus in cœlũ. *Quartum*:naturalis desiderij inexpletio; quia *nec oculus visu,nec auris auditu satiatur*, nec intellectus sciẽdi,nec voluntas appetendi terminum nouit:vt ex primis parentibus patet.est ergo bonum aliquod infinitum,quo satiemur:neq; enim desiderium illud à fortuna est, sed ab eo, cui cecinit Dauid: *Satiabor cum aperuerit gloria tua.* *Eccl.1.8.* *Psalm.16.15*

Quinta:Ex vnanimi gentium omnium consensu. etsi enim Deum verum ignorent,aliquem tamen confitentur. & Protagoras,quia se dicebat non habere quod diceret de Dijs,an sint,an non: Athenis eiectus est,librique eius combusti. 5. *Cic.1.de Natura Deorũ.*

Sexta: Ex impiorum horrendis supplicijs à Deo immissis: nempe; Antiochi,Pharaonis,Herodis,Arij,Iuliani,&c.etsi n. non omnes malos Deus hic puniat: quia mauult nos duci amore,quam timore cogi: in quosdam tamen aduertit seuerius,vt alij sapiant.pro vt optime S.August.ostendit. 6. *1.de Ciui.c.8.*

Septima:Ex quorundam iustorum felicitate.ostendit enim se Deus eorum amicum,imo patrem,qui amplissimam bonis omnibus mercedem in futuro sæculo reddet. atque in hac re præcipue excellunt liberales eleemosynarij, vt tum Scripturæ,tum exempla probant. 7.

Octaua:ex miraculis,quæ omnem naturæ cursum , & vim superant.Sicuti.n.Christus per hæc se docuit Deũ:ita ex eisdẽ aperte aliquem esse Deum concludimus. Expediret his frequenter inhærere,ad amorem Dei conciliandum, & offensã declinandã.nam cũ sit *Iudex iustus,fortis,& patiens*,nec bonum relinquet sine præmio,nec malũ sine supplicio:qa etsi hic sit dies misericordiæ, veniet tamen aliquando tempus iustitiæ. 8. *Psalm.7.12.*

Nota *Secũdo*.Deũ hunc nõ esse corporeũ: vt docuerũt olim anthopomorphitæ,an.395.duce Andæo Syro.& putarunt aliquando simpliciores Catholici:vt de Serapione Abbate refert Cassianus:qui de rei veritate postea instructus:*tulerũt*, clamabat dolens, *Deum meum , & nescio cui deinceps adhærebo*. *Niceph.11. hist.c.14.* *Collat.10.c.3.*

Fluxit

Lib.1.Metaph. Fluxit hic stupidus error, *Primo*: ex hominum stupiditate. Sicut de quibusdam refert Aristoteles, negantibus substantias Gen.1.27. immateriales. *Secũdo*, ex erronea interpretatione Scripturarũ, Gen.3.8. Gen.18 1. quæ nos *ad imaginem Dei* factos dicũt, & Deo membra, caput, Esa.6 1. pedes, oculos, &c. actionesque corporeas, & deambulatio- apud Cass. Collat.10.c.5. nes tribuunt. *Tertio*, ex Gẽtilium superstitione, ait Abbas Isaac. Lib.6.de vnita.Trinit. qui Deos suos homines fecerunt. Vnde primis Ecclesiæ tem- Can. 36. poribus vetuit Concilium Elibertinum, *ne id quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur*, non quod imagines prohibeat, sed quia multi tunc ex Gentilismo ad fidem transibant, qui conceptam semel de Deo opinionem facile ad Ecclesiam traduxissent, picturasque Dei vt olim idola sua adorassent, volebant Patres illi, occasionem erroris tolli istis fide teneris, vt Ioan.4.14. Deũ, *qui Spiritus est*, discerẽt *in Spiritu adorare*, nõ solo corporis gestu, sed toto cordis affectu. Nota *Tertio*, Datam Christo plenam omnium potestatem, quam & verbis exercuit, & factis. Ioan 15.5. ac *Primo*, Tanta potest, vt *sine ipso nihil nos possimus*, & tanta facit, vt ea nos non intelligamus: sicut in Eucharistia, alijsque Sacramentis patet. Ne ergo in fide fluctuemus, potentiam suam commendat; vt eam cogitemus semper omnipotẽtem, & creaturis omnibus maiorẽ, atque eadem ex causa, Apostoli, in symboli vestibulo Deum *omnipotentem* docent. *Secundo*, Solus Christus potestatẽ suã nouit. *Nemo .n. nouit Filiũ nisi Pa-* Matth.11 27. *ter, neq; Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui Filius voluerit reuelare.* Itaque credere ei debemus, tanq̃ docenti q̃ cognoscat. Nobis de Deo pauca patent, etsi ille, vt sol, in se lucidissimus sit. Credere itaque Christo, & attendere debemus: crescit enim ex obiecti dignitate cognitionis nobilitas, sicut dignius est, quædam de consilijs Regum, quam multa de condimentis ciborum nosse.

Nota *Quarto*. Etiam in cælos exeri potestatem Christi, illos enim aperuit nobis, & multos eo secũ inuexit, quos pro meritis varijs, per diuersos Angelorum choros ita distribuit, vt ex omnibus vna sit ciuitas, sub ipso capite. Hoc sensu dixit Apo- Ephes.1.10. stolus: *in Christo restaurari omnia, quæ in cælis & quæ in terris*. seu vt Græcus habet, ἀνακεφαλαιώσασθαι, & subijci vni Capiti. Vnde & Christi potestatem, & nostram discimus dignitatem: qui etiã si re-

ſi repamus in terris, multorum tamen *millium Angelorum frequentiæ* iungimur in cœlis.pro quo & Chriſto gratiam, & nobis debemus cautelam, ne peccato aliquo ſocietatẽ tã ſanctã profanemus.ſicuti.n.familiam totã vnius crimen infamat:ſic angelos vnius Chriſtiani hominis peccatũ cõtriſtat, & lædit. Heb.12.22.

III. *Euntes ergo docete omnes gentes.* Illatio hæc ex verbis ſuperioribus,ita deduci debet.quia ego poteſtatem omnem accepi,ego eadem vobiſcum cõmunicata,vos meo nomine ad alios ablego.Nota *Primo*,Particulam illatiuã *Ergo*.Ex hac enim diſcimus,Chriſtum poteſtate ſua, non niſi ad hominum vtilitatem vti.cũ tamẽ Regũ,ac Principũ multi honores,opes,voluptates,cõmoda quærãt.qui ꝓpterea etiã conſequens aliud, imo oppoſitũ inferunt:nempe,Anima mea *poteſtatis grandis es*; fac ergo q̄ libet,viue vt volupe eſt,etiam cũ ſubditorũ dãno. Aquilas hi imitãtur,& leones,qui cũ beſtiarũ Reges, ac reginæ ſint,eas tamen occidunt. neq; cogitant ſe ad ſubditorum defenſionẽ à Deo cõſtitui,tanquã miniſtros eorũ, & publici boni adminiſtros. q̄ in Iudæorum Principibus reprehendit olim Amos:*Væ qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ:optimates capita populorum,ingredientes põpatice domum Iſrael. Qui dormitis in lectis eburneis,& laſciuitis in ſtratis veſtris. qui comeditis agnum de grege,& vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocẽ Pſalterij,bibentes vinum in phialis,& optimo vnguẽto delibuti, nihil interim compatientes ſuper contritione Ioſeph.* Sic hodie multi voluptatibus,luſib.ædificijs,veſtibus,omnia impendunt: ſed audient monentẽ tandem Deum,q̄ ſubditorũ tutores eſſe debuiſſent:quia poteſtatẽ,tanquam Dei inſtrumẽtum, eo fine acceperant:ac graui ſubiacebunt iudicio. quod quiſquis ſtudet declinare,ſæpius,dum præeſt,illud Sapientis cogitet:*Exiguo conceditur miſericordia,potentes autẽ potenter tormenta patientur.* Nota *Secundo*: Participiũ *Euntes*:hoc.n.ſignificat *primo*: Apoſtolos,vt Marcus loquitur,*in mundum vniuerſum* miſſos, accepiſſeq; quatuor Legatorũ priuilegia. nam *primo*: ſicut Orator ſui Principis,ſic ipſi perſonã Chriſti ſuſtinẽt.dictumq; de eis, *qui vos recipit,me recipit*. *Secundo:* Sicut quæ Orator iuſſu Regis pronunciat,verba Regis cẽſentur:ſic per Apoſtolos Chriſtus loquebat̃.*Tertio*:Sicut poteſtas Legatorũ ex Principis arbitrio pendet, Amos.6.1. Sap.6.7. Mar.16.15. Matt.10.40.

pendet: sic Apostoli omnes parē à Christo potestatē accepe-
Li. de vnitate Eccl. rūt, nisi q̄ teste Cypriano, Petrus, Caput esset, ad cōseruationem vnitatis. *Quarto*: Sicut per mortē desinit Legati potestas, sic nec Apostolorū officia ad successores transmissa. Sol⁹ Petrus successores habet: quia nō Legatus tantum, sed & Pastor ouiū fuit. Pastor aūt necessarius est, quādiu sunt oues. *Secundo*:
Matt. 16. 26. significatur vt animarum curatores primā sui curā gerāt: *quid enim prodest homini si vniuersum mundū lucretur, anima vero sua detrimentū patiatur?* multi hoc p̄textu honores ambiunt, sed ꝓximus quisq; sibi ipsi, adeoq; de salute sua sollicit⁹ esse debet. *Tertio*: esse hic tēpus laboris: vt impleatur q̄ Dauid ait, *euntes i-*
Psal 125. 6. *bant, & flebant, mittētes semina sua.* cui via 1000. Leucarū restat, primam emēsus Leucā nō quiescit; cum ergo *homo natus sit ad*
Iob. 5. 7. *laborē. sicut auis ad volatū* nemo hic, (nisi pro viriū reparatione) sed in futuro, requiē quærat. *Quarto*, Semper esse procedendū ad alios saluandos. Apostolis nō sufficiebat vnius, vel pluriū
Rom. 15. 19. gentiū cōuersio; imo B. Paulus postquā *ab Hierusalē per circuitū vsq; ad Illyricū omnia implesset Euangelio*, etiā Hispanias visitauit:
Rom. 15. 28. idemq; B. Petrus, & alij p̄stiterunt. noli vni⁹, vel paucorū cōuersione satiari; quia plures forte à Deo peccatis, & scādalo auertisti. *Quinto*: Proximū paulatim ducendū de virtute in virtutē, vt nusquā sistat. sic Christus virginitatem suadet, sicut &
Matt. 19. 12. 1. Cor. 7. 7. Apostolus. *Sexto*. Nunquā esse otiandū. B. Maria statim cōce-
Luc. 1. 39. pto Christo *in montana abijt*, vt ministraret Elisabeth. & sæculariū plurimi maximos suscipiunt labores, ꝓ recreatione tēporali, ac pro diuitijs, etiam orbem ignotum adeunt, alij piraticam periculo capitis exercent: alij dies, & noctes fraudibus excogitandis impendunt. Cogita ergo semper proficiēdum, & deficere omnes, qui profectum negligunt.

Nota *Tertio*: Præceptū Christi: nēpe *docete omnes gentes*, vel,
Mar. 16. 15. Luc. 24. 47. vt Marc. habet: *Prædicate Euangeliū omni creaturæ.* Lucas autē in specie addit, quid prędicare debuerint: nempe, *pœnitentiam & remißionem peccatorum incipientes ab Hierusale.* vt discamus, *Primo*: Beneficentiā Christi in omnes, etiā eos à quibus paulo ante fuerat crucifixus. *Secūdo*: Quod Christus etiā sponte pacem prior offerat, cū nos difficulter ignoscamus, vel etiā parati i-
Sur. tom. 1. 23. Ianuar. gnoscere, tamē velimus vt reus prior veniā deprecet. Excommunicarat aliquando B. Ioann. Eleemosynarius duos Cleri-

cos,

eos,cumq; eorum alter magis paulatim deficeret, motus ille misericordia,ab altari discedens, Clerici se pedibus prosternit,& vt resipiscat deprecatus,hominem ante obstinatum p-mouit. Vult quoq; Christus,vt tanto sit ad ignoscendũ quisque facilior,quanto fuit offensa grauior,quia tanto est maius periculum.Sic nos in peccata lapsos Deus,per conscientiam, tanto monet instãtius;quanto peccauimus turpius. qui vero monitiones has nõ sentiũt,est cur se à Deo derelictos timeãt.

Nota *Quarto*: Quod dicitur,*omnes gentes*:vel vt habet Marcus,*Omni creaturæ*.significãtur enim hic homines,qui vt, post Gregorium,[a] docet Beda,[b] omnis creaturæ aliquid habent: nempe;esse,lapidum;viuere,arborum;sentire,brutorum; & intelligere,Angelorum. Nam sicut docturus Mathesin, primo tres orbis regiones,deinde earum Prouincias, postea vero reliqua demõstrat;sic initio Deus,quasi omnia demõstrauit in primis elementis,dein seorsum singula,demum omnia in homine collectim:vt docet Augustin. Quo excitemur ad Dei laudem,& gratias;eumque desideremus solum. *Secundo*: Quia propter hominem omnis creatura est;nã & *Angeli sunt administratorij spiritus*.Age itaque Deo gratias,sed citra superbiam;quia creatus es:& citra vilem animi seruitutem; quia tã nobilis es. *Tertio*: Quia vult Deus *omnes saluos fieri* cuiuslibet fuerint conditionis,ætatis,& sexus:quod autem non saluentur,per ipsos stat.

Marc a *6. Mor.c.7. & hom.29.in Euang.* b *in c. 16 Marci.*

De Gen.ad lite.l. 4.

Heb.1.14.

Nota *Quinto*:Salutis fundamentũ,esse fidẽ:prius .n. Apostoli docere iubẽtur,quã baptisare.Proponit aũt fides baptisandis in symbolo; vbi *Primo*,discunt Personarum in Deitate vna Trinitatẽ.*Secundo*,Modum quo per secundæ Personæ incarnationẽ,mortẽ,& resurrectionẽ peccata remittant.*Tertio*: Futurum aliquando iudicium. *Quarto*: Varia esse Christi in Ecclesiam dona. Post baptismum instructio hæc concionib. & cæremonijs paulatim perficitur:semper enim habent omnes,etiam doctissimi,quod in Ecclesia discant. Porro abutũtur hoc loco Anabaptistæ:quia enim Christus doctrinam baptismo vult præmitti;& alibi dixit, eum *qui non crediderit condemnandum*,subsumunt illi, paruulos nec credere, nec doceri posse:adeoq; nec valide baptisari.imo baptisatos rebaptisãt,

Marc.16.16.

cum

cum adoleuerint. Sed contra hos sint hæc octo. *Primum*: Omnes *nascimur in iniquitatibus, & peccatis*; vt Dauid fatetur de se: ac *filij iræ*, vt ait Apostolus. *Secundum*, Paruulis potest peccatũ originale remitti, sine motu voluntatis propriæ, quia contrahitur solum voluntate aliena. item, quia etiam in Lege infantes octauo die, in peccati remissionem, circumcidebantur: circũcisioni autẽ baptismus successit, quem & Apostol⁹ propterea *circumcisionem* vocat *non manufactam, &c.* Quin & in Euãgelio, noluit Christus paruulos à se arceri, sed vocatis *manus imposuit ac benedixit*. *Tertium*: Nemo in noua Lege sine baptismo saluatur; vt dixit Christus Nicodemo: *Amen amen dico tibi nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest videre regnũ Dei*. vbi particula *Amen* duplicata, rei veritatem, & magnitudinẽ significat; ac Christus verba ista, quasi præcedentiũ (quæ Nicodemus nõ intellexerat) explicationẽ ponit, vt nõ debeant, ꝓ libitu nostro, alio detorqueri. per *aquã* ergo, elementũ intelligit; per Spir. S. tertia Trinitatis Persona; per generationẽ, natiuitas spiritalis: de qua Apost. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*. Baptismus. n. & peccata remittit, & Dei filios cõstituit, quod non fecit circumcisio. Demum verba Christi omnino illimitata, adeoq; generalia sunt, & omnes concernunt; tã infantes, & fœminas, quã viros. Quod autẽ Apostol⁹ filios fideliũ alibi *sanctos* dixit, dictis nihil obstat: neq; .n. id dictum ideo, quia illi sine peccato nascunt̃, sed quia parentũ diligentia ad sanctitatẽ perueniunt; quo ibidẽ etiã vir infidelis dicit̃ ab vxore fideli *sanctificari*, non quod infideles sancti sint, sed quia conuerti, & sanctificari possunt. *Quartum*: Ecclesia iam inde ab initio paruulos baptisauit, vt Dionysius,[a] Irenæus,[b] Orig.[c] Cyprian.[d] & alij omnes docent: imo Apostolos ita tradidisse scribit Dionys. quos cum baptisarent integras familias, (vt de Stephanæ domo Paulus testatur) probabile est, paruulos nõ reiecisse. vt merito eos Synodus Tridẽtina anathematiset, qui paruulis sine baptismo salutẽ spõdet. *Quinto*: Ablegat hic Christus Apostolos, non ad infantes, sed ad adultos: atq; hos iubet primo doceri fidẽ, dein baptisari, tertio doceri omnia mãdata: & tamẽ hic ordo in adultis nõ est tã necessari⁹, quin aliquando tertium præponatur secundo; ergo potest etiam secun-

Psalm. 50. 7. Ephes. 2. 3. Rom. 3. 23. Rom. 5. 14. Matt. 19. Mar. 10. Luc. 18. Ioan. 3. 3. Tit. 3. 5. 1. Cor. 7. 14. a c. 7. Eccl. Hier. b li. 2 c. 39. c in cap. 6. ad Rom. d li. 3. epist. 8. e de tom. 1. thesaur. Catholici, Iudoci Cocci. lib. 5 art. 6. Conc. 16. Sess. 5. c. 11.

ſecundum, præſertim in infantibus, præponi primo. *Sextum:* Eccleſia ſemper ſingularem baptiſmi infantium curam habuit, eiſque aſſignari voluit patrinos, ſeu ſponſores; vt docet Dionyſius, quibus cura inſtituēdorum infantium incumbit, cum adoleſcunt. neque enim ſufficit Eccleſiæ parentum diligentia, quos amor nimius ſæpe excæcat, & ad temporalium curā ducit. proinde tutores hos grauiter monet Auguſtinus: *Non ſolùm exemplis, ſed etiam verbis eos* (paruulos) *ad omne opus bonum admonere debetis vos, qui filios ante filias religioſo excipere amore deſideratis, & antequam baptizentur, & poſteaquam baptizati fuerint, de caſtitate, de humilitate, de ſobrietate, vel pace eos admonere, voſque agnoſcere, ipſorum eſſe fideiuſſores. pro ipſis etenim reſpondetis, quod abrenuntiaturi ſint diabolo, ac pompis eius, &c.* & alibi. *Neſcio qua fronte ſe Chriſtianum dicat, qui paucos verſus in ſymbolo, vel in Oratione Dominica parare diſsimulant. filios quos in baptiſmo, excipitis, ſcitote vos fideiuſſores pro ipſis apud Deum extitiſſe. Et ideo tam illos qui de vobis nati ſunt, quam illos quos de ſacro fonte ſuſcipitis ſemper caſtigare atq; corrigere, vt caſtè, ſobriè & iuſtè viuant, oportet. Et vos ipſi ita agite, vt ſi vos filij veſtri imitari voluerint, non vobiſcum in igne ardeant; ſed ſimul vobiſcum ad æterna præmia perueniant.*

Serm. 116. de tempo. in fin.

Serm. 215. circa princ.

Neq; ſufficit honorarium aliquod dediſſe, nam etſi curam parentes in ſe ſuſcipiant, Eccleſia tamen tutores, nō exonerat. *Septimum:* Infantes ad ea, quæ in baptiſmo ſpoponderunt, obligātur: neq; poſſunt ab eis reſilire. adeoq; errāt qui eos, putāt, cū adoleuerint, rogandos de cōſenſu, & permittendos ſibi, ſi diſſentiant. hanc enim doctrinam Concilium Tridentinum anathematizat. Non vident hi; *Primo:* nihil infantib. imponi, ad quod naturali, vel Diuino præcepto nō obligentur: & quia extra Eccleſiā nō eſt ſalus, nemini licet ab ea profugere. *Secundo:* In contractibus quos ad infantium vtilitatē parentes, vel tutores faciunt, obligationē ad pueros tranſmitti etiā non rogatos: cur ergo non idem fieret in baptiſmo? ex quo puer Dei filius, & cœli hæres cōſtituitur. *Tertio:* ſi quis ſui impos, vulneratus mortaliter, ab amico traderetur chirurgis, nonne ſanat⁹ ad expēſarū ſolutionē teneretur? infantes vero nonne vulnerati peccato, imo mortui ſunt, filij iræ, exules cęli? cur non ergo liberati ad liberatoris ſui ſponſionem obligabuntur? *Octauum:*

Seſ. 7. Can. 17

Falsum est infantes carere fide. est enim fidei duplex modus; vnus est ante baptismũ, alter post. nam cum adultus ante baptismum examinatus respondet, se *credere*; necdum id ex fide credit, sed ex auxilio actuali; in baptismo autẽ infunditur ei fides, spes, charitas, aliæq; virtutes; vnde & catechumenus ante baptismũ rogatus, *quid velit*? respõdet, *fidem*. significans, se eam necdũ habere. atq; hinc baptismus *fidei*, & *illuminationis* Sacramentũ dicitur; (quia fidem catechumenus definit, *Donum Dei ac lumen*) & baptizatos, Paulus *illuminatos* vocat. Optime hæc omnia ex Cõcilio Tridentino discimus; vbi docet quod *in iustificatione quæ omnium primo in baptismo confertur, cũ remissione peccatorũ: hæc omnia simul infusa accipiat homo per Iesum Christũ, cui inseritur, fidem, spẽ, & charitatẽ. Nam fides, nisi ad eã spes accedat & charitas, neq; vnit perfectè cũ Christo, neq; corporis eius viuũ mẽbrũ efficit.*

Hebr. 6. 4.
Sess. 6. c. 7.

Infantes ergo ante baptismũ fidẽ illã priorẽ non habent, nec baptismũ desiderant, sed suppletur ea per parentes, aut tutores, ideoq; dicuntur in fide Ecclesiæ baptizari; quæ adultis nõ sufficit, quia hi sicut propria volũtate actualiter peccarunt, sic debent præuia propriæ voluntatis dispositione reconciliari. Porrò in baptismo gratia, ac virtutes omnes, infantib. infunduntur. vnde fides per cerei lumẽ, spes per longitudinẽ, charitas per ardorẽ significatur. sunt autẽ hæc omnia in paruulis habitualiter; sicut in adultis dormientib⁹: vt decreuit Cõciliũ Viennẽse an. 1311. nã sine fide nemo fidelis est; sine spe, & charitate nemo Dei fili⁹. Atq; hinc patet, cur de paruulorũ baptismo, Christus hic nihil meminerit: quia vt rectè Innoc. III. aduertit, si parẽtes baptizati sint, facilè de infantiũ baptismo erunt per se soliciti, quos sciunt sine baptismo nõ posse saluari.

De baptismo & eius effectu c. Maior.

Nota *Sexto*: Apostolis demãdatã Euãgelij prædicationẽ. nã hinc sequitur *Primo*: Eos qui nõ iussi, docere volunt, seductores esse: de quib. questi olim Apostoli ipsi: *Audiuimus quia quidã ex nobis exeuntes, turbauerunt vos, euertẽtes animas vestras, quibus non mandauimus*, atq; hoc hæreticis omnibus commune est; *qui volentes Diuinæ legis esse Doctores, conuersi sunt in vaniloquium, non intelligentes neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant*. ac proin, vt lupi vitari debent. *Secundo*: Apostolos, eorũq; successores audiẽdos esse: dixit enim Christ⁹; *qui vos audit, me audit*. & Apostolus: *Obedite Præpositis vestris et subiacete eis, ipsi enim peruigilant pro vobis, &c.*

Acto. 15. 24.
1. Tim. 1. 7.
Luc. 10. 16.
Hebr. 13. 17.

& rursũ: *Quod si quis non obedit verbo nostro, per epistolã hũc notate, & ne cõmisceamini cũ illo.* Peccãt ergo; q Pastores suos vel ridẽt, vel negligunt; & Deo resistunt, *quia nõ est potestas nisi à Deo.* Sciebat Christ⁹ venturos simpliciũ deceptores, vt ergo ab his nos prę-muniret, certos cõstituit, quib. inhęream⁹: fecit enim eximius Christi in Ecclesiam amor, vt non esset ei tanti boni defectus. *Tertio:* Non excusandos apud Deũ, qui spreta maiorũ fide mõstra credunt vix vnquã audita, & homines audiunt superbos. *2. Thess. 3. 14* *Rom. 13. 1.*

IV. *Baptizantes eos.* Apostolis hic baptizandi officiũ Christus imponit, nõ vt aliquando officiũ remittendi peccata, quãdo eis etiam ligandi potestatẽ dedit, & iudices constituit; sed oẽs baptizari vult: quia baptismus Ecclesię ianua est, & Christ⁹ *omnes vult saluos fieri:* sicuti & in parabola nuptiarũ serui *omnes* vocari iubentur. itaq; non requiritur hic specialis confessio, sed fides in Christum sufficit, cum proposito non iterandi peccata. *Ioan. 20. 23.* *Matth. 22. 10.* *1. Tim. 2. 4.*

Nota *Primo: Baptizari* idem esse, quod *aqua ablui:* sicut Ioãnes fecit in Aenon, & Christus, ac Philipp⁹. Vnde requirit baptismus aquã elementarẽ; neq; artefacta sufficit, sicut nec lac, nec ceruisia, nec liquores ex animaliũ corporib. proflui. lixiuiũ tamẽ, & aqua accidẽtaliter tantũ variata, à terræ venis, aut qualitate, sufficit. Mirabile est, q sibi ab Andrea Abbate narratum Sophroni⁹ tradit, & apud Nicephorũ quoq; reperitur: Iudæũ quendam in deserto ægrotantem, cum baptismũ à comitibus obnixe peteret, & aqua deesset, ab eisdem tandem arena respersum, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* statim sanatum esse: quem tamen, post Dionysius Alexandriæ Episcopus, ob prioris actus nullitatẽ, aqua baptizauit. Sanauit vero illũ De⁹; vt sinceri desiderij vim significaret, si copia Sacramenti desit. *Ioan. 3. 23.* *Matth. 3. 6.* *Act. 8. 36.* *In prato spi. c 176.* *L. 3. hist. c. 37*

Nota *Secũdo:* ex B. Tho. & alijs; Baptismũ aqua fieri. *primo:* vt per eã significetᵉ spiritalis regeneratio; humiditas enim requiritur ad generationẽ teste Aristot. *secũdo:* vt significetur baptism⁹ purgare animã sorde peccati; sicuti corp⁹ aqua lauat. *tertio.* vt significetur anima illustrari à Deo; sicut solis radios aqua facile suscipit. *quarto:* vt significetur, lumẽ fidei, quo ante baptismũ homo caret, hic infundi. *quinto:* quia vitiorũ, & passionum æstũ refrigerat: vt alias, ex Augustino dixi; q cũ putasset primo cõtinentiã sibi impossibilẽ, post baptismũ non sensit difficilẽ. *3. p. q. 66. a. 3* *Arist. l. 2. de animal. c. 1 & 7.*

Falsum est infantes carere fide. est enim fidei duplex modus; vnus est ante baptismũ, alter post. nam cum adultus ante baptismum examinatus respondet, se *credere*; necdum id ex fide credit, sed ex auxilio actuali; in baptismo autẽ infunditur ei fides, spes, charitas, aliæq; virtutes; vnde & catechumenus ante baptismũ rogatus, *quid velit?* respõdet, *fidem*. significans, se eam necdũ habere. atq; hinc baptismus *fidei*, & *illuminationis* Sacramentũ dicitur; (quia fidem catechumenus definit, *Donum Dei ac lumen*) & baptizatos, Paulus *illuminatos* vocat. Optime hæc omnia ex Cõcilio Tridentino discimus; vbi docet quod *in iustificatione quæ omnium primo in baptismo confertur, cũ remissione peccatorũ: hæc omnia simul infusa accipiat homo per Iesum Christũ, cui inseritur, fidem, spẽ, & charitatẽ. Nam fides, nisi ad eã spes accedat & charitas, neq; vnit perfectè cũ Christo, neq; corporis eius viuũ mẽbrũ efficit.*

Hebr. 6. 4. Sess. 6. c. 7.

Infantes ergo ante baptismũ fidẽ illã priorẽ non habent, nec baptismũ desiderant, sed suppletur ea per parentes, aut tutores, ideoq; dicuntur in fide Ecclesiæ baptizari; quæ adultis nõ sufficit, quia hi sicut propria volũtate actualiter peccarunt, sic debent præuia propriæ voluntatis dispositione reconciliari. Porrò in baptismo gratia, ac virtutes omnes, infantib. infunduntur. vnde fides per cerei lumẽ, spes per longitudinẽ, charitas per ardorẽ significatur. sunt autẽ hæc omnia in paruulis habitualiter; sicut in adultis dormientib⁹: vt decreuit Cõciliũ Viennẽse an. 1311. nã sine fide nemo fidelis est; sine spe, & charitate nemo Dei fili⁹. Atq; hinc patet, cur de paruulorũ baptismo, Christus hic nihil meminerit: quia vt rectè Innoc. III. aduertit, si parẽtes baptizati sint, facilè de infantiũ baptismo erunt per se soliciti, quos sciunt sine baptismo nõ posse saluari.

De baptismo & eius effectu c. Maior.

Nota *Sexto*: Apostolis demãdatã Euãgelij prædicationẽ. nã hinc sequitur *Primo*: Eos qui nõ iussi, docere volunt, seductores esse: de quib. questi olim Apostoli ipsi: *Audiuimus quia quidã ex nobis exeuntes, turbauerunt vos, euertẽtes animas vestras, quibus non mandauimus*, atq; hoc hæreticis omnibus commune est; *qui volentes Diuinæ legis esse Doctores, conuersi sunt in vaniloquium, non intelligentes neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant*. ac proin, vt lupi vitari debent. *Secundo*: Apostolos, eorũq; successores audiẽdos esse: dixit enim Christ⁹; *qui vos audit, me audit*. & Apostolus: *Obedite Præpositis vestris et subiacete eis, ipsi enim peruigilant pro vobis, &c.*

Act. 15. 24. 1. Tim. 1. 7. Luc. 10. 16. Hebr. 13. 17.

& rursū: *Quod si quis non obedit verbo nostro, per epistolā hūc notate, & ne cōmisceamini cū illo.* Peccāt ergo, q Pastores suos vel ridēt, vel negligunt; & Deo resistunt, *quia nō est potestas nisi à Deo.* Sciebat Christ⁹ venturos simpliciū deceptores, vt ergo ab his nos præmuniret, certos cōstituit, quib. inhęream⁹: fecit enim eximius Christi in Ecclesiam amor, vt non esset ei tanti boni defectus. *Tertio:* Non excusandos apud Deū, qui spreta maiorū fide mōstra credunt vix vnquā audita, & homines audiunt superbos. 2. Thess. 3. 14 Rom. 13. 1.

IV. *Baptizantes eos.* Apostolis hic baptizandi officiū Christus imponit, nō vt aliquando officiū remittendi peccata, quādo eis etiam ligandi potestatē dedit, & iudices constituit; sed oēs baptizari vult: quia baptismus Ecclesię ianua est, & Christ⁹ *omnes vult saluos fieri:* sicuti & in parabola nuptiarū serui *omnes* vocari iubentur. itaq; non requiritur hic specialis confessio, sed fides in Christum sufficit, cum proposito non iterandi peccata. Ioan. 20. 23. Matth. 22. 10. 1. Tim. 2. 4.

Nota *Primo: Baptizari* idem esse, quod *aqua ablui:* sicut Ioānes fecit in Aenon, & Christus, ac Philipp⁹. Vnde requirit baptismus aquā elementarē; neq; artefacta sufficit, sicut nec lac, nec ceruisia, nec liquores ex animaliū corporib. proflui. lixiuiū tamē, & aqua accidētaliter tantū variata, à terræ venis, aut qualitate, sufficit. Mirabile est, q sibi ab Andrea Abbate narratum Sophroni⁹ tradit, & apud Nicephorū quoq; reperitur: Iudæū quendam in deserto ægrotantem, cum baptismū à comitibus obnixe peteret, & aqua deesset, ab eisdem tandem arena respersum, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* statim sanatum esse: quem tamen, post Dionysius Alexandriæ Episcopus, ob prioris actus nullitatē, aqua baptizauit. Sanauit vero illū De⁹, vt sinceri desiderij vim significaret, si copia Sacramenti desit. Ioan. 3. 23. Matth. 3. 6. Act. 8. 36. In prato spi. c. 176. L. 3. hist. c. 37

Nota *Secūdo:* ex B. Tho. & alijs, Baptismū aqua fieri. *primo:* vt per eā significet spiritalis regeneratio; humiditas enim requiritur ad generationē teste Aristot. *secūdo:* vt significetur baptism⁹ purgare animā sorde peccati, sicuti corp⁹ aqua lauat. *tertio.* vt significetur anima illustrari à Deo; sicut solis radios aqua facile suscipit. *quarto:* vt significetur, lumē fidei, quo ante baptismū homo caret, hic infundi. *quinto:* quia vitiorū, & passionum æstū refrigerat: vt alias, ex Augustino dixi, q cū putasset primo cōtinentiā sibi impossibilē, post baptismū non sensit difficilē. 3. p. q. 66. a. 3. Arist. l. 2. de animalib. c. 1. & 2.

Ante baptismũ enim diabolo renuntiamus, eoq; Sacerdos exorcismos, &, vt Augustinus [a] vocat, *exufflationes* adhibet. *dein* ori sal imponitur, ad recuperationẽ spiritalis gust⁹. *tertio* sputo nares illinuntur, & aures; exẽplo Christo, cũ diceret. *Ephpheta.* redditur enim hic animę odorat⁹, & auditus. *quarto*: pectori, & scapulis, crux oleo inscribitur; vt hoc signo interius, exteriusq; muniamur. *quinto.* post baptismum vertex capitis chrismate signatur; quia sumus tunc Christiani, Reges, & Sacerdotes spiritales. *sexto:* datur cereus ardens; vt discat baptizatus ardere charitate, & lucere virtute. *septimo:* datur vestis alba; vt candor animi significetur. vt alibi à me dictum. Ex his patet, non esse ea risu digna; cum & Christus in miraculis suis cæremonias adhibuerit, & Apostoli nihil ad nos, nisi vel à Christo, vel à Spiritu sancto acceptum, transmiserint.

a *Lib. 1. de Symb. c. 1.*

Lib. 4. Christia instit. c. 4.

Nota *Quinto*: Præcipi hic Apostolis, vt baptizent; sicut prę-ceptũ supra, vt doceant: ipsi enim sunt, vt ait Apostolus, *dispensatores mysteriorum Dei.* ita vt Ignatius Presbyteros, & Diaconos moneat, ne sine Episcopi cõsensu quicquã attentent. imo Hieronymus dicat, eos nihil posse sine cõsensu. Episcopi enim est oues regere, eisq; de Pastorib. prouidere; q cõcionẽtur, baptizẽt, absoluãt, &c. Laici autẽ possunt quidẽ baptizare, si requirat necessitas: nõ tamẽ solẽniter, imo in necessitate etiã Iudæi, & omnino oẽs baptizãt licite, modo formã, & intentionẽ debitã adhibeant. Philippus qui Eunuchum baptizauit, Sacerdos non erat, sed Diaconus. & Apostolos raro post acceptum Spiritum S. baptizasse, B. Paulus docet, cũ ait; *nõ misit me Dominus baptizare, sed prædicare*, qui etiam duodecim B. Ioan. Baptist. discipulos per alios baptizauit, sed per se cõfirmauit: hoc enim Episcopis propriũ, supra diximus. Notat autẽ S. Thomas; mulieri nõ licere vt baptizet, si vir adsit; nec laico, si adsit clericus: licet tamẽ Sacerdoti, etiã coram Episcopo. Porrò quia baptismus etiam à fœmina, vel laico collatus valet, etiam affinitatẽ facit inter baptizatum, & baptizantem; & inter baptizantem, ac baptizati parentes; adeoq; matrimonia impedit, & dirimit.

1. Cor. 4. 1.
Epistol. 3. ad Magne.
Cont. Luciferia. c. 4. cir. fi.
Act. 8. 38.
1. Corin. 1. 17.
Act. 19. 5.

Nota *Sexto*: Et baptizantẽ, & baptizandũ intendere debere, vt faciant quod Ecclesia facit. & tunc baptismus est ratus; siue lusu fiat, siue serio. sic baptizati olim Ardalion, & Genesius,

Mimi; quia licet scenicè, tamē absolute facere volebant, quod facit Ecclesia: & in lusu, sub Athanasio per lusum Episcopo, pueri olim pueros baptizarunt; idque, vt S. Alexander Episcopus Alexandrinus declarauit, valide. vt ex Ruffino, Socrates narrat. cui simile, quod suo tempore Constantinopoli factum narrat Nicephor⁹; de puero Iudęo, à pueris Christianis, in lusu baptizato. nā Patriarcha baptismū ꝓbauit, & cęremonias suppleuit. Porrò si cōsens⁹ adulti baptizādi omnino desit, nihil fit.

Lib. 1. c. 14. Lib. 2 c. 16. Lib. 3. hist. c. 32. in fin.

V. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* Nota *Primo*: Verba hęc, vt August. ait, mutari nō posse, sine baptismi violatione. vt ꝓinde Christus hic verba essentialia posuerit. *Ego* Baptizantē notat; *Te* Baptizādum; *Baptizo* actum; *In nomine*, Vnam Trinitatis virtutem. *Patris*, & *Filij*, & *Spiritus S*. Tres personas; quarū ideo expressa mētio. *Primo*: Quia apparuerunt omnes in baptismo Christi, quādo baptismi nostri materia sanctificabatur. *Secūdo*: Quia ab eis habet baptismus vim iustificationis. *Tertio*: Vt baptizati in cognitione earum, & amore semper proficiant.

Lib 6. de Baptis. cont. Donat. ca. 25. & ep. 23. ad Bonifac. Episco.

Matth. 3.

Nota *Primo*: Errare eos, qui verba putant in Sacramentis esse indeterminata, quasi magorū sit verbis certis adstringi. Sed institutio Christi procul à magia abest: ille tamen vt res quasdā Sacramentis, nempe aquā, panē, vinū; sic & verba determinauit: diabol⁹ vero Dei simia hoc imitaur. *Secundo*: Nihil fieri ab eo q nō abluēs, seu nō baptizans, verba formę ꝓnuntiat. imo mētitur ille; quia nō ipse, sed ali⁹ baptizat. *Tertio*: Formā, *Ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filij, ego te baptizo in nomine Spiritus S.* esse illicitam. sunt enim illic tres baptismi, oēs nulli: quia null⁹ in Trinitatis nomine collat⁹. *Quarto*: Sacrilege olim baptizasse Arrianos; *in nominibus*: qua forma etiā nunc hæretici quidā vtuntur. illic enim Trinitas diuiditur. *Quinto*: Iure suspectū esse baptismū quorundā hæreticorū; *in nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritus S.* vidētur enim & hi diuidere Trinitatē naturis; præsertim cū Lutherus [a] alibi dixerit, se odisse ὁμοούσιον. & Caluinus [b] Filiū sacrilege neget, æquè ac Patrem, creasse mundum. Dicim⁹ quidē Catholici; Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S. & tres Personas vnum dicimus Deum: sed verbis Catholicorū sanis, hæretici sæpe sensum tegunt nō sanum. *Sexto*: Illicitum iam baptizare solum *in nomine* Chri-

a Libr. contr. Iacob. Laton.
b Lib. contr. Valen. Gent.

Christi:an vero id olim factũ,dubitatur.multi enim affirmant, & fauent Scripturæ:[a] plures vero negant. nam in Canonibus Apostolorum aliæ formæ,præter hanc;*in nomine Patris & Filij, & Spiritus S*.damnantur,[b] & Dionysius,[c] ac Iustinus, [d] solam hanc formã præscribunt. Quod autẽ Lucas habet, Apostolos *in nomine Christi* baptisasse;exponi potest *Primo*:in fide Christi. *secũdo*:authoritate Christi.*tertio*:baptismo Christi.*quarto*:in nomine Christi,nõ tamen solo. Porrò hæc à me hic discussa prolixius,vt sciant laici in necessitate, quomodo baptizent, neque mutatione formæ infans periclitetur.

a *Act.2.38. Ibi.8 12 item 10.48.19.5. Consulatur Bellar.tom.2. li.1.de Sacr. Bap c.3. in fi.* b *Can.49* c *c.2 Ec.Hie.* d *Orat.ad Anton.Pium Augustum.*

Nota *Secundo*:Ex solis Christi verbis non posse efficaciter cõuinci,quod forma baptismo essentialis, cõsistat in pronũtiatione dictorum verborum.facile enim respõdebit quis, non dixisse Christũ,*Baptizate eos dicẽtes,Ego te baptizo*, &c. adeoq; sufficere ad vim verborum Christi, vt dum homo baptizatur, per hoc S.Trinitatis honor intendatur;sunt & in alijs operib. bonis quæ fiunt quidẽ ad honorẽ Dei,nemo tamẽ explicite illud semper dicit. Verũ quia Ecclesia sic faciendũ ex institutione Christi docet,acquiescimus. ex quo facile necessitatem traditionum vides;quam si hac in re admittunt hæretici,cur in alijs rident?

Nota *Tertio*:Illud *In nomine*.Vnam significare Deitatem, contra Idolo-latras:quibus vt Apostolus ait;*Dij multi,et domini multi:nobis tamẽ vnus Deus,& vnus Dominus*.qui dixit olim:*Audi Israel Domius Deus tuus,Deus vnus est*.vocantur quidem & homines *Dij*; sed metaphoricè, & per analogiã:quia alios regunt. Porrò cũ Deum dicimus vnum,insinuamus *primo*: Deum etiam esse vnicũ.quod & Gentiles naturali lumine vidisse;Apostolus docet.& nos rationib.eisdẽ possumus conuincere.*Primo*.Ex Dei perfectione.Deus enim est omnia ; si vero essent duo Dij,haberet vterq; aliquid,quod nõ haberet alter ; nempe,illud per quod ipsi essent duo , seu à se mutuo diuersi : qui vero aliquam perfectionem non habet, Deus non est.*secundo*: Deus infinitus est,nec possunt esse duo,vel plura infinita. *Tertio* : Ex mundi administratione.si esset Deorum pluralitas , singuli ad se mundum raperent , suoque arbitrio eum gubernarent: nunc vero Deus vnus,omnia ad se vnum ordinat.*Quarto*:Ex natura, seu essentia Dei ; quæ est , esse. Præter ipsum

1 Cor.8.5. Deut.6.4. Psal.40.10.

Rom.1.20.

cætera omnia habent esse, ab essentia diuersum; ita vt accidat eis quod sint, possintq; concipi sine esse; vt cum rosas hyeme concipimus. Deus vero est ipsum esse, & ab eo cætera participant quod sint. Hoc autem esse vnicum est, sicut omnis natura in se vna est. *Secundo:* insinuatur Dei simplicitas. Nos corpore cõstamus, & anima, corpus quoq; partes suas habet. in Angelis intellectus, voluntas, existentia; multa sunt. sed in Deo; omnia, vnum: quia natura eius est, esse. esse autem omnia ambit. creaturarũ natura limitatur, neq; per esse exprimitur, sed cum addito esse hominem, Angelũ, &c. De se dixit Deus: *Ego sum qui sum*, &: *Qui est misit me ad vos.* neque esse, Deo accidit, sed est Dei esse: vnde Deus proprie non habet esse; si enim haberet, iam participaret, neq; esset ipsum. Porrò & Christus hoc nomine vsus legitur, nec sine miraculo: strauit enim Iudæos, & cohortem in horto. Porrò duo hæc, etiã natura duce, Philosophi præstantiores de Deo cognouêre, & si fidelis ea quoque sciat, non euacuat tamen scientia meritũ, quia firmius tenet fide, quam demonstratione; iuxta illud B. Petri : *habemus firmiorem Propheticum sermonem.* nam & oculus falli, & intellectus errare potest, fides vero non.

Exod. 3. 14. *Ioan. 18. 6.* *2. Petr. 1. 19.*

Nota *Quarto:* Deitatem hic vnum *nomen* dici; quia pauca de Deo hic nouimus, eaque nomine Deus exprimimus. quod in Scripturis, *sanctum, terribile, mirabile* dicitur: vt reuerentiã ei debitam discamus. nam si sanctus est Deus, nec ore polluto, nec manu impura, nec corpore immundo tangi debet. Moyses calceos exuit; & Sacerdotes in templo albis vestiuntur: odit enim Deus immunda. Porrò si terribilis est; non debet temere nominari, nec in testem vocari, multo minus blasphemari: cũ & *infernorum genua* in eius honorem flectantur. Demum si mirabilis est; nonne omnes corporis, & animi vires, ei dicandæ, qui intellectum illuminat, & voluntatem inflammat? Refert Tullius; interrogatum ab Hierone Simonidem, quid esset Deus; diem vnum deliberationi petijsse, eoque euoluto, adiecisse biduum; atq; ita deinceps duplicato semper numero; cumq; caussam Hiero quæreret, respondit ille: tanto rem fieri difficiliorem, quanto eam cogitaret diutius. *vincit* enim *Deus scientiam nostram.* Porrò duob. modis de Deo loqui possumus.

Psal. 100. 9. *Iudic. 13. 19.* *Exod. 2. 5.* *Philip. 2. 10.* *De natura Deo.* *Iob. 36. 26.*

Pri-

Primo, Quatenus est in se, & modus hic sobrietatem requirit, iuxta illud Ecclesiastici: *Altiora te ne quæsieris, sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper.* Id est, superat Deus virium nostrarum humilitatem sui sublimitate. Tam facilis hic error; quam ex solis inspectione cæcitas: perfectio hæc cœlis propria est, ibi enim intellectu confortato, & eleuato, videbimus eum sicuti est. *Secundo*, Quatenus in nobis est, per amorem, misericordiam, beneficentiam, iustitiam. De priore modo dicebat Philippus: *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis:* sed à Christo ad secundum modum, cum tacita increpatione, ducebatur, cum diceretur ei: *Tanto tempore vobiscum sum, & non me cognouistis? Philippe qui videt me, videt & Patrem.* Quasi dicat Christus, necdum beatitudinis tempus est, me videte mitem, benignum, perfectum, & Patrem similem cognoscetis. Nota hic, secundum tres mundi ætates, variam fuisse de Deo notitiam. In lege enim naturæ, omnipotentiam ostendit, vt timeretur, & coleretur solus. Hinc Moysi dictum; Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, Iacob, in Deo omnipotente: id est, volui, vt potentiam meam, & maiestatem meditarentur. In lege Moysis, sub alio se nomine reuelauit; de quo Moysi similiter Deus ait: *Nomen meum Adonai non indicaui eis.* Vbi in Hebræo nomen est tetragrammaton יהוה ante ignotum: erant autem varia huius nominis mysteria. *Primo*, Vocabatur *ineffabile*; quia carebat proprijs punctis, legebaturque cum punctis nominis *Elohim*, vel *Adonai*, vt significaretur Dei ineffabilitas, & incognoscibilitas; qui ad idē significandum *in nube habitabat & caligine. Secundo,* Nomen illud descendit à radice quę significat esse, vt notetur Deus esse omne ens, & alia in ipso esse multo nobilius, quam sint in seipsis, iuxta illud Ioannis: *Quod factum est, in ipso vita erat*: sicut in artifice præexistit idea operis, sic in Deo pręfuit ab æterno idea mūdi; sed idea artificis accidens est, & opere ipso ignobilior, in Deo autē ideæ sunt ipse Deus, & opus omne infinitū excedunt: nā quæ vel in se ipsis mortua, vel saltem creata sunt, in Deo viua sunt, & æterna, omnia in vno Deo videri possunt; substantiæ, locutiones, cogitationes, & tamē vnus est, *nec* mutationes repræsentans, in se *mutatur*. Philosophis *supremus & primus motor*

Eccl. 3. 22.

Ioan. 14. 8.

Ibid. 9.

Cognitionis Dei tres status.

1.

2.

Iehoua, quæ contineat.

1.

2. Par. 6. 1.

2.

Ioann. 1. 3. & 4

Mal. 3. 6.

3. dicitur, ipse tamen immotus. *Tertio*, Nomen illud Trinitatis
Iod. mysterium aliqualiter exprimit. *Prima* enim litera י punctum est, & aliarum literarũ origo, sicut Pater principium est Personarum
He. ה est litera pectoralis, & Filium significat ex Patre
Vau. natum ו cum spiritu profertur, & repræsentat Spiritũ sanctũ, qui spiratur vt amor, & cum sono *tanquam spiritus vehementis*
4. in Apostolos descendit. *Quarto*, ה geminatur, nec tamen
Iod. sonat, quia per incarnationem naturæ duæ coierunt, nec fe-
5. cerunt duas Personas. *Quinto*, Mysteria hæc Iudæis admodum obscura fuerunt, quia omnia illis in figura continge-
6. bant, vt ad veritatem aspirarent. *Sexto*, Hieronymus Pro nomine illo semper legit *Dominus*, nomenque illud soli Deo tribuitur, qui omnibus dominatur: quia Iudæi dominio eius suberant, & tanquã serui corripiebantur, si peccarent. In noua
III. status. Lege Deum audimus, sub nomine IESVS. Quia Trinitas tota salutis nostræ author est, significabat hoc Christus, cum Phi-
Ioan. 14. 9. lippo diceret: *Qui videt me, videt & Patrem*. Item: *Ego in Patre &*
Ibid. v. 10. *Pater in me est*. Qui ergo Deum nosse desiderat, quatenus nobis adest, Christum cognoscat, & quæ de Christo Scripturæ
Nomina Christi. testantur, expendat. Octo autem habemus Christi nomina, in Veteri Testamento prænunciata, quibus Dei conditiones explicantur. *Primum*, est *Emmanuel*, seu *Nobiscum Deus*: videt enim Deus omnia nostra, vt virtutes præmiet, peccata puniat, imo etiam *in nobis* est, ait Hieremias. *Secundum*, est *Admirabilis*, mira enim sunt eius opera, viæ inuestigabiles, adest & bonis, & malis, inexpectatus, hoc cogita, eumque metue simul, & in eum fide. *Tertium*, est *Consiliarius, vel*, vt habent septuaginta, *Angelus magni consilij*: immittit enim quotidie nobis inspirationes bonas, & ad sublimia ducit, vide ne spernas eum, quia vtilia suadet, & optima. *Quartum*, est *Deus*, omnis boni dator, cui honorem, imo nos totos, omniaque nostra debemus. *Quintum*, est *Fortis*: qui fortem alligauit, eiusque vasa diripuit: in quo & nos omnia, cum Apostolo, possumus. *Sextum*, est *Pater futuri sæculi*. Vel, vt Hebræa habent, *Pater in æternum*. quia etsi Dominus sit, & creator; *Pater* tamen dici vult, quia nos paterne regit, & hæredes adoptat. *Septimum*, est *Princeps pacis*, quia amat pacem, & ministros non habet nisi pacificos.

Octauum,

Octauum, est *Dominus iustus noster:* qui vt iustitiæ satisfaceret, in se pro nobis grauissima tormẽta, & mortẽ suscepit, nosque de iniuste persequentibus iuste vindicabit, & iuste remunerabit.

Nota *quinto*: Ex vnitate Dei quatuor colligi documenta. *Primum* est, Species, & decor eius infinitus: ex quo amor eius, & desideriũ in nobis excitatur. Cogita enim *primo*: perfectiones numero infinitas. *Secundo*, Earum singulas intensione infinitas. *Tertio*, Videbis non posse Deum talem non amari: sicut enim nemo potest nolle beatitudinem, etsi errare possit in beatitudinis obiecto, & materia, sic qui Deum bene cogitat, eum amare debet: vnde & beati impeccabiles sunt, quia Deum perfecte vident. *Quarto*, Considera non videri Deum, vt materiata: nempe, vt sit extra videntem, sed intime beatis inest, atque ab eis possidetur: ita vt in possessione beatitudo consistat: sicut & auari beatitudo non est, videre, sed possidere opes, eisque frui. *Quinto*, Cogita quantæ sint diuitiæ eius; qui habet diuitias infinitas; quãtus decor, habentis decorem infinitum, &c. hæc autem habet, quisquis Deum habet: vt merito is omnia hic aduersa tolerat patienter, vt cum Deo postea regnet feliciter. Refert Cæsarius dixisse aliquando dæmonem, ex energumena; se, modo carnem haberet, paratum per columnam ferream, ignitam, acutissimis nouaculis plenam, & à terris vsque ad cœlos extensam, vsque ad diem iudicij reptare, si ea via cœlos ingredi posset. Ex quo patet, nõ esse huius *condignas temporis passiones ad futuram gloriam*: quam, *nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c.* Sunt autẽ in Deo, vt sic loquar, tres infinitates. *Prima*, Infinitarum numero perfectionum. *Secunda*, Infinitæ intensionis, in perfectionibus singulis. *Tertia*, Infinitæ durationis, qua illis fruemur; neque enim amittemus beatitudinem. *Sexto*, Cogita post hanc vitam omnibus aliquod parari infinitũ. Beati enim infinita duratione Deum videbunt: infinitum, etsi nõ infinite, tamẽ ad satietatem. Mali vero duratione infinita, pœnas patientur, si nõ infinitas, tantas tamen, vt omnes animi, & corporis vires acerbissime torqueantur. Vide vtrum ex his placeat, & spretis delectationibus desituris, gaudia elige infinita.

Lib. 5. c. 10.

Rom. 8. 18.

1. Cor. 2. 9.

Secundum documentum est, Quam facile sit seruire Deo: & quam

& quam difficile seruire diabolo: Deus enim vnus, solusque, ad omnia sufficit, & habet *iugum* vnum non tantum *leue*, sed *& suaue*. Mundus tot pene habet Deos, quot diabolos: vnus ambitioni, alter opibus, tertius libidini præest, &c. neque iuuant portantes iuga sua, sed premunt magis, eisque, ceu *equis, insident*. Miratur Bernardus, cur vni iugo Christi, homines quinque boum iuga præferant: sed nesciunt, quod seruire Christo sit regnare, & Christianam negligũt libertatem, quia propriam amant seruitutem. Tu vero Deum vnum ama; ne tot timeas, quot amas vitia, præsertim, cum ab his nulla tibi, vt monuit Hieremias, nocte vel die sit quies.

Apoc.9.17. *In declamatio. ecce nos reliquimus omnia, &c. in princ.* *Hier.16.13.*

Tertium. Quam sit periculosum à Deo vnico desciscere: merito enim, sicut dicunt boni, *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Sic mali contrà, si Deus contra nos, quis pro nobis, si in regno diffidium sit inter duos, habet vterque vnde quærat protectorem, sin autem Rex, omnisque aula in vnum conspiret, miser ille ab omnibus destituitur. Atqui, *in ditione Dei cuncta sunt posita*: quis ergo tibi auxilium feret contra Deum? Recte Heli, *si vir in virum peccauerit placari ei potest Deus: si autem in Dominum deliquerit quis orabit pro eo?* Ibunt dij falsi cum peccatoribus, in eandem damnationem.

Rom.8.31. *Esth.13.9.* *1.Reg.2.25.*

Quartum, est Vt Dei vnitatem, quam possumus proxime, imitemur. Quanta enim nobis inde vtilitas, oratio Christi satis insinuat, qua pridie quam pateretur, tam ardenter à Patre nobis vnitatem hanc petiuit. *Pater sancte serua eos quos dedisti mihi vt sint vnum sicut & nos*, &c, paulò post *vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint*. Sunt autem tres vnitates nobis necessariæ. *Prima* est, in nobis, nempe, vt nulla sit carni contra spiritum lucta: carent quidem lucta hac bestiæ, sed fit hoc, quia spiritu carent: similiter eadem saltem ad tempus carent sepulti in peccatis, & quorum conscientiæ cauteriatæ, sed redibit illa ante mortem, eosque post mortem perpetuo affliget. *Secunda* est, in Deo, de qua Christus: *Vt & ipsi*, ait, *in nobis vnum sint*. Fit autem hæc, quando Deus *ad nos venit*, &c, *mansionem* apud nos *facit*. De qua etiam alibi Ioannes: *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*: non quod fiat homo Deus per naturam; sed per adoptionem,

Ioan.17.11. *Ioan.17.21.* *Ioan.14.23* *1.Ioan.4.16.*

nem,& gratiam: ita vt homo nihil cogitet,loquatur,vel agat, præter Deum, & in Deo. *Tertia* est, Inter nos, quæ fidelibus propria est, propter Christi orationem: infidelibus vero, & hæreticis non contingit,vt eorum bellum pax sit Ecclesię.De primis Christianis legimus,quod fuerit *eorum cor vnum,& anima vna:* vt idem crederent omnes,& sentirent. Est & illa Ecclesiæ vnitas,vt per iuncturam subministrationum constituatur ex omnibus vnum corpus, in quo alij pedes, alij manus, alij caput sint. Demum aliam adhuc vnitatem Christus insinuat; cum ait: *Ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis,vt sint consummati in vnum.* Claritas hæc Christi,eius diuinitas est,cuius ille nos in Euchatistia participes facit, atque ita vnitatem nostram,vt Hilarius, & Cyrillus optime prosequuntur, consummat. Omnes enim vnum corpus accipimus, ideoque, vt ait Apostolus: *Vnum corpus,& vnus panis omnes sumus:* eadem quoque est in omnibus diuinitas, vbique præsens. Itaque Eucharistiam desidera,vt,eius beneficio,in vnitate proficias, tandem consummandus:neque,cum Iuda, post communionem diabolo cor aperi, ad dissidia generanda, ne & ille tibi laqueum aperiat: sicut illis fit, qui vix templo egressi omnia domi turbant, neque cum Deo, neque cum proximis,neque cum seipsis pacifici.

Actor. 4. 32.

Ioan. 17. 22.

Lib. 8. de Trinit.

Lib. 11. in Ioan. cap. 26.

1. Cor. 10. 17.

Nota *sexto*, In vnitate Deitatis tres Personas, quæ singulæ, & omnes, sunt vnus Deus: & tamen Persona vna,nō est alia. Atque mysterium hoc,naturæ,& Philosophis omnibus,semper inuium fuit: quantumlibet profunde vnitatem,æternitatem, simplicitatem, aliasque Dei perfectiones attigerint. Quod autem Trismegistus dixit; *Monas genuit monadem,& in se reflexit ardorem:* quod aliqui de Patre Filium generāte,& cum eo Spiritum sanctum, qui amor,& ardor est, spirante,intelligunt. Similiter quod Plato multa videatur de *vno, & bono*, ac *ideis*, disputasse, id ferè ex Scripturis Testamenti veteris didicerunt, in quibus obscura Trinitatis insinuatio, ne Iudæi ad idola propensi, plures Deos suspicarentur. Solis tunc Prophetis,& Patriarchis sanctioribus, clarior erat Trinitatis notitia,nec tanta tamen, quanta nunc: Euangelio enim mysterij huius reuelatio seruabatur; quia in eo,per Christum adoptamur

mur in filios Patris, per inhabitanté nobis Spiritum sanctum; Quod autem Philosophi de *Vno*, & *Mente*, tradiderunt; Christiani de Deo explicant, qui per Idæam, ceu artifex, mundum fabricauit: nam de generatione Mentis ad intra, aperte Scriptura dicit, eam *non posse enarrari:* vt proin nec solo naturæ ductu cognosci possit, Pater vt generans, vel Filius, vel Spiritus sanctus: superat enim intellectum omnem perfecta vnitas, in perfecta Trinitate: vbi nihil maius, aut minus, nihil etiam commune, sed vnum: nam apud creaturas plura non vnum, sed aliquid commune habent: in diuinis vero Personæ omnes, vnum sunt; & vnus Deus, non tres Dij; sicut apud nos tria supposita humana, sunt tres homines: & tamen Personæ hæ non sunt eædem, ita vt solis differant nominibus, quæ fuit Sabellij hæresis: sed Pater vere est alius à Filio. Filius quoque carnem assumpsit, & mortuus est, non tamen Pater, aut Spiritus sanctus, similiter in Pentecoste Spiritus sanctus ad Apostolos missus est, non tamen Pater, aut Filius. Denique Pater dixit; *Hic est Filius meus dilectus*: neque Spiritus sanctus illud dixit, aut Filius. Quia vero hæc creati ingenij vim superant, multi in eis errauerunt: nam Arius tres Deos, cum Ethnicis; Sabellius vnam personam dixit, cum Iudæis: sed melius Ecclesia, *Deum* fatetur *corde nostro maiorem:* imo Deum non fore si à creaturis comprehendi posset. Recte enim rogatus à discipulis Philosophus, vt quę de Deo docebat, diceret clarius: *Ego*, ait, *si id possem sufficienter præstare, vt quid, qualisue sit Deus liquidò comprehenderetis, vester vtiq; essem Deus, in cuius manu id solummodo est: vel is quem ego vobis inculcarem Deus non existeret.* Imo tanta est Dei maiestas, vt creatura nulla produci possit, quæ à perfecta eius comprehensione finitis gradibus absit: infinitus enim est; *infiniti* autem *ad finitum*, id est, ad creaturas omnes, *nulla proportio*: & si infinitum Deus produceret, alium Deum produceret: hoc autem impossibile, quia Deus esse non potest, quicquid factura est. Trinitatem itaque meditare, vt eius amore inflammeris. Memini dum aliquando in Italia essem prope Montem Falconem, in quodam Augustinianarum monasterio, extra vrbis muros; ostensa mihi inter cætera passio-

Esai. 53. 8.
Matth. 3. 17.
Matt. 17. 5.
1. Ioan 3. 27.

nis

nis Christi insignia, (nam crux, & corona alio erant transmissæ) tres glandes oblongas, in corde cuiusdã virginis, quæ in culina ministrarat, repertas magnitudinis oliuarum, quæ & singulæ diuisim & omnes simul, eiusdem erant ponderis. Voluit autẽ Deus mysterio hoc reuelare, quantum virgo illa, cui nomen Clara, & passionis, & SS. Trinitatis meditatione fuerit occupata:& certe auocat meditatio hæc hominem à se, Deoque vnit: sicut lagenam aqua plenam sol radijs suis calefacit,& aliquando inflammat. Moysis faciem Israelitæ, præ splendore,aspicere nõ poterant. Quisquis Deum sincere diligit, huc proficiet: nascitur autẽ ex cognitione dilectio; sicut ex igne flamma:ita vt Ioannes eos dicat *mentiri, qui se Deum dicunt nosse,nec tamen diligunt*: nulla ergo ad dilectionem via, nisi cognitio: sed neque cognitio est vera, si desit dilectio. Ideo Pater Filium misit, qui sapientia est, vt verè cognosceremus; Spiritum sanctum, qui amor est,vt ardenter diligeremus. Exod 34.29. 2. Cor. 3.13. 1. Ioan. 2. 3.

Nota *septimo*, Cognitionem SS. Trinit. non haberi,nisi per reuelationẽ,& verbũ Dei,siue scriptum,siue traditum:& quidem vt ab hac notitia cætera inchoaremus, Scriptura primis statim verbis insinuat Trinitatis mysterium; eiusque Prophetæ frequenter meminerunt. Moyses ergo ait, *In Principio creauit Deus*: vbi *Deus*, significat Patrem; *Principium*, Filium, qui se dixit *principium*. & de se scriptum *in principio* seu *capite libri*. Porro Spiritus sancti mentio statim subditur à Moyse, cum addit *Spiritus Dei ferebatur super aquas*. In singulis quoque sex dierum descriptionibus, Pater, & Filius declaratur, cum dicitur *Deus dixisse*: dicit enim Pater per Filium; Spiritus sanctus autem, cum additur, *vidit Deus quod esset bonum*: à Spiritu sancto, enim omne bonum est. Atque ita discimus per Patris potentiam, & Filij sapientiam, ac Spiritus sancti amorem, omnia initio creata, tam sapienter, & fortiter, vt modum nemo comprehendat, aut explicet: omnia enim creasse ex nihilo in instanti vires ingenij humani superat, cum putarint semper omnes *Ex nihilo nihil fieri*. Mundum quoque nunc Deus sapientia, fortitudine, & bonitate eadem conseruat: ita vt gubernationis prudentiam nemo possit comprehendere;etsi multi eam præsumant vituperare: sed stultos hi imi- Gen. 1. 1. Ioan. 8. 25. Psalm. 39. 8. Gen. 1. 2.

hi imitantur, qui quæ nesciunt, rident: vbi vero post obitum omnium in Deo viderimus rationes, cum stupore summas et
Matt. 3. 16. gratias agemus. Porro in nouo Testamento, expressior mul-
Actor. 2. 3. to Trinitatis mentio, cum in voce ter, in carne Filius, in columbæ, & ignis specie, se Spiritus sanctus manifestauit, vt sicut ante, terram; ita tunc Ecclesiam, cuius maior dignitas, fundarent: maiora enim hic potentiæ, sapientiæ, & charitatis opera requirebantur: potentiæ quidem, vt conuerterentur etiam prius inuoluntarij, cum in prima creatione nihil inuoluntarium fuerit, Sapientiæ quoque, vt diabolus quasi astu vinceretur, charitatis denique, vt etiam pro inimicis Christus animam poneret: itaque clariora habemus de Trinitate testimonia, inter quæ vnum est, quod modo exponimus, alterum
1. Ioan. 5. 7. & 8. vero, quod apud Ioannem reperitur: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo; Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres, vnum sunt.* Imo faciunt huc Scripturæ omnes, quæ Christi, & Spiritus sancti Deitatem docent. Traditio quoque inuiolata, & Symbolum Apostolorum, & S. Athanasij.

Nota *octauo*, Quod etsi non possit ex creaturis conuinci Personarum in Deo Trinitas, sicut naturæ vnitas: potest tamen ex eis declarari. Facilius in Christo vno, duas credimus naturas: nam & in homine vno corpus videmus, & animam, quam in vno Deo tres credamus Personas. Quia huic in creaturis nihil simile. Interim si accurate omnia expendantur, videbimus in creaturis reperiri Trinitatis vestigium. Duo enim sunt creaturarum genera; spiritualis scilicet, & corporalis, in corporalibus est vna natura, v. g. humana, leonina, arborea, &c. dein vna hæc habet tres dimensiones, longitudinem, latitudinem, & crassitiem, longitudo, est linea, ex hac multiplicata, superficies, seu latitudo nascitur, atque huius multiplicatio, crassitiem facit: sic ex Patre nascitur Filius, & ex vtroque Spiritus sanctus, vnde sicut ex vestigio cognoscimus speciem, an scilicet hominis, an leporis sit, &c. sic ex hoc vestigio, etiam in rebus materialibus, declaramus Trinitatem. Spiritales substantiæ Angeli sunt, & animæ; quæ etiam natura, seu forma vna sunt, & tamen habent tres proprietates. *Prima*, est
Isai. 37. 36. Potentia. Qua Angelus vnus vna nocte 185000. hominum deleuit,

deleuit; & anima totum corpus mouet. atque secundum hāc Deo Patri assimilantur. *Secunda* est Intellectus. quæ respondet Filio. *Tertia*; voluntas. quæ amoris sedes est, & Spiritui S. respondet. Atque ex his creaturarum omnium disce dignitatem. Christo in cœlos ascendente mansêre vestigia eius terræ impressa, sed quantus eis impensus honor, Hieronymus, [a] & Paulinus [b] docent. Romæ etiam, extra portam Appiam, in templo S. Sebastiani, seruantur, cum maxima veneratione, vestigia Christi, saxo impressa, quando, vt Ambrosius scribit, Petro Neronis persecutionem declinanti occurrit, dicens: *Vado Romam iterum crucifigi*: vt Petrum indicaret illic crucifigendum, & abitum ab vrbe dissuaderet. Si vero tantus honor vestigijs Christi, certe non minor debetur vestigijs Trinitatis. Creaturas omnes solet B. Franciscus vocare *fratres*, & *sorores*, tum, quia ab vno Deo erant conditæ; tum, quia eum repræsentabant. Noli ergo teipsum contemnere; animam habes SS. Trinitati præ creaturis corporalibus similiorem.

a *De loc. Hebrai.*
b *Epist. 11. ad Seuerum.*
Orat. de Basilic. non tradendis.

Nota *Nono*: Modum Diuinæ processionis, ne in ea, sicut in humanis, corpus, prioritatem, & transitum putes. neq; enim ibi corpus, neque initium, neq; vicissitudo est. Pater non est Filio antiquior, nec Filius Patre imperfectior, sed semper genitus, semper gignitur, & Spiritus S. etsi ab vtroque procedat, neutrius tamen filius est. quæ vt planiora sint; obserua *primo*: Duplices esse creaturas; corruptibiles & incorruptibiles; hæ finem nesciunt, sed etiam non generant; illæ vero generant quidem, sed intereunt: sicuti autem priorum perfectio est, nō corrumpi, sic etiam posteriorum perfectio est, generare; & quia perfectio nulla Deo deest, ipse & generat, & incorruptibilis est: iuxta illud Isaię: nunquid ego qui alios parere facio ipse non *pariam*, *dicit Dominus? si ego qui generationem cæteris tribuo sterilis ero,* ait Dominus Deus tuus. Habet Pater beatitudinis suæ consortes; filium, & Spiritum Sanctum, sicut homo hominem. Obserua *Secundo*: Personam à Boëthio definiri, quod sit *rationalis naturæ indiuidua substantia.* Naturæ communes diuidi possunt in plures, qui participant naturam: indiuidua vero, vt ex nomine patet, diuidi non possunt. Est autem indiuiduorum hæc discretio, quod quæ sunt naturæ irratio-

Isai. 66. 9.
Lib. de 2. naturis.

nalis, dicantur communi nomine *supposita*; quæ vero naturæ rationalis (id est Angelicæ, vel humanæ, imo & Diuinæ) dicuntur *Personæ*. *Tertio*: Generationem in Diuinis non esse corporalem, vt ex illo Psalmi; *Ex vtero genui te*, aliquis stupide colligeret; sed spiritalem. sensus autem verborum Psalmi est; sicut ex vtero mater homo generat hominem; sic ego Deus Deum. fit vero hoc spiritaliter, ex fœcunditate Diuini intellectus; sicuti in intellectu nostro species rei intellectæ nascitur, quam verbum mentis dicimus; quæque rem intellectam repræsentat. atque ideo Verbum in Diuinis *imago Dei*, dicitur; &, *splendor gloriæ, ac figura substantiæ*, seu vt Græca habent, *character hypostasis* Dei. quia scilicet est expressa Patris similitudo. *notari* tamen debet Diuini verbi, & creati differentia. in creaturis enim; verbum, mentis accidens est, & ab intellectu differt: neque est intelligentis filius, cum sit alterius naturæ in essendo. in Deo autem accidentia non sunt, sed *verbum Dei*, Filius est, vnius cum Patre substantiæ, & æternitatis. *Quarto*: Obserua. Spiritum Sanctum, alio adhuc modo ex Patre, & Filio procedere: neq; enim gignitur, aut est Filius, sed spiratur, vt amor: dum enim Pater, & Filius se vident, amant se quoque, & amor hic Spiritus Sanct. est; qui tamen non dicitur filius illorum, quia non procedit vt genitus, sicut nec Eua, Adæ filia, dicitur, etsi ex ipso fuerit formata: idque quia non est facta ex eo via generationis. Intellectus, & voluntatis differentia est: quod ille rei debeat habere similitudinem, ideoq; Filius, qui originatur per intellectum, originatur vt similis, hæc vero non habet in se obiecti similitudinem, sed magis rapitur extra ad obiectum, ideoque Spiritus Sanct. vocatur Spiritus, quod sonat quasi egressum vel processionem à spirante; neque dicitur procedere, vt similis, etsi procedat similis: imo idem cum Patre, & Filio. eadem ex caussa non dicitur imago Patris, sicut Verbum, vel Filius: quia, vt rectè Augustinus, ad rationem imaginis non sufficit similitudo, alioquin ouum esset imago oui; sed requiritur, vt imago fiat ad rei similitudinem: sunt autem imaginum duo genera; quædam scilicet perfectæ, quæ cum exemplari habent eandem naturam, vt in generationibus natura-

Psal. 109. 4.
2. Cor. 4. 4. Coloss. 1. 15. Hebr. 1. 3.
4.

turalibus; vnde de Adamo dixit Scriptura, *genuit ad imaginem & similitudinem suam.* Quædam imperfectę quæ habent naturam aliam, vt in artefactis. In Diuinis, Filius est Patris imago perfecta, vnius indiuiduæ naturæ cum Patre. Spirit. Sanct. autem similitudo quidem Patris est; imago tamen non dicitur, quia non procedit, vt similitudo: sicut homo, hominis imago, non dicitur, etsi frequentius eum magis, quam vel imago viua, seu filius, vel artefacta repræsentet. Dei imago imperfecta est. *homo factus,* vt notat B. Thomas, non similitudo, sed *ad similitudinem*: nempe Verbum, ad quod quotidie conformari magis debemus, vt Deo magis assimilemur. Notat autem Gregorius, Angelum dici, *signaculum similitudinis,* quia firmior est in illo Dei similitudo, & eleuatior, ob perfectiorem actum & immaterialitatem. Porrò non dixit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem meam,* vel Dei; sed, *ad imaginem nostrã,* vt insinuaret in homine Deitatis & Trinitatis esse similitudinem: sicut enim *Primo*: Anima tota in toto, & singulis

Gene. 5. 3. *1. p. q. 35. a. 2. ad 3. & q. 93. a. 1.* *32. Mor. c. 24.* *Gen. 1. 26.*

mẽbris est; sic Diuinitas tota, in singulis Personis. *Secundo*: sicut Deus omnium, sic homo corporalium creaturarum Domin⁹ est. *Tertio*: sicut omnia propter Deum, sic creaturæ aliæ, propter hominem, factæ sunt. atq; hi duo posteriores modi, viro magis proprij sunt, quam fœminę; *mulier enim propter virum,* ait Apostolus: & *caput mulieris vir.* Primus vero vtrisque æquè communis est, sicut & similitudo Trinitatis; quæ potest explicari dupliciter. *Primo*: in operationibus; nã cum rem intelligimus, exprimit intellectus verbum, & voluntas amat: atq; ita intellectus Patri, verbum Verbo seu Filio, amor Spiritui S. respondet. *Secundo*: in potentijs operatiuis: atq; ita memoria Patri respondet (fœcundat enim intellectum;) intellectus Filio, & voluntas Spiritui S. expressior tamen est similitudo, si actu operemur; quia Deus semper est in actu; fit aũt hoc à beatis, *qui in secula seculorum laudant Deum, & requiem non habent die, ac nocte, dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Quia laus, laudem prouocat. Vidẽt verò beati Deũ, sed sine creata similitudine, quia vident in verbo, neq; creata species posset Deũ repræsentare. erimus itaque ibi feliciores multò, quam hic, Deoque similiores, non tamen omninò similes, quia nemo Deum omnino capit.

1. 2. 3. *1. Cor. 11. 3.* 1. 2. *Psal. 83. 5.* *Apoc. 4. 8.*

1. Ioan. 5. 7. Nota Decimo: Etsi in Diuinis *tres vnum sint*: habere tamē singulos nomina sibi propria idque tripliciter. *Primo:* quia per ea
1. significantur Personæ secundum Personalia; sic persona prima dicitur Ingenitus, Principium deitatis, Pater. *Secunda:* Filius verbum. Imago *tertia* Spiritus. quia vt supra dixi spiratur Amor Donum. quia primum Dei donum in nos est amor. *Secundo:* Quia nomina communia Personæ certæ certa ratione
2. applicātur: sic primo Aeternitas appropriatur Patri, quia Trinitatis initium est. Pulcritudo Filio quia *imago* est. Fructus
Hebr. 1. 3. seu fruitio Spiritui S. quia donis eius fruimur. secundo, Vnitas Patri quia cum sit primus concipi potest quasi solus similitudo Filio vinculum seu copula Spiritui S. tertio potentia Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui S. cum in hominibus Pater fere impotens sit & Filius insipiens ac venti noxij. Pater ergo in Diuinis etsi describatur vt antiquus dierum omnipotens Filius omnisciens Spiritus S. bonivolens. aliter enim diuina se habent quam nostra. *Quarto*: Personarum proprietates expli-
Rom. 11. 36. cuit Apostolus, cum dixit: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso esse omnia.* vbi primo membro Patrem indicat, ex quo omnia: creaturæ scilicet; & duæ Trinitatis Personæ. secundo Filium *omnia* enim *per ipsum facta sunt*, tanquam idæam. tertio Spiritum S. quia in amore Dei omnia quiescunt, & sunt iuxta illud A-
Act. 17. 28. postoli. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* nisi enim Deus liberaliter se & ex amore communicasset: nihil vnquam creatum
3. fuisset. *Tertio:* Aliam nominum appropriationem insinuat A-
2. Cor. 13. 13. postolus. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas* Dei, *& communicatio S. Spiritus, sit cum omnibus vobis, Amen.* vbi singulis Personis singula attribuit non secundum naturales earum proprietates, sic enim omnia soli Spiritui S. applicarentur, sed secundum effectus in nobis productos, quibus etiam nos quid agamus docent, præponitur autem Christus primo, quia per ipsum consecuti sumus aliarum Personarum notitiam. Secundo quia effectus ipsius primus esse debet, & aliarum fun-
Ioan. 1. 17. damentum; nempe *gratia* quæ *per Christum facta est*, quæque in remissione peccatorum (hæc autem omnis boni fundamentum est) infunditur. eadem ex caussa Dauid homicidij, & ad-
Psal. 50. 12. ulterij pœnitens primò loco *cor mundum* petit, *& in visceribus*

spiritum

ſpiritum rectum innouari. vbi Chriſtum vocat ſpiritum rectum. *Primo:* quia nos peccato obliquos, & ſimiles hominibus quos cæcus vidit *quaſi arbores*, id eſt, capite in terram defixos erexit in cœlum. *Mar.8.24.* *Secundo:* quia debitum infinitæ pœnæ à nobis per culpæ infinitatem contractum, iuſtè & rectè exoluit. Diſce itaque à Filio Dei. *Primo:* vt gratiam habeas & peccati purus ſis quod frequenti confeſſione obtinetur. *Secundo:* Rectum te ſerua; cruci alligare vt vitis ſtipiti, & tanquam membrum viuum in Chriſto permane. *Tertio:* Audi docentem, quia *mitis eſt & humilis corde.* *Matth.11.29.* eſto mitis in aduerſis, & humilis in bonis: ita fiet vt à peccato liber ſis. Patri charitas ab Apoſtolo tribuitur, quæ poſt peccatorum remiſſionem bona operatur. Duo autem de charitate hac Chriſtus docuit. *Primum: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* *Ioan.3.16.* vbi verba ſingula emphaſin habent. Nam *Deus* tantus *Filium ſuum vnigenitum* tantopere dilectum ſibique æqualem. *Dedit* in manus carnificum occidendum; & cum bonis ſub Sacramento vſque ad conſummationem ſeculi, permanſurum *vt omnis*, & cæt. liberat enim malo æterno & bona reddit æterna, ſi vnum nos præſtemus fidem ſcilicet; ſeu vitam fidei conformem. Diſce itaque amare Deum, & proximum: neque enim tantum tu illo dignior es quantum homine Deus: neque tantum illi das aut præſtas quantum homini dedit Deus. *Alterum* eſt: *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri qui facit oriri Solem ſuum ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.* *Matth.5.45.* Item. *Eſtote ergo perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* *Ibid. 48.* Vult Deus, vt etiam in inimicos benefici mala nobis illata obliuiſcamur, ſicut peccatorum noſtrorum oblitus eſt Deus, nobiſque benefecit. tantum iniuriæ illatæ lædunt quantũ ab eis ſe quiſque lædit. Dauid Patrem tertio loco poſuit dicens: *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me;* *Pſ.50.14.* quia conſtantiæ author eſt, quæ ſola coronatur. dicitur quoque *ſpiritus principalis*, ait Bernardus; non quia alijs Perſonis dignior, ſed quia principium, ſine principio dona dat principalia, vt iam dixi, nempè perſeuerãtiam. *Serm.3.de Pentec.circ. finem.* Ora ergo vt eam tibi conferat, quo cum Apoſtolo exclames: *Quis nos ſeparabit à charitate* *Rom 8.35.*

ritate Christi? tribulatio ? an angustia? an fames? an nuditas ? an periculum? an persecutio? an gladius ? Si Deus pro nobis, quis contra nos? neq; negabit petenti Deus, qui etiã non petenti maiora sponte dedit. Filium scilicet, vnigenitum. Demum Spiritui S. *com-*
1. *municatio* tribuitur. *Primo*: quia est Patris, & Filij quasi com-
2. munio, & ab vtroque procedit. *Secundo* : quia communicat dona sua, nosque communionem sanctorum docet. proprietas inutilis est, communio vtilis. ideoq; *Primo*: habeas intellectum communem; & proprias opiniones, hęresum, & dissidij initia vites: ea verò disces quę hominũ cõmunitati vtilia sint.
Serm. 36. super Cant. *Sunt*, teste Bernardo, *qui scire volunt eo tantum fine, vt sciant, et turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est. Et sunt item qui scire volunt, vt scientiam suam alijs vendant, & turpis quaestus est. Sed sunt quoque qui scire volunt, vt ædificent, &*
Dan. 12. 3. *charitas est.* atque, vt ait Daniel, *fulgebunt docti quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Secundo: voluntatem habeas communẽ. & cogita illud Ber-
Serm. 3. de Resurrect. Domi. *nardi: In quem ignis ille gehennæ desæuiet nisi in propriam voluntatem?* Voluntas communis omnium saluti studet, adeoq; Dei volũ-
1. Tom. 2. 4. tas est, *qui vult omnes saluos fieri. Tertio:* sit corpus commune, nõ
3. peccato, sed virtuti. multi corpus vix mouent ad conciones, ieiunia, sacrum &cæt. tu verò Christum cogita, etiam sanguinem, tui caussa effudisse. similiter proximo vt potes opitulare; debes enim vitam pro salute eius negligere; sicut B. Sebastianus fecit, qui vt Marcum, & Marcellianum fratres in tormentis nutantes firmaret; ipse se tormentis obiecit martyr
4. gloriosus. *Quarto:* habeas etiam facultates communes, & in vsum à Deo intentum eas expende, tibi soli exigua sufficiunt.
Epist. 120. vt rectè dixit Gentilis Seneca : *Non præcipio vt aliquid naturæ deneges. Contumax est, non potest vinci, suum poscit. Sed vt quidquid naturam excedit, scias precarium esse necessarium. Esurio , edendum est. Vtrum hic panis sit plebeius, an similagineus, ad naturam nihil pertinet. Sitio, vtrum hæc aqua ex proximo sit lacu excepta, an eam quam multa niue clusero, vt rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet. Illa hoc vnum iubet sitim extingui. finem ergo omnium rerum specta, & superuacanea deuites.* Hoc si facis, & suauior tibi, & alijs erit vtilior

lior diuitiarum tuarum vsus: à Deo omnia; imo & Deum ipsum, Deique sanguinem, & vitam tibi communicatam cogita, vt eodem amore liquescas. sicut enim dura soluit ignis, vt in glacie, & metallis patet; sic qui amorem habet tantò liquescit vberius, quantò amat fortius; imo qui perfectissimè amant, omnia relinquunt, etiam seipsos. hoc si necdum potes, saltem superflua pauperibus tribue, vt sic prouocetur Spiritus S. vt te magis illuminet: plus enim crescit cognitio Dei charitate, quam sterili meditatione. *Simile.*

VI. *Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Ante baptismum adulti fidem discunt; neque sine ea baptizari possunt: postea verò ad virtutem omnem instituuntur. sicuti enim baptismus fidem, sic salus prærequirit virtutes, & opera bona: nisi quis statim à baptismo moriatur, nam & hic saluus erit, quia *credidit, & baptizatus est.* alios omnes vult Christus institui, tanquam ad bonum obligatos.

Disce *Primo*: Neminem sola fide saluari. sicut enim de circumcisione, quæ erat introitus in Synagogam, ait Apostolus, *testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ*; sic & baptismus, Ecclesiæ ianua, ad præceptorum obseruationem obligat. vndè dixit Christus: *si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* & de neophytis scribit Lucas, quod vendiderint omnia sua, pretio ad pedes Apostolorum allato, quod tamen consilij duntaxat est. similiter Apostolus docebat, *omnes custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus.* Disce *Secundo*: Non mandasse Christum, vt ea solum Apostoli docerent, quæ ex ipso audierant; sed multa etiam docuerunt audita à Spiritu Sanct. de quibus Christus eis nũquam speciatim locutus. vt de modo conuertendi Gentes, sine imposito iugo legis. & quod Apostolus ait, *Ego dico, non Dominus.* nam sicuti plura bona licitè facimus, quam præcepta (vt se fecisse Apostolus scribit) sic possunt Superiores statuere leges vtiles, etsi eæ in Scripturis non exprimantur, & quisquis eas spernit, inobediens est; ac Scripturam cogitet inobedientiam sacrilegio, & idololatriæ comparasse. Porro si filij parentibus, serui Dominis, subditi Principibus obedientiã debent. nõne eandẽ debent fideles omnes Ecclesiæ *matri* suæ? vt ait

Gal. 5. 3. *Matth. 19. 17.* *Act. 2. 45.* *Act. 4. 37.* *Act. 16. 4.* *Act. 15. 20.* *1. Corin. 7. 10.* *1. Corin. 9. 12.* *1. Reg. 15. 22.* *Gal. 4. 26.*

Mat.18.17. vt ait Apostolus. Præcepit hoc aperte Christus: *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* & Paulus. *Obedite*, ait, *præpositis vestris & subiacete illis.* nam, *qui vos audit, me audit.* In Parabola hominis, qui in latrones incidit, dictum stabulario à Samaritano: *quodcunque supererogaueris, ego, cum rediero, reddam tibi.* quia, vt rectè Augustinus: *Si quid super Euangelium meum, tanquam misericordiam meam consecutus, vt esse fidelis, ad eius vtilitatem sapueris, dum rediero iudicaturus mundum, & vnicuique redditurus secundum opera tua, reddam tibi.*

Hebr 13.17. Luc.10.16. Ibid. v. 35. Tom. 7. lib. 3. Hypognost. fere circa med.

5 Genera Mandatorum. I. Luc. 10. 29. 1. Ioan. 2. 7.

Disce *Tertio*: Christum dedisse quinque genera mandatorum. *Primum*: est de charitate, quæ in lege veteri tantum erat obscura, vt etiam Legisperitus quæreret ex Christo. *Quis est meus proximus?* ideoq; mandatum hoc Ioannes *nouum*, *ac vetus* vocat; quia scilicet olim datum, à Christo renouatum est, vt fieret tessera, & insigne Christianorum. *In hoc enim cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.*

Ioann. 13. 34.

1. Consistit autem obseruatio huius præcepti *primo*: vt amore, & beneficijs alios, vt omnia proximo libenter impendamus, præueniamus. dilexit enim nos Deus, cum adhuc inimici essemus.
2. *Secundo*: Christus se totum nobis dedit, atque hoc est proximum diligere, ait Cyrillus, non tantum, sicut seipsum, sed & plus quam seipsum.
3. *Tertio*: Vt omnes ad Ecclesiam, & Christum studeamus adducere, exemplo Apostolorum. atq; hoc sensu rectè præceptum hoc nouum est; quia nihil simile olim fuit præceptum.
4. *Quarto*: Vt inter nos sinceram charitatem seruemus, & sit, sicut aliquando, *cor vnum, ac anima vna, neq; quisquam aliquid suum esse dicat, sed sint omnia communia. simus solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.*

Libr. 9. in Ioa. c. 23. Act. 4. 32. Ephe. 4. 3.

Atque hoc est præcipuum mandatum, & in eo alia omnia clauduntur; quia *dilectio est legis plenitudo.*

Rom. 13. 10.

II. *Secundum*: Decalogo continetur. de quo adolescenti illi dictum. *Serua mandata*: seruanda autem sunt iuxta explicationem Christi in monte, non iuxta Pharisæorum glossas.

Matt. 19. 17. Matth. 5.

III. *Tertium*: Ecclesiæ regimen concernit, & Apostolis; partim à Christo, partim à Spiritu S. traditum est, de Sacramentis, Sacrificio, cæremonijs, &cet. quæ Episcoporum, ac Pastorum pro-

Ioan. 16. 13.

propria sunt:neque scripta,ait Dionysius, ne infidelibus innotescerent. *Eccl.Hier. c.1.*

Quartum. Mores concernit, toti Ecclesiæ communes,vt ieiunia,modum confitendi,& sumendi Eucharistiam, vota, cultum imaginum,&c. quæ,sicut nos ab Apostolus,sic illi à Christo accipêre. IV.

Quintum. De obedientia est,quam Ecclesiæ,eiusque Prælatis debemus:atque hoc etiam præcipuum est, & ferè solum sufficit,quia sicut per obedientiæ votum, Religiosus se superioribus per omnia subijcit,& statutis:sic quisquis Ecclesiæ obedit,omnia Christi,& Ecclesiæ præcepta seruat. V.

Disce *Quarto*:Doctrinam Christi Apostolis traditam, non sistere in verbis solis,quasi cognitio nuda sufficiat, sed voluntas quoque moueri debet: atque huc Concionator se potissimum dirigat,& *Primo*, nihil admisceat falsum. 1. *Secundo*, clare, & explicatè per similitudines sua proponat. 2. *Tertio* subtilitates,coram populo,non disputet. 3. *Quarto*,vel Scripturę,vel Patrum testimonio dicta stabiliat, & *nouè dicat*, vt inquit Lerinensis,*non nouà*. 4. Valet quoque ad affectus mouendos, vita dicentis plurimum, quæ si à verbis eius dissentiat, plus ille exemplo impedit,quam verbo promoueat:eosque imitatur qui auem propellunt,ad volandum vna ala, & alteram detinent. *Cap. 27. Commoni.* Quid maxime auditores moueat. *Cuius vita despicitur*,ait Gregorius, *restat vt eius quoque prædicatio contemnatur*. 1. *Præterea* eodem facit,si Concionator ipse primus moueatur:sicut de Ambrosio confessiones audiente, Paulinus testatur,quod vbertim fleuerit,aliosque ad contritionem excitarit.atque huc aptari potest illud sponsi: *Hom. 12. in Euan. cir. princi.* 2. *Surge,propera amica mea: quia vox turturis audita est in terra nostra.* ad quæ rectè B.Bernardus.*Illius Doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moueat. Verè turturem exhibes, si gemere doceas.Et si persuadere vis,gemendo id magis, quam declamando studeas oportebit:dando nimirum,voci tuæ vocem virtutis,si quod suades, prius tibi illud cognosceris persuasisse.* & alibi: *Sermo viuus & efficax exemplum est operis,facilè faciens suadibile quod dicitur,dum monstrat factibile quod suadetur.* *Tom.2.Suri. 4 Apr.§ 12. Cant.2.12.* *Serm. 59. in Can.non procul à princ.* *Epist.201.ad Bal.Abb.* Denique inuocandus est Deus, cuius in animabus iuuandis vices obimus;solus enim ipse illuminat mentem,& conuertit volũtatem: quia solus habet animarum claues,easq; penetrat. 3.

Disce *Quinto*: Apostolos, eorumque Successores, mandatum hoc rectè perfecisse: nam quicquid in Ecclesia, Conciones, cæremoniæ, libri loquuntur, eò spectat, vt præcepta Dei seruemus: huc ieiunia, festa, confessio frequens, & communio. huc cineris aspersio; ad initium quadragesimæ, vt mortis memores, ad eam, per obseruationem Diuinæ legis, præparemur. aqua benedicta, quid aliud facit quam vt dæmones à nobis auertat ne peccemus? Sanctorum imagines, ad vitæ imitationem, spe gloriæ inuitant, preces pro defunctis, nos, vt à simili pœna, & reatu caueamus, monent. deniq; consilia Euangelica, quorsum vel instituta à Christo, vel ab alijs suscepta? certe vt homines Deo melius seruirent. ita, vt nihil sit in Ecclesiæ statutis, & legibus, nihil in Conciliorum decretis, nihil in cæremonijs, quod non dictum iam scopum spectet.

VII. *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Magna Apostolis Christus mandarat, ita vt de his triplici ex caussa sibi metuere potuerint. *Primo*: Ob admirandam fidei annunciandæ nouitatem, rationi, & experientiæ, aduersam. *Primo* enim; mundo, qui aliquot iam seculis idola coluerat, horum falsitatem persuadere debebant, & detestationem. *Secundo:* Alium annuntiabant Deum, Personis quidem trinum, natura tamen vnum. similiter fidem habendam in hominem mortalem, imo mortuum fabrum, à Iudæis flagellatum, & occisum cum ignominia. quin & instrumenta, mortis tam fœdæ, honoranda esse, tanquam inexpugnata, aduersus omnes hostes, præsidia. *Denique* hominem hunc sub Eucharistiæ minima parte, & varijs in locis esse, totum simul, in terris, & in cœlis. quæ omnia etsi intellectum superent, nulla tamen ratione euidenti conuincebant, sed solam volebant fidem, & assensum ab authoritate dicentis, eumque tam firmum, vt nullis tormentis expugnari possit. *Tertio*: Inducturi erant mundo aliam plane viuendi methodum, quam eò vsque ille sectatus fuerat. antea enim opibus, honori, voluptati, arbitrio proprio, pretium erat: nunc verò paupertas suadebatur, & honorum, ac voluptatis contemtus, amor incommodorum, & subiectio voluntatis.

tatis. *Secunda*: Metus ratio, ex mundi naſcebatur indiſpoſitione. erant enim homines diuitijs, honore, eruditione ſuperbi, neque poterat illis diuitiarum, vel honoris vanitas, vel eruditionis falſitas, ſuaderi. quis enim Dis tam celebratis, vnum præponeret crucifixum? quis paupertatem, diuitijs, aut contemtum honoribus. *Tertia* ratio, ex Apoſtolorum conditione ſumebatur. qui piſcatores, vel reticularij, oratorijs, & Philoſophicis facultatibus erant inexercitati, ab aulis, alieni. quod autem homines hi viris Principibus, ac doctis fidem nouam perſuaderent, quis negabit videri difficillimum? Ideoque metum Chriſtus eximit ſpondens, *Ego vobiſcum ſum.* q. d. Ego Patris ſapientia, dabo, vt etiam, quæ difficillima videntur, perſuadeatis; etſi aliter nunc mundus aſſueuerit: ſordeſcent opes, & ſecularis eruditionis loquacitas obmuteſcet. Vos tantum, quod Regum legati ſolēt, meis muniti inſignijs, meaque tutelâ, hoſtes aduerſos irrumpite.

Nota autem *Primo*: in verbis iſtis *Ecce. Ego. Sum.* ſingularem emphaſin. nam *Ecce* ſignificat, *Primo*: Apoſtolis aliquid rarum, & eximium promitti. *Secundo*: Aliquid quaſi inſperatum. ſenſus enim eſt adero vobis, etiam non opinantibus. *Ego* Perſonam Chriſti exprimit. *Sum* Diuinitatis nota eſt. *Deus* enim *eſt qui eſt*. inſinuat ergo Chriſtus ſe Eccleſiæ, ſecundum vtramq; naturam ſuam, adfuturum. *Exod. 3. 14.* Chriſtus tripliciter eſt nobis præſens ſecundum diuinitatē.

Nota *Secundo*: Chriſtum tripliciter nobis adeſſe ſecundum Diuinitatem. *Primo*: ſicut adeſt, omnibus creaturis; quibus dat, vt ſint, eaſq; conſeruat. vndè Apoſtolus, *in ipſo*, ait, *viuimus, mouemur, & ſumus.* Sed hic modus, quia homini peculiaris non eſt, etiam non facit ad præſens. *Secundo*: ſicut adeſt iuſtis, in quibus *viuit*, teſte Apoſtolò. *Tertio*: Per prouidentiam, & gubernationem Eccleſiæ, atque de hoc modo verba hæc, teſte Cyrillo, intelligi poſſunt. 1. *Act. 17. 28.* 2. *Gal. 2. 20.* 3. *Libr. 7 de Trini.*

Nota *Tertio*: Chriſtum etiam tripliciter adeſſe nobis ſecundum humanitatem. *Primo*: Quia conſiderat vniuerſam terram, & quid homines, etiam mali, agant. ideoq; ſolliciti eſſe debemus; omnia enim obſeruat, vt poſtea iudicet. *Secūdo*: Quia paratus eſt ſuis ſuccurrere, ſic vidit eum B. Stephanus, *ſtantē à dexteris Dei*. Paulus, cū, Damaſcum proficiſcēs, rogaret: Chriſtus etiam tripliciter adeſt nobis ſecūdum humanitatem. 1. 2. *Act. 7. 56.*

Domine


ORATIO.

Omnipotens æterne Deus, vna Trinitas, Pater, Filius, Spiritus S. vnus Deus, tres Personæ, vnius potentiæ, sapientiæ, bonitatis, magnitudinis, iustitiæ, misericordiæ: qui Ecclesiam fide illuminas, et sedentibus antea in tenebris tui cognitionem infundis, scimus enim te solum Deum, omnium creatorem, omnipotentem, omniscium, & nihil odientem eorum quæ fecisti. In te omne bonum, omnis decor, & voluptas. Tu es, & per te omnia sunt. compositionem nescis, quia in te omnia vnum sunt, tu vero infinitus es. & in te vno omnia sunt infinitum vnum. Satias videntem te, quia omnia habes in te. Qui te vident, possident te, & nihil desiderant, præter te. sed amant te, nec possunt non amare. Opus manuum tuarum nos, vt te videremus in æternum. quæsumus, præpara nos ad te. Infunde tui notitiam omnibus infidelibus, hæreticos ad fidem veram conuerte, nutantes confirma, vt tibi inhæreant, fideles amore tui inflamma, vt omni studio alios ad te adducant. Vide quam posuisti in nobis tui imaginem, neq; contaminetur similitudo tui: sed animas nostras emunda, vt apti simus ad te suscipiendum, & te in sæcula videndum. Maculant nos culpæ multæ, & vitia: & tamen incoinquinatum esse debet, quod æternam, & infinitam suscipiet puritatem: splendere debet, quod fulgebit in æternum. Hic purga Domine, & perfice, ne alterius sæculi purgatorio à te impediamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus S. Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Appro-

APPROBATIO.

Conciones in Euangelia Dominicarum à Quadragesima vsque ad Trinitatis per admodum R. P. Francisc. Costerum Societat. Iesu Presbyterum, S. S. Theologiæ Doctorem compositæ, ad morum probitatem, fidei confirmationem, & hæreticorum conuersionem, plurimum valent: ideoque prælo dignissimæ sunt. Datum Antvverpiæ 10. April. 1604.



Siluester Pardo SS. Theologiæ Licent. Ecclesiæ Cathedralis Antvverp. Canonicus & librorum Censor.

F I N I S.



